

BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA



ULTRAJECTI,
Apud GULIELMUM BROEDELET, 1694.

EXERCITATIONES
DE
LINGUA PRIMÆVA
EJUSQUE APPENDICIBUS

In quibus multa S. Scripturæ loca, diversæ in Linguis mutationes, Multiplices nummorum Israelitarum, & Samaritanorum species, atque variæ Veterum consuetudines exponuntur.

Auctore

STEPHANO MORINO

S. Theol. Doct., Ling. Orient. Professore, & Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Pastore Amstelodami.



ULTRAJECTI,

Apud GULIELMUM BROEDELET 1694.

Amplissimis

Reipublicæ Amstelodamensis

Consulibus

Dº. JOANNI HUDDE.
Dº. JOANNI CORVER.
Dº. NICOLAO OPMEER.
Dº. JACOBO HINLOOPEN. I. F.

*Everentissimi Patriæ Patres.*

RES quæque suas origines repetere tenentur; fontes aquas e mari haustas, ad illud per fluviorum alueos continua fluctuum impulsione reducunt; terra cælestium imbrium fæcunditate prægnans eos in vapores redactos sursum remittit, plantæ, & perfectiores arbores a superno influxu etiam feraces, quasi in gratiam accepti beneficii, flores suos & fructus, quo altius possunt, efferre annituntur; homo ipse absolutum cæterarum creaturarum compendium corpus a terra acceptum in ejus sinum tandem deponit, & animam divinitus infusam ad Deum perennibus studiis debet reducere.

Tantis exemplis fretus ad *Nobilissimas vestras Amplitudines* audeo accedere, ac spero vos benigne accepturos exiguum hunc muneris quo me ornastis fructum; totus enim vester est; quia perculsum me horrenda Ecclesiæ Gallicæ strage recreastis incomparabili vestra humanitate, & novam, concessa pristinæ vocationis officia exercendi facultate, vitam inspirastis: totus etiam est muneris a vestra Liberalitate mihi impositi honos, creastis enim illud in mei gratiam, & voluistis, ut primus in vestro illustri Athenæo Orientales linguas docerem; sic decus illud, ac quæcunque tenuitas mea ejus ratione excitata producere potest, ad vos in animi grati Testimonium semper referri est consentaneum. Revera de Professoris munere obeundo nunquam cogitaveram, & ab eo demum die, quo munificentia vestra mihi collatum est, cœpi deliberare de exordio; nullum autem visum est mihi convenientius illo, quod titulus meus sponte offerebat, & quia linguas profiteri debebam, de linguis in genere, & postea de primaria ejusque appendicibus mihi agendum esse judicavi, quo planam, ad potiora argumenta viam mihi sternerem.

Hoc propositum pro viribus meis paulatim peractum est, & perpetua beneficiorum vestrorum recordatio me indesinenter solicitavit ad observationes meas *illustribus vestris nominibus* dedicandas; sed tenuiores mihi visæ sunt, & clausas musæi tenebris diu detinui; atque adhuc detinerem, nisi amici educere sategissent: sic superata verecundia mea ad humanitatem vestram toties expertam audet confugere, ac illam obsecrare ut leviculum hoc munusculum in sincerum observantiæ, & addictissimi animi pignus saltem acceptare dignetur.

Conveniret, *Nobilissimi Proceres*, ut consuetudini morem ge-

gerendo, illustria vestra decora referrem, quum absque meritis elogiis nomina præstantissimorum virorum non sint referenda; at ampliora sunt, quam ut paucis describi possint, & quamvis industria illius, qui descriptam a se Iliadem in nuce inclusit, uterer, frustra id susciperem, quia Ilias excidium urbis, & patratas a victoribus cædes dumtaxat complectitur; mihi autem innumera consummatæ prudentiæ, raræ fortitudinis, & inauditæ solertiæ essent enarranda miracula, quibus urbem cæteras magnificentia, opibus, bono regimine, omnibusque (invita soli & cæli inclementia) deliciis superantem exornare perseveratis, omnia Maria Classibus vestris sternitis, remotissimas utriusque orbis regiones Commerciis vestris tributarias efficitis, atque potentissimos hostes ad optandam pacem adigitis, dum cives vestros in mediis sævissimi belli tempestatibus, tranquillos, & bonis cælestibus ac terrenis affluentes sub Dei præsidio conservatis: hæc ut enarrarem liber pro Epistolio mihi esset conficiendus, aut saltem ingens vestibulum exiguæ casæ præponendum.

Verum enim vero nequaquam opus est in illa narratione laborare, quemadmodum enim Lux, quæ vix ullis coloribus adumbratur, proprio splendore patescit, sic lucentes vestræ dotes sponte incurrunt in omnium oculos, quis in magno HUDDE non videt consummatam in politico regimine prudentiam, & singularem in Mathematicis peritiam, qui stagnantibus in urbe aquis indidit motum reciprocantis æstus æmulum, quo per omnes canales diffuso ingratus odor abactus est, & oculi spectantium mirifice exhilarantur? quis audiendo nominare CORVERUM, ipsam Sinceritatem, intimamque ad benefaciendum propensionem, & multiplicem eruditionem, quæ

cor-

cordatis viris arridere solet, illico non concipiat? quis OPMEERUM celebritatis Athenæi nostri promovendæ Studio, & in Literas amore ipsi conjunctissimum non suspicit, atque admiratur capaces animos, qui dum Reipublicæ toti incumbunt, utilissimam Musarum nostrarum curam gerere non desinunt? quis HINLOOPIUM primo oculorum ictu non agnoscat constantem æqui rectique assertorem, & post expertam ejus humanitatem non agnoscat hanc virtutem severitatis dotibus ita temperari ut dignosci non possit, utra magis excellat, magisque meruerit summum quem occupat gradum.

Itaque *Amplissimi* atque *Nobilissimi Consules* exquisita, quibus unusquisque vestrum a Deo instructus est, ad nostram prosperitatem, dona abunde patent: patent etiam ea, quæ vobis communia sunt; intemerata scilicet fides, pietas in Deum, tenerrima in cives charitas, inviolabilis in omnes justitia, atque profusa in miseros liberalitas, quam inprimis experti ex Gallia ob fidem profugi non cessant celebrare; sed simul esse supra omnes laudes, & ab uno Deo posse convenienter remunerari, agnoscunt: quamobrem omnes colligam vires, ad fundenda indesinenter vota, quibus a potentissimo illo Numine vobis omnia benedictionum genera, vitam in continuis honoribus diuturnam, felicem, patriæque utilissimam, cui demum succedat æternum cælestis beatitudinis fastigium, valeam impetrare; ut votorum compos, & tranquille fungens officiis meis, quandiu vita manebit, omni cultu, & obsequio præterea demonstrem humillimum esse Clientem

vestrarum amplitudinum

Amstelod. Calend.
Mart. an. 1694.

STEPHANUM MORINUM.

IN
STEPHANI MORINI
DE
LINGUA PRIMAEVA
COMMENTARIUM.

Exhibet hic priscas, ipsaque ab origine ductas,
Deo sacratae Litteras Linguae Liber:
Quas neque naufragium mundi commune prioris
Delevit, undis obrutas fatalibus:
Saeva nec Aegypti rabies, Phariique tyranni
Immitis illa pertinaxque servitus:
Non Babyloniacus carcer: non arma Quiritum,
Urbisque victor, Urbis eversor, Titus:
Non variae rerum facies; terraque marique
Tractus per omnes foeda dissipatio.
Durat in hoc aevi, nec tempore desiit ullo,
Hora nec ulla desinet, sermo sacer.
Gratia magna tibi, Normannae gloria gentis,
Decusque nostrae jam, Morine, Belgicae.
Hos tu thesauros aperis, haec abdita pandis,
Deique scriptas dextera refers notas.
Utque homines primum duxisti nuper in hortum,
Sic nunc Parentis Litteras primi doces.
Quid precer? Hoc ipso quondam spatieris in horto;
Istaque magnum concinas Lingua Deum.

PETRUS FRANCIUS.

ARGUMENTUM

ET

SERIES OPERIS.



Imul atque munus Orientalis Literaturæ ab Amplissimis Dominis Consulibus mihi demandatum est, totis animi viribus incubui ad illud methodicè exercendum, ut difficultates sponte occurrentes arte amoverentur, & cum opus esset superarentur: id autem commodius posse præstari non judicavi, quam si meditationes meas naturali rerum ordini ita accommodarem, ut nihil præpostere tractarem; sed a primis principiis ad ultimos effectus procederem, & generalia particularibus semper præmitterem, quo illa suam lucem his fænerarent, & omnia proprium occupare gradum perhiberentur.

Propterea initium a prima linguarum origine ducendum esse judicavi, & idcirco disquiremus ante omnia an hominibus propriæ sint, & ita conveniant ut iis nunquam potuerint carere? an ut rationis sunt prima specimina, sic suam ei debeant originem, & communi hominum Consilio inventæ fuerint atque constitutæ? an vero prima omnium primo homini congenita fuerit, & illi a Deo Creatore indita; cæteræ autem ab illa prima lingua, ut omnes homines a primo, productæ fuerint, vel alia ratione oriundæ?

His peractis conveniet scrutari an primæva illa lingua superstes adhuc conservetur, & si conservetur, quænam illa sit? Tum demum illius linguæ, diligenti studio repertæ dotes considerabimus, nomen, perfectionem, vim, & proprietates: insuper affines illi linguas proderit cognoscere ad illius illustrationem, & ad jacturam amissarum originum reparandam.

Denique primariæ illius linguæ genuinas Literas probe cognoscere satagemus; vocales etiam, ac utrarumque sonos, & pronun-

nunciationes, & quæcunque diuturna plurimorum ſeculorum ſerie ipſis accidiſſe comperiemus.

Jam vero naturæ veſtigiis ſic inſiſtentes plurima prævertemus incommoda, atque deinceps liberè, & abſque ullis impedimentis Textum Sacrum, ac verſiones ejus orientales feliciter aggrediemur; alias unaquæque harum quæſtionum, quæ expoſitæ erunt, paſſim occurriſſet, & remoræ inſtar noſtrum interrupiſſet curſum; ſimul atque enim Teſtimonium aliquod e lingua Ebræa, aut Chaldæa producere contigiſſet, ſubiiſſet dubitatio de illarum auctoritate, & quamdiu utra eſſet antiquior, atque præſtantior non licuiſſet, utriuſque vacillaviſſet dignitas, & quia neutra præponderaſſet, vix ullum in ambabus pondus habere potuiſſemus; idem de lingua Arabica, Ægyptia, & cæteris faciendum eſt judicium; quamobrem præſtabat ſemel abſolvere, quod identidem retractandum fuiſſet, quia nihil eſt moleſtius quam ſeriam & calentem de rebus alicujus momenti ratiocinationem ſæpius abrumpere atque perturbare.

Quin ipſum de præcipuis fidei myſteriis agendi propoſitum neceſſitatem impoſuit hunc ordinem obſervandi: quoniam veritati divininitus revelatæ dumtaxat innixa fides totam divinarum revelationum vim penitus introſpicere gaudet, & idcirco tenetur Sacra verba ſedulo rimari; quomodo confidenter rimabitur antequam ipſiſſima illa verba dignoſcere valeat, atque certo ſciat, qua lingua uſus eſt Deus ad voluntatem ſuam Eccleſiæ declarandam? ſane ſuam habent efficaciam nomina; ſed cum ex alia lingua petuntur, inſita illa efficacia non poteſt urgeri, quia incertum eſt an primitivis etiam ineſſet; itaque expedit certiorem fieri de genuinis Textus Sacri verbis, ut ex iis validiora, & omni exceptione majora argumenta firmiter deducantur: nempe nonnulli volunt Moſem lingua ſua Ebræa retuliſſe quidem fideliter mundi natalia, totam creationis hiſtoriam, Reipublicæ Iſraeliticæ conſtitutionem, & legis myſteria ſecundum revelationem a Deo ipſi factam; minime tamen adhibuiſſe primaria nomina, ſed eorum dumtaxat ſenſum ad ſuam linguam accommodaſſe; unde ſequitur in nominibus ab ipſo adhibitis non eſſe quærenda myſteria, quia propria non ſunt, & res ſolas eſſe conſiderandas

 fere,

fere ut in versionibus, cum eo tantum discrimine, quod Mosaica expressio sit perfectissima, & ab omni errore immunis, ut pote a S. Spiritu manum, & mentem Prophetæ dirigente in omnem veritatem ordinata: verum enim vero si potest constare Linguam Mosis esse primariam, ejusque historiam propria primorum hominum, & cæterarum creaturarum nomina continere, tunc longe majoris momenti ea videbuntur, immensæ Dei sapientiæ vestigia in iis, imo in ipsis Literis, minimisque apicibus investigabuntur, secundum hoc Ebræorum axioma אין בתורה אפילו אות אחת שאין הרים תלוין בה *non est in lege una sola Litera a qua non pendeant montes.* Cui astipulatur Christus dicendo Mat. 5-18. quod ne quidem ejus unicum jota prætermittetur absque suo complemento, quod incredibilem, ad illam sedulo rimandam, accendit ardorem.

Quin ipsa necessitas cogit a cognitione etiam primarum Literarum incipere Sacri Textus Studium, quando quidem in eo variæ lectiones frequenter occurrunt; cum autem passim a similium Literarum permutatione oriri soleant illæ variæ lectiones, vix de iis judicium firmum fieri potest absque certa originalium Literarum cognitione; saltem genuina lectio a cæteris non potest discriminari, & cognitio illa easdem partes in hoc judicio, quas Lapis Lydius in Metallorum examine, debet peragere.

Vocales, & puncta quibus animantur consonantes attentam etiam merentur considerationem, & antequam manifeste constiterit de auctoritate ipsis convenienti, vix de ipso scripturæ sensu constare potest; quodque præcipua consideratione dignum est, maximam partem Ebrææ Grammatices propter crebras mutationes ipsis, ob regimina, accentuum sedes, & varia affixa, contingentes, occupant; quamobrem convenit eorum pondus, & auctoritatem noscere, ut tempus iis addiscendis requisitum libenter impendatur.

His omnibus rite expensis omnis æquus rerum æstimator judicabit neque temere, neque inconsulto nos primordia illa rerum sacrarum statim ab initio tractanda suscepisse, a prima enim origine, quæ præstantissima sunt merentur agnosci, & si Ægyptios diu puduit quod Nili patriæ fæcunditatis auctoris scaturiginem ignorarent, ob illamque neglectam ab exteris, ut Cambyse, A-

le-

lexandro Magno, Jul. Cæſare, & ipſo Nerone ad illam inveſtigandam armatas copias mittentibus ignavæ ſocordiæ damnati ſunt; quibus rationibus excuſaremur ſi cuivis Studio poſtponeremus diſquiſitionem divinæ illius linguæ, a qua, ut ab uberrima ſcaturigine, fæcundiſſimi gratiarum cæleſtium latices, exundantiaque omnium bonorum flumina oriuntur, & ad ſempiternam omnium fidelium felicitatem indeſinenter emanare perhibentur?

Præterea non ingratus forſitan ſemper erit labor noſter, quibuſdam poterit amænitatibus temperari, & inter aſperas inſuetorum vocabulorum ſalebras interdum occurrent diverſa S. Scripturæ loca explicanda, quæ tædium ſolabuntur, & ad metam alacriter petendam excitabunt: ſolent dicere Ebræi אל תסתכל בקנקן אלא במה שיש בו *ne reſpicias cantharum, ſed quod in eo eſt*: revera ſubſunt nonnunquam intra vaſa pretioſa liquores peſtiferi, & cortex gratus amaritudinem tegit; contra ſub ſpecie horrida deliciæ deliteſcunt: quapropter convenit, ſecundum Apoſtoli præceptum 1. Theſ. 5-21. omnia tentare, ut quod bonum eſt retineatur; Labore enim, & ſtudio dumtaxat vera eruditio comparatur, & qui e nuce nucleum eſſe vult, frangit nucem.

Hic autem convenit monere, quod obſervationes noſtræ *de Lingua primæva, & ejus appendicibus*, potuiſſent pluribus ex Lingua Arabica, Æthiopica, & Perſica mutuatis confirmari, niſi genuini harum Linguarum Characteres Typographo defuiſſent; illi autem Ebraicis non poſſunt commode repræſentari: nempe Ebræis ſunt tantum Literæ 22. Æthiopibus 26. Arabibus vero 28. Perſis autem 32. quia paucæ ſunt Linguæ, quibus non ſint propriæ voces alienis Literis, aut ſaltem alienis earum ſonis ita diſcrepantes, ut iis convenienter exprimi non valeant: quamobrem Ebræi Libros Arabicos ſuis Literis deſcribentes ſolent ſuas Literas multiplicare, & quibuſdam puncta imponere, ut varient earum ſonos; ſed Characteres his punctis notati, & diſtinctioni neceſſarii etiam deerant; unde inevitabilis confuſio orta fuiſſet, quam vitare malui.

Ne tamen ejuſmodi ſuppreſſio nimis obſit propoſito noſtro, ſufficiet tribus his annotationibus attendere. 1. Linguam Arabicam, Æthiopicam, & Perſicam eaſdem vocales Literas inter

consonantes in suis Alphabethis habere, non secus ac Ebræa habet. 2. Arabes, & ab iis Persas eadem puncta, aut apices Lectionem adjuvantes modo superne, modo inferne aliquando etiam apponere : Æthiopes vero illorum figuras mutasse, & sex diversos suis Lireris conjunxisse; sic in eorum Alphabetho Septem singularum Literarum series conspiciuntur, in quarum prima simplices Literæ absque apicibus vocalibus, & postea sex ordine syllabæ verb. grat. Ba. Be. Bi. Bo. Bu, & Be brevissimum nostro scevato respondens ; hac ratione hæ omnes Literæ sunt totidem syllabæ, cum suis apicibus in capite, lateribus, & pedibus varie dispositis. 3. Hos omnes suos apices vocalibus suis Literis ut consonantibus Arabes, Persas, & Æthiopes secundum Ebræorum morem addere, ut pateat eos ad sonum distinctiorem inservire, de his meminisse proderit.

Exercitatio prima de Linguis.

Exercitatio ſecunda de Literis.

Exercitatio tertia de Vocalibus Ebræorum.



CAPUT I.

DE LINGUIS.

Linguarum, quarum tractatio nobis commissa est, nomine intelligendi sunt diversi, quibus homines utuntur ad animi sui sensa exprimenda, sermones: eorum autem diversitas eo major est, quo a se invicem homines illi ampliori regionum tractu dissiti sunt; quia haud exigua in sermone affinium gentium observatur affinitas, & ejusdem gentis sermo in dialectos duntaxat dividitur; ut lingua Græca quæ una fuit, quinque varias dialectos habuit, scil. Atticam, Ionicam, Doricam, Æolicam, & Communem, quæ cæterarum idiomata admittebat.

Ad illas linguas pertinent organa, sonique in iis diversimode formati, & per ea erumpentes ad vocem conceptibus mentis significandis idoneam constituendam, conferunt etiam plurimum ad linguarum dignitatem, inserviunt distinctæ cognitioni, & summam divini artificii sapientiam apprime commendant.

Artificiale musicorum organum vocis humanæ organa manifeste præbet conspicienda: in hoc enim folles vento turgentes pulmonum nostrorum officia exhibent, tubus variis canaliculis aërem ab iis impulsum deferens repræsentat tracheam arteriam, digiti organistæ agunt partes linguæ, quæ sonos alioquin inconditos dirigit, frangit, flectit, effert, atque in suavissimos modulos efformat. Non sola tamen diversa illa præstat, sed a larynge asperis cartilaginibus constante, labiis, palato, & a dentibus mirabiliter adjuvatur; unde Ebræi literas in quinque dividunt classes, quarum unaquæque a præcipuo suo instrumento denominatur: 1. אֲהַחַע quatuor *gutturales* comprehendit. 2. גִיכַק totidem *palatinas*. 3. בּוּמַף totidem *labiales* 4. זַסְצַרֵשׁ quinque *dentales*. & 5. totidem

dem דטלנת, *linguales* particulariter dictas, quod in iis præsertim elaboret lingua, ut in aliis dentes, labia, palatum, atque guttur, efformandis cum ipsa concurrere debeant. Non autem vana illa secundum organa sua, literarum divisio: ut enim, quæ eodem organo producuntur, germanæ sunt, sic facile ob illam affinitatem in omnibus linguis sæpissime inter se permutantur. Nihilominus illa partitio non supponit organis cæteris æquale jus competere in suas literas, ac linguæ: hæc enim legitima est omnium mater, & guttur, palatum, labia, & dentes in quibusdam communem dumtaxat adjungunt operam, & ut sic loquar, obstetricantur. unde quamvis sermo ipse totus ab ipsis aliquando denominetur & a *labiis* dicatur *labium*, Gen. 11—1. *erat terra* שׂפה *labii unius*; *guttur*, Esa. 58—1. *clama* גרון *gutture*; *os* פה, Gen. 45—5. *os meum loquitur ad vos*, &c. imprimis tamen linguæ ut principali auctori attribuitur. Hinc Mercurio eloquentiæ Deo linguas in sacris offerebant, & ad silentium designandum clavi lingua obserata dicta est, & elingues dicti muti & sermonis incapaces. Eo sensu Ebraice maxime lingua passim usurpatur. sic linguæ dicuntur confusæ ob Babylonicam conspirationem; contraque linguæ cælitus in Apostolos immissæ ad significandos omnigenos sermones, quibus donati sunt ad totius orbis gentes fide & pietate instruendas. Hinc S. Jacobus scribit, quod *lingua est membrum exiguum & μεγαλαυχεῖ.* i. *grandia jactat*, vel, *de rebus magnis grandia pollicetur*. neque immerito: ingentium enim operum sermonibus suis capax est, sive in bonam, sive in malam partem se vertat. unde Mythologus a suo Domino jussus emere ad cænam, quod in macello præstantissimum inveniret, linguas emit; & cum iratus Dominus vice versa jussisset pessimum emere, iterum emit linguas, caussatus nihil esse pejus mala lingua, nihilque bona præstantius, teste Planude in ejus vita. Revera licet minima sit inter cætera corporis membra, totum tamen corpus regit, non secus ac clavus exiguus ingentes naves, & quocunque vult non tantum uniuscujusque, sed rerum publicarum & potentissimorum etiam imperiorum fata deducit: quippe quæ novit paucis verbis magnas componere lites, aut illas serere, & imis miscere summa; novit ad arma cogere pacificos, & furentibus pacem imperare; denique modo conciliat fœdera & amicitias, modo falsis delationibus concordes fratres distrahit, atque in mutuam perniciem accendit; nunc pandit divina mysteria, alias tetris hæresibus patrocina-

tur,

tur; & ſemper parit inæſtimabilem, quam ex mutuis colloquiis obtinemus, utilitatem; immo cælos ipſos tranſcendens Deum omnipotentem aggreditur, precibusque ac votis ejus benevolentiam nobis conciliat, atque iram avertit formidoloſam. Item linguam nuncupare liceat ſceptrum divina humanaque moderans, cum ejus beneficio homo regat dictis animos, & temperet iras; quod olim Galli deſignare voluerunt Hercule ſuo, qui ſenio licet confectus videretur, ingentes hominum robuſtiſſimorum catervas ſubtiliſſimis ex auro electrove catenulis eorum auribus inſertis, atque ab ejus lingua fluentibus captivas, ſponte tamen obſequentes, deducebat, ut patet ejus imagine ingenioſe a Luciano elaborata. dicam inſuper ψαλτήριον κυρίου, *pſalterium Domini*, cum Clemente Alexandrino Pædag. l. 2. c. 11. quandoquidem ſuaviſſimis ſuis modulis Deum celebrat, atque Angelicis concentibus ſolet immiſceri.

Agnoſcendum tamen tantas linguæ laudes proprie non competere, niſi beneficio ſermonis, quem diverſo ſuo motu componit. Hic ille ſermo dumtaxat commendat linguam: abſque eo ipſa elinguis eſſet, & cum eo fit homini כָּבוֹד, *gloria*, ſicque nunçupatur Pſal. 16-9. unde LXX. reddunt, ut ſæpe alias γλῶσσαν, *linguam*. quamobrem Ebræi, quaſi totum hominis decus ab ipſa penderet, illum definire malunt חַי הַמְדַבֵּר, *animal loquens*, quam *animal rationale*. Neque immerito. loquela enim rationem comprehendit, redditque conſpicuam: unde Rabini dicere ſolent, quod הַדִּבּוּר שְׁלִיחַ הַשֵּׂכֶל, *ſermo eſt nuncius mentis*. Mentis revera intra nos conceptus edit in lucem, immo ipſam mentem cogitantem quaſi in viva imagine exhibet. Nam mens ſpiritualis & nulli ſenſui patens opera ſermonis ita corpori imprimitur, ut per illud alteri hominis menti intelligibiliter manifeſtetur. Quamobrem nihil mirabilius nec divinius ſermone, licet aëre evanido & diverſimode perſtrepente dumtaxat conſtare videatur diſſipeturque erumpendo: nam inviſibilem animæ vim perſpicue contemplamur ſermonis beneficio, qui diſtinctis quibus diſcriminatur ſonis innumeras ejus cogitationes immortalis rationis indices promit, atque in apertam emittit lucem. Sane duo aut plures homines una colloquentes non poſſunt ex verbis invicem datis non colligere certiſſima evidentiſſimaque reciprocæ intelligentiæ, liberæ voluntatis, & mentis ratiocinantis argumenta. Non raro etiam ex iis unus percipit, quod alter intendit ipſi occultare, quia judicio, & ar-

te pollens novit dissimulandi artes, atque ex circumstantiis probe animadvertit iis locum esse debere, quia in similibus occasionibus solet ipse ad illas confugere. Sermo autem ille solet distingui in internum quem Ebræi פְּנִימִי, Græci ἐνδιάθετον, quasi in intima mente dispositum vocant, sive הַשִּׂכְלִי, *intelligibilem*, qui conceptam rem cum mente concipiente videtur comprehendere; & in הַחִיצוֹנִי, *externum*, προφορικὸν, qui conceptum a mente penitus discretum, & aëre corporis vicem præbente indutum cum auditoribus communicat. Sermo autem ille alterutro modo sumptus ita proprius est mentis fœtus, ut eodem cum ipsa nomine gaudeat, & similiter λόγος dicatur: quodque majori observatione dignum est, filius Dei eodem illo nomine etiam nuncupatur Joan. 1-1. & Apoc. 19—13. quia λόγος, *verbum* fuit, quo cuncta fuisse creata refert Moses initio Genesis. Et sic ob maximam quam cum verbo nostro habet convenientiam, meruit denominari. Ut enim verbum nostrum internum menti quodam modo innascitur, & ab ipsa licet distinctum minime tamen separatur, atque vim ejus native repræsentat; sic filius a patre, & in patris sinu genitus individuam semper cum illo servat communionem, omnes ejus perfectiones refert possidetque, atque *effulgentia*, & *illius personæ character* Ebr. 1--3. meretur dici. Non exiguam insuper cum verbo externo habet similitudinem. Quemadmodum enim verbum illud a divina hominis mente productum induit corpus aëreum, eoque sensibile factum pervadit aures, & se agnoscendum præbet; similiter Christus Dominus ex Deo Deus induit corpus humanum, ut cum hominibus conversaretur, iis innotesceret, patremque imitatus verbo Euangelico novos cælos, novam terram, & novum hominem crearet, & absolutissima *imago Dei invisibilis*, Col. 1--15. ab omnibus haberetur. Quæ mysteria tenuiter licet adumbrata adeo patuerunt, ut Judæis ipsis suboluisse videantur: hinc in Paraphrasibus Chaldaicis toties loco Dei מֵימְרָא דַיְיָ, *verbum Dei*, legitur. Gen. 1--27. *Deus* creavit hominem: in Paraphrasi Hierosolymitana invenimus: Creavit מֵימְרָא דַיְיָ, *verbum Dei* hominem. *&c.* Non improbabile est Euangelistam post cæteros scribentem libenter excepisse hanc expressionem usu tunc vigentem, quia apta visa ipsi est ad contribules suos in Christi fidem adducendos. Ipsis etiam Muhamedanis adeo placuit, ut sæpius in Alcorano Christus قول vel قول الحق الله, *sermo*, & *verus Dei sermo*, nuncupetur, atque etiam كلمة الله, *verbum Dei*. Hoc modo ad ipsam divinitatem ipsa

ser-

ſermonis dignitas aſſurgit. Verum non abſque controverſia ſemper habere comitem rationem ſtatuitur: quare examinandæ rationes eorum, qui illum nobis cum brutis eſſe communem propugnant.

CAPUT II.

An ſermo brutis concedi debeat?



Ix licet dubitare, ſi ſermo verus & omnibus numeris abſolutus intelligatur, quin ſolæ creaturæ rationales cogitent, & intendant cum aliis intelligentibus ſua cogitata communicare. Hinc Onkelos Gen. 2-7. animam viventem, & rationalem, quam Deus infudit Adamo, dicere רוּחַ מְמַלְּלָא, *ſpiritum loquentem*, ſatis habet, neque ſejungendam a ratione loquelam arbitratur. Contraſtant tamen alii, & diverſis animalibus rationis expertibus eſſe concedendam propugnant, aut quamdam rationis particulam ſaltem iis largiuntur, ut ab illa ſermo ille fluere probabiliter exiſtimetur, ſecundum hanc Diogenis definitionem: λόγος ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ ἀπὸ διανοίας ἐκπεμπομένη, *ſermo vox eſt ſignificativa a mente proficiſcens*, apud Diogenem Laërtium lib. 7.

Sane Porphyrius de Sacrific. lib. 3. teſtatur quædam animalia loqui, & nonnullas rationis conſequenter participare dotes, vultque Melampum, Tireſiam, & Apollonium Tyaneum eorum colloquia intellexiſſe. Ei ſuffragatur Plinius lib. 10. cap. 49. ſcribens, *Melampodi aures lambendo dediſſe intellectum avium ſermonis dracones*: quod non referendum ad inconditos earum ſonos, aut ſuaviſſima modulamina, quibus excipiendis ſufficiunt cujusvis aures, neque intellectu eſt opus. Conſtat enim inter omnes, rugire leonem, rudere aſinum, canem latrare, gannire vulpem, grunnire ſuem, mugire taurum, rancare tigridem, & crocitare corvum: quin etiam

Pica loquax varias modulatur gutture voces,
Scurriliter, ſtrepitu quidquid & audit, ait:
Sic Philomela poteſt vocum diſcrimina mille,
Mille poteſt varios ipſa referre modos.

& in primis

Pſittacus humanas depromit voce loquelas,

Atque ſuo domino, Salve, Valeque, ſonat.

ut eleganter ſcribit Philomelæ auctor, qui Ovidius creditur. Revera notus pſittacus his verbis ſalutare Cæſarem ſolitus, *Ave Cæſar victor*; ſed longe adhuc majori admiratione dignus pſittacus ab Aſcanio Cardinali centum aureis æſtimatus, qui articulatiſſime & continuata, abſque intermiſſione, ſerie integre totum Fidei Chriſtianæ ſymbolum recitabat, *perinde ac vir peritus enunciaret*, inquit Cælius Rhodiginus Lection. antiq. lib. 3. cap. 32. Id tamen parum eſt, ſi comparetur cum pſittaco Principis Mauritii, qui in Braſilia ipſi tria aut quatuor reſponſa convenientiſſime reddidit; unde multis a dæmone actus credebatur, ut refert Eques *Temple* ex relatione illius Principis in ſuis de rebus geſtis inter Chriſtianos ab anno 1672. ad 1679. memorialibus, cap. 32. Verum enimvero ſtatuunt animalium dotium admiratores animalia quædam non loqui dumtaxat ſuo more, aut humanas loquelas æmulari; ſed præterea capere quod proferunt, & proferre etiam quod intendunt. In horum album meretur referri avicula Figrenſibus Abyſſinis a voce PIPI dicta, quæ, quamvis alaudæ magnitudinem non excedat, incolis ingentia præſtat beneficia: ſiquidem novit obſervare feras, ab iis præmonere continuis ſuis clamoribus viatores, venatoreſque ad eorum cubilia ſenſim deducere, neque quieſcere donec in monitorum præmium prædæ partem obtinuerit, ut teſtatur Clariſſ. Ludolphus, cujus veteri amicitia mihi licet gloriari, lib. 1. Hiſtoriæ ſuæ Æthiopicæ cap. 12. An vocibus intentioni beneficæ reſpondentibus poteſt aliqua ſaltem rationis particula denegari? Non equidem denegaret Oppianus, qui Cyneg. lib. 2. verſ. 540. verſuum, inquam, illorum qui ſinguli remunerati ſunt ſtatere uno aureo, & inſuper libertate patris Oppiani ab Imperatore Antonino Baſſiano Caracalla, unde duplici hoc pretio *aurei* dici meruerunt, affirmavit elephantes inter ſe colloqui, ſic:

Φήμη δ' ὡς ἐλέφαντες ἐπ' ἀλλήλοις λαλέουσι
Φθογγὴν ἐκ στομάτων μεροπηΐδα πονθερύζοντες.

Fama autem eſt, quod elephanti inter ſe colloquantur, vocem ex ore articulatam barrientes. &c. Vocem articulatam quam Ebræi קול המחותך, *vocem conciſam* nuncupant, mirum eſt ipſis tribui: obſervat enim Ariſtoteles problemat. ſect. 10. ſ. 31. quod hominibus proprie convenit vox illa e diverſis articulis diſtincta, quodque *unus homo* πολλὰς φωνὰς ἀφίησι, τὰ δ' ἄλλα μίαν, *varias voces edit, cætera vero animalia unam. &c.* quin cer-

certum *μεροπίδα* significare proprie vocem humanam, quæ ipsos solet a brutis secernere, & ipsis Meropum elogium obtinere, ut apud Homerum Il. α. vers. 250.

— — — *γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων.*

generationes hominum Meropum. ad quæ verba parvus Scholiastes: Μερόπων. μεμερισμένην τὴν φωνὴν ἐχόντων, ὡς πρὸς σύγκρισιν τῶν ἄλλων ζώων. ὅ ἐστι μεριζομένην εἰς συλλαβὰς καὶ ἔναρθρον ἐχόντων τὴν ὄπα. τοῦτ' ἔστι τὴν φωνήν. *Meropum. i. distinctam vocem habentium, ut distinguantur a cæteris animalibus, sive partitam in syllabas, & articulatam.* Hesychius: Μέροπες. ἄνθρωποι διὰ τὸ μεμερισμένην ἔχειν τὴν ὄπα ἤγουν τὴν φωνήν. *Meropes. i. homines, propterea quod habent divisam vocem.* Oppianus igitur Elephantes ab omnibus brutis quodammodo segregat, & hominibus annumerat, vocando illos Meropes, aut Meropum vocem illis tribuendo. Alterum huic voci sensum tribuit S. Epiphanius de hæres. lib. 1. tom. 1. §. 5. qui æque Elephantibus favet: scribit enim Deum insano hominum turrim Babylonicam ædificantium proposito iratum septuaginta linguas ex una ad eos dissipandos fecisse, ὅθεν καὶ μέροπες οὗτοι κέκληνται διὰ τὴν μεμερισμένην φωνήν. *unde Meropes dicti ob divisam hac ratione linguam.* humana enim lingua sola tunc divisa est, & cunctis brutis solitus clamor remansit, quem ubique terrarum hodie etiam immutatum servare agnoscuntur: ubique enim canis latrat, lupus ululat, gallinaque glocitat, etiam dum discriminare videtur vocem ob gaudium post ova parta, ob metum milvi pullis suis imminentis, & ob cibi desiderium cum ad inventos cibos advocat divagantes pullos, ut secum iis pascantur. Mitto eos qui volunt præcipue Meropes dictas quasdam gentes, quæ ita divisam habent linguam, ut possint diversos homines simul alloqui, & quidem diversis linguis, quod Elephantes non tantum humanitate donaret, sed supra communem hominum sortem etiam attolleret. Sufficit nunc humana vox, quam multi auctores testantur etiam expresse Elephantes emittere. sic Acosta refert Elephantem fuisse in urbe Cochin, qui operas diversas ad portum præbere solitus, & absoluto laboribus præscripto tempore fessus urgebatur a præfecto liburnicam in mare deducere; sed frustra fuit, diuque & minæ & preces non profuere. tandem rogavit, ut saltem in gratiam Lusitaniæ regis id faceret: illico obsequutus est Elephas, atque clare & distincte hæc duo verba protulit *hoo, hoo,*

quæ

quæ Malabarorum lingua ſignificant *volo*, *volo*, ac ſine mora requiſitum præſtitit officium. neque id mirum, cum linguam patriam callere affirmet Ælianus de Animal. lib. 4. cap. 24. συνιᾶσι γὰρ ἐλέφαντες καὶ γλώττης ἀνθρωπίνης τῆς ἐπιχωρίου, *hominum enim indigenarum linguam intelligunt Elephantes.* Quæ intellexere, præterea ſcribere norunt, teſte Mutiano ter Conſule apud Plinium lib. 8. cap. 3. refert enim unum ex his literarum Græcarum ductus didiciſſe, & hujus linguæ verbis ſæpius ſcripſiſſe: *Ipſe ego hæc ſcripſi, & ſpolia Celtica dicavi.* Supra laudatus Ælianus aſſerit propriis oculis vidiſſe alterum Elephantem ἀστραβῶς καὶ ἀτρέπτως, *recte & non contorte*, aut oblique literas Latinas formaſſe, de Animal. lib. 2. cap. 11. Quin Celſus Philoſophus vult & probare ſatagit, formicas etiam inter ſe colloqui, & occurrentes monere ne a via aberrent, ut videre eſt apud Origenem lib. 4. in ipſum. Sed ut preſſius brutorum ſermoni inſiſtamus, audiendus eſt Plutarchus graviſſimus auctor in exquiſito de Animalium ſolertia libro: Ψᾶρες δὲ, καὶ κόρακες, καὶ ψιττακοὶ μανθάνοντες διαλέγεσθαι, καὶ τὸ τῆς φωνῆς πνεῦμα τοῖς διδάσκουσιν εὔπλαστον οὕτω, καὶ μιμηλὸν ἐξαριθμεῖν, καὶ ῥυθμίζειν παρέχοντες, ἐμοὶ δοκοῦσι προδικεῖν, καὶ συνηγορεῖν τοῖς ἄλλοις ζώοις ἐν τῷ μανθάνειν, τρόπον τινὰ διδάσκοντες ἡμᾶς, ὅτι καὶ προφορικοῦ λόγου, καὶ φωνῆς ἐνάρθρου μέτεστιν αὐτοῖς. *Sturni autem, & corvi, & pſittaci, quando loqui diſcunt, vociſque ſpiritum ita facilem fictu doctoribus præbent, mihi videntur inter dicendum patrocinari aliis animalibus, ac nos quodam modo docere ejus qui viva voce exprimitur, ſermonis, & articulatæ vocis partem ipſis fuiſſe conceſſam.* Immo ſatagit probare illa animalia rationis etiam eſſe capacia, eo quod ſenſus habeant ſpeculatorum officiis fungentes, qui fruſtra eſſent, niſi rationi ſenſata referrent, ut de iis judicaret, & iis apte uteretur: unde obſervat ferocire, & dominos non amplius cognoſcere. mentem enim evidenter præſupponit hæc ipſa mentis abalienatio. Quare tractatum hunc his ad Collocutores verbis claudit: *Optime decertaſtis* πρὸς τοὺς τὰ ζῶα λόγου καὶ συνέσεως ἀποστεροῦντας, *contra illos, qui animantibus rationem, & intelligentiam adimunt.* Denique libro ſequenti hunc inſcripſit titulum περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι, *quod bruta animalia ratione utantur.* qui plura in hanc rem cupit, illum adeat. Non debemus prætermittere, quod tota Pythagoreorum ſchola ab eadem ſententia non debuerit eſſe aliena ob ſuam μετεμψύχωσιν: cum enim doceret in brutorum corpus ſæpe amandari humanas animas, non potuit

tuit inficiari, quin vires aliquas rationales non nunquam exercerent. Denique Plato in Dialogo qui Politicus inſcribitur, homines regnante Saturno cum brutis colloquutos non inficiatur.

Sufficere debent hæc Græcorum & Latinorum teſtimonia, quæ extra rem non ſunt, cum Orientales Doctores iis ſuffragentur. In ipſo Alcorano, & aves loquuntur, & ratiocinantur, & cum hominibus ſapienter colloquuntur. Surata in primis 27. de formica refertur, Salomonem ingentem exercitum dæmonibus, hominibus, & avibus conſtantem duxiſſe, audiviſſeque formicam alias monentem, ut cito in ſuas ſe cavernulas reciperent, ne pedibus militum contererentur: refertur etiam, upupam abfuiſſe, ſed paulo poſt moram excuſaſſe grato de regina Sabæ nuncio, ad quam etiam Salomonis detulit literas. Ipſe Muhamed dicitur linguam avium ſimiliter noviſſe. Immo ipſi Judæi brutis linguam hominibus intelligibilem etiam tribuunt, & ſunt inter eos, qui ſuæ ſententiæ ex ſacris Codicibus auctoritatem conciliari poſſe non deſperant. Audite Aben Eſram qui *ſapientiæ* elogio ſolet inſigniri, (obiter obſervate, proprium ejus nomen eſſe R. Abraham, & patrem ejus dictum R. Meiz, ſed ab Eſra uno e majoribus ſuis patre ſuo celebriori maluiſſe denominari. quod non eſt inter Judæos inauditum) hic, inquam, Rabinus in Gen. 3—1. de ſerpente Evam alloquente obſervat, quod האשה היתה מבינה ויודעת לשון החיות, *mulier erat intelligens atque ſciens linguam animalium.* Addit tamen R. Sadiam Hagaonem ſive Illuſtrem docere, שאין דבור דעת כי אם באדם לבדו, *quod non eſt ſermo ſcientiæ niſi in homine ſolo*, & conſequenter exiſtimandum Angelum loquutum tunc per ſerpentem, ut tempore Balami per aſinam; ſed opponit R. Salomonem Hiſpanum ſingulari prudentia conſpicuum contra docere שהם הדברים כמשמעם ונחש היה מדבר והיה הולך בקמה זקופה והשם דעת באדם שם בו *quod hæc verba debent ſimpliciter exponi, ut ſonant, ita ut ſerpens fuerit loquutus, & ambulaverit ſtatura erecta; & qui poſuit ſcientiam in homine, etiam in eo poſuerit. unde cæteris animalibus callidior dicitur, & damnatus fuit. quod iniquum fuiſſet, ſi alter per ipſum crimen commiſiſſet.* Sed alias Deo dante hanc rationem ſerio agitabimus; nunc autem ſufficiet dixiſſe, ſicariorum gladios frangi, perduellionum ædes dirui, ſylvas cædi, & pœnas ad inſtrumenta ſcelerum extendi; licet ea ſua natura videantur ſceleris expertia, ut immanitas ſceleris ex pœnæ exuberantis amplitudine

manifestius agnoscatur. Ad asinam vero Baleami quod spectat, id frustra in quæstionis decisionem producitur, cum miracula extraordinaria naturalem rerum constitutionem minime valeant demonstrare. Josephus ipse Judæus Antiq. lib. 1. cap. 2. non dubitavit, bruta loquelæ esse capacia: postquam enim descripsisset familiarem serpentis cum Eva consuetudinem, & invidiam quæ ad illam tentandam ipsum impulit, refert, quod Deus inflictis Adamo pœnis ἀφείλετο καὶ τὸν ὄφιν τῆς φωνῆς, ὀργισθεὶς ἐπὶ κακοηθείᾳ τῇ πρὸς Ἄδαμον, καὶ ἰὸν ἐντίθησιν ὑπὸ τὴν γλῶτταν αὐτοῦ. *serpentem mulctavit voce, iratus ob maliciam ejus in Adamum, & venenum ejus linguæ indidit.* Sunt etiam qui in confirmationem hujus sententiæ citant 1. Reg. 4—33. ubi celebratur incomparabilis sapientia Salomonis, & dicitur loquutus עַל־הַבְּהֵמָה וְעַל הָעוֹף וְעַל הָרֶמֶשׂ וְעַל הַדָּגִים, *cum brutis, cum avibus, cum reptilibus, & cum piscibus,* עַל *cum* vertentes quia eo sensu videtur usurpari Exod. 35—22. cum leguntur Israelitæ certatim ad sanctuarii constructionem & ornamentum sua dona contulisse עַל הַנָּשִׁים, *cum uxoribus.* Verum genuina significatio τοῦ עַל est *super*, & hoc ipso loco non illam mutavit; quoniam vult docere Moses liberalitatem virorum accessisse ad liberalitatem uxorum, & *super* harum dona fuisse accumulata ea quæ ipsi viri postea obtulerint: & in altero loco similiter enarrantur argumenta, *super* quibus disseruit Salomo. non igitur loquutus est cum brutis, sed super brutorum, &c. natura, proprietatibus, & variis dotibus. Præterea nihil probat argumentum huic loco innixum, quia nimis probaret. non tantum enim probaret loquutum fuisse Salomonem cum piscibus mutis, (unde proverbium ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων, *magis mutus quam pisces*, qui ad perpetuum silentium a natura damnati existimantur ab Aristotele, Plinio, & cæteris rerum naturalium scrutatoribus; unde & a piscium esu religiosissime abstinebant Pythagorici ob illam ἐχεμυθίαν, quam impense venerabantur) non tantum, inquam, ex textu sacro, si interpretaremur עַל *cum,* colligeremus *cum* piscibus loquutum Salomonem, sed cum surdis insuper arboribus & plantis: nam ibidem legitur de Salomone וַיְדַבֵּר עַל־הָעֵצִים מִן הָאֶרֶז אֲשֶׁר בַּלְּבָנוֹן וְעַד הָאֵזוֹב וגומר׳, *& loquutus cum arboribus a cedro Libani ad hyssopum.* Verum convenit vertere *supra arbores, plantasque* disseruisse, & præstantissimas fecisse observationes; ne reducamus post Æschylum προσηγόρους δρύας, *quercus loquaces*; *vocalemque sua terram Dodonida quercu* post Ovidium; *calamosque loquaces* Petronii: immo ipsos

ipsos fabulæ limites prætergrederemur. hyssopo enim, & abjectissimis graminibus sermonis excellentia esset concedenda.

Denique Patres ipsi suis calculis comprobare voluerunt sententiam brutis animalibus vim loquendi concedentem, si quidem Moses Bar Cepha Syrus episcopus lib. 1. Commentar. de paradiso cap. 27. testatur Ephræmum existimasse, quod dæmon obtinuit a Deo, ut serpenti concederetur sermonis prærogativa, & intelligendi etiam facultas ad tentandum Adamum; quemadmodum ipse obtinuit Jobum affligendi facultatem. Sed S. Basilius homilia de paradiso explanatius loquitur. cum enim Edenis amænissimos flores descripsisset, aves etiam, & plurima ejus ornamenta, addit: καὶ ζώων ποικίλων θεάματα, πάντων ἡμέρων, πάντων ὁμοηθῶν, ἀλλήλοις καὶ ἀκουόντων καὶ φθεγγομένων ἐυσύνετα. *sunt etiam illic spectacula variorum animalium, omnium mansuetorum, omnium eorumdem morum, quæque sese mutuo audiunt, & loquuntur, simul & sese intelligunt. &c.* Quin apud Platonem in Politico hospes testatur, quod sub Saturno homines διελέγοντο πρὸς ἀλλήλους καὶ τὰ θηρία μύθους, *inter se & cum brutis conferebant fabulas*; atque ex his confabulationibus magnas ad Philosophiam ortas esse commoditates asserit.

CAPUT III.

Bruta non loquuntur.



Nihilominus constare debet, brutis & irrationalibus animalibus sermonem non esse concedendum, quia rationem & intelligentiam sermo præfert, & duces requirit; rationeque sua abutuntur, qui hyperbolicis encomiis ea ad divinas hominum dotes efferre satagunt. Possunt quidem verba quædam imitari atque audita referre, possunt suggestas ab obsidentibus creaturis intelligentibus voces emittere, ut serpens Diaboli, & asina Angeli, Deo permittente, organa fuerunt; sed ne minimam quidem habent harum vocum intelligentiam. Pollent vividioribus sensibus, ut talpa auditu, aranea tactu, aquila visu, canis olfactu, & Protogeustes animal Indicum gustu; vel ut triti ferunt versus,

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, praecedit aranea tactu.

Possunt insuper sensibus illis ad ea quæ ipsis conveniunt, impelli, & ab iis quæ nocerent, sponte deduci: ne simplices machinas dicam, atque insito movente spoliem creaturas omnibus ad conservationem facultatibus requisitis divinitus instructas, atque viventia transformem in automata; siquidem innatam habent ad ea quæ sensu & experientia sibi vident prodesse, propensionem, & consequenter nonnulla notitiæ non contemnendæ rudimenta. Novit enim Deus, rerum sensibilium, insensibiliumque, & intelligibilium conditor, fines iis convenientes præscribere, ut intra proprios unaquæque convenientissime coerceretur, neque ullo modo unquam cum aliis confunderetur. Quamobrem corpora vegetantia neque perfectionem animalium attingunt, neque animalia ad rationalium creaturarum dotes accedere valent, & summa horum dignitas dumtaxat consistit in rudi cognitionis & solertiæ rationalis adumbratione, quo in ea invisibiles nostras dotes oculis ipsis valeamus quodammodo contemplari. Perpauci sunt qui non audiverint, Germanum quendam medicum mira arte & longo labore hominis simulachrum fabrefecisse, quod non solam externe præ se ferebat speciem hominis, sed reconditos interne etiam habuit ventriculos varios in pectore & in capite cum humore agili ab illis continua fermentatione in arterias quas ad pulsum incitabat, & ex illis in venas quas rubicundo colore tingebat, exundante, immo permeante etiam in nervos ad quendam motum efficiendum; ita ut absque vita vitales quasdam actiones edere videretur, & rationales etiam, quandoquidem iter ab artifice præscriptum tenebat. Perpendite, quæso, & judicate, si eousque procedere potuit industria hominis intra exiguos limites comprehensa, si potuit creatura imbecillis imaginem sui adeo conspicuam edere, quid non possit creator omnipotens, cui sola voluntas agendi modum præscribit? Artifex quivis quamtumvis ingeniosus a subjecta materia pendet; Deus vero materiæ etiam suæ auctor est, eique quaslibet dotes concedit. Iners ex se æstimatur materia, & sic illam revera concipimus, eaque ipsa inertia intelligentiæ, & ratiocinationis, atque simplicis actionis proprie dictæ incapaci distinguitur a spiritu, cujus proprium est agere, intelligere, & ratiocinari. Nihilominus materialis ille homo arte humana constructus movetur, & variis liquoribus diversas periodice fermentationes peragentibus repletus vitales actiones re-

præ-

præſentat; quanto magis materia divinitus diſpoſita, & in craſſam ſubtilemque ac ſubtiliſſimam diſcreta, atque inter ſe convenienter coagmentata, ipſi inſuper indito ejus impulſu quodammodo animata, valebit ad conceſſas nobis voces deſignandas: valebit, inquam, nobis ita aſſimilari, ut diſcrimen nobis ipſis vix aliquando pateat. Neque id mirum debet videri: etenim Zeuxis uvis a ſe depictis decepit aves, quæ ad illas edendas illico advolarunt. Tantò ſucceſſu tumens deceptus eſt a Parrhaſio antagoniſta, qui velum adeò native depinxerat, ut genuinum & verum putaverit Zeuxis, & deduci juſſerit, quo ſuppoſitam tabellam conſpiceret, referente Plinio lib. 35. cap. 10. Sic ad Myronis vaccam accurrerunt mugientes vituli, ut ejus ubera ſugerent, teſte Tzetze Chil. 8. Hiſt. 124. & Anthol. lib. 4. cap. 17. epig. 9. Venus etiam Praxitelis amaſios habuit, qui illam deperierunt, apud eumdem Tzetzem Hiſt. 195. & catella blandiens, & ad pedes dominæ advoluta, eamque geſtibus demulcere viſa etiam poſſet addi. Quid mirum, inquam, ſi adumbrationes rationis noſtræ in animalibus divinitus exhibitæ nos capiant, & quaſdam ſermonis noſtri imagines in vivis eorum imitationibus ſuſpicimus. picturæ enim hæ ſunt a Deo omnipotente ſedulo elaboratæ: multum tamen abeſt ut aſſequantur exemplaris perfectionem, cum genuinis dotibus careant, atque externam dumtaxat earum ſpeciem habere perhibeantur, ſed ne minimam quidem portionem rationis noſtræ participem. Itaque editi ab illis ſoni nullam cum ſermonibus noſtris a ratione digeſtis habent affinitatem, & temere, ſine conſilio, cognitioneque effutiuntur. Caſui igitur, aut ſolertiæ erudientium, qui verba generaliter variis occaſionibus convenientia ſæpius coram illis protulerunt, quando illa appoſite repetunt, ſunt tribuendi, atque idcirco rariſſime id contingit, & propterea accurate obſervatur.

Itaque concludimus ſermonem ab indito rationali ſenſu eſſe æſtimandum, eumque ratione & intelligentia revera animari, ſive perfici. Quapropter Protagoras in dialogo ipſi inſcripto docet ſub fabulæ involucro, Prometheum divinæ ſortis a Minerva & Vulcano ſubreptæ participes effeciſſe homines, qua poſtea ipſi voces & verba articulatim efformaverunt. multo magis convenit nos in divina creationis hiſtoria eruditiores ad Deum has dotes homini proprias referre, quoniam probe novimus unum hominem ab ipſo fuiſſe creatum rationalem, ut auctorem ſuum cognoſceret, cognitumque ſermone rationis comite, & ſibi

ſibi peculiari indeſinenter celebraret, non tantum ſuo, ſed etiam cæterarum creaturarum his dotibus carentium, quibus præeſt, nomine. Ita ad proprium hominis decus & complementum hæ dotes ita pertinent, ut hominem eſſe neceſſe ſit, qui illis gaudet.

CAPUT IV.

Quod ad ſermonem ſcriptura pertineat.



SErmo autem ille humanus non tantum quærendus eſt in voce, aut aëre, qui ab ore emiſſus, & ad patentes auditorum aures tendens, volitat; quia ſic nimis cito evaneſceret, & inæſtimabile illud noſtrorum commerciorum vinculum pretii ſui multum amitteret, niſi arte congrua fixus conſervaretur, & perennibus ſcripturæ lineamentis graphice depictus conſtanter permaneret, ad retinendam rerum & vocum inconſtantium fugam, & omnes præteritorum ſæculorum ſapientes nobis ſiſtendos, ut ſimul colloquamur, & obſervationes ab illis factas diſcamus, atque noſtras cum poſteris viciſſim communicemus.

Scripturæ autem diverſæ ſunt ſpecies; una enim eſt perſpicua & patens, quæ literis facilibus & cuivis notis conſtat; altera ſecretior & difficilior quæ hieroglyphicis figuris ſolet exprimi: expedit diſquirere, quænam præſtet & præferenda ſit ad linguarum noſtrarum uſum & propagationem, ut providentia Dei erga ipſas mirabilior videatur.

Ad commendationem hieroglyphicæ ſcripturæ & ſermonis ænigmatici proferre licet circumſtantes difficultates, quæ ut cancelli inſuperabiles plebem ineruditam arcent, & ab acceſſu myſteriorum ſolis initiatis convenientium prophanos amovent. neque dubitandum hanc fuiſſe rationem, quæ antiquos ad hanc ſcripturam excogitandam ſtatim ab initio impulit, quoniam religioni, & ſacris illam præcipue addixerunt: unde Herodotus in Euterpe. §.36. de Ægyptiis: διφασίοισι γράμμασι χρέωνται, καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ἱρὰ, τὰ δὲ δημοτικὰ καλέεται. *biſariis literis utuntur, quarum has ſacras vocant, alteras populares.* ſacras enim patet dici eas, quæ religioni inſerviebant; ut populares, quæ in promiſcuo

promiscuo omnium usu rebus prophanis vulgaribusque concedebantur. Heliodorus Æthiopicor. lib. 4. refert duplices similiter habuisse literas Æthiopes, sacrasque eorum literas sacris Ægyptiorum literis similes fuisse. Quin tanta fuit Ægyptiorum invidia, & vehemens sua mysteria conservandi studium, ut non contenti uno secretarum literarum alphabeto, multiplicia hieroglyphicorum genera adhibuerint, teste Clement. Alexand. Strom. lib. 5. scribendo: Οἱ παρ᾽ Αἰγυπτίοις παιδευόμενοι, πρῶτον μὲν πάντων τὴν Αἰγυπτίων γραμμάτων μέθοδον ἐκμανθάνουσι τὴν ἐπιστολογραφικὴν καλουμένην· δευτέραν δὲ τὴν ἱερατικὴν, ᾗ χρῶνται οἱ ἱερογραμματεῖς· ὑστάτην δὲ καὶ τελευταίαν τὴν ἱερογλυφικήν. *qui instituendi sunt inter Ægyptios, primo discunt literarum Ægyptiarum methodum dictam epistolarem; secundo sacram, qua utuntur scribæ sacrorum; postremo omnium perfectiorem hieroglyphicam.* Sic a familiari, & omnibus obvia scriptura discriminabatur sacra, & religioni addicta. Sed cum inter ipsos hierophantas quidam excellerent, novaque excogitarent mysteria, novam simul excogitarunt scripturam, qua soli cum quibusdam participibus excogitatorum gloria fruerentur. sic sacræ scripturæ secretior adhuc superaddita, quæ doctis constabat symbolis, & a mystis nobilioribus dumtaxat intelligebatur, atque dicebatur hieroglyphica quod accuratius insculperetur. addit enim doctissimus ille auctor: ἧς ἡ μέν ἐστι διὰ τῶν πρώτων στοιχείων κυριολογικὴ, ἡ δὲ συμβολική· τῆς δὲ συμβολικῆς ἡ μὲν κυριολογεῖται κατὰ μίμησιν, ἡ δὲ ὥσπερ τροπικῶς γράφεται, ἡ δὲ ἄντικρυς ἀλληγορεῖται κατά τινας αἰνιγμούς. *hujus autem* (nempe hieroglyphicæ) *alia est species proprie loquens, quæ per literas ipsas,* mysticis tamen verbis, scribitur: *alia symbolica,* quæ pro literis utitur symbolis rerum naturæ convenientibus, & tripliciter adhuc dividitur; *modo enim symbola* illa similia sunt, & graphice res *imitantur*; *modo tropica sunt*, & moraliter explicanda; *modo denique sunt ænigmatica*, & variis signis ordine sapienti dispositis documenta sublimia exhibent. Exemplis diversitas illa patebit. Solem graphice repræsentant rotundo circulo, Lunam vero figura corniculata: tropice autem scarabæo, qui ex aquis originem ducens, & orbiculari motu fimum agitans, & vitali semine imbuens, tandem illum animat, atque in eo vivit, quemadmodum Sol ex oceano emersus totum indesinenter circuit orbem & vitalem vim exserit: ænigmatice vero ad id utuntur crocodilo, cujus ratio & significatio paulo obscurior est; nempe quia Sol per aërem humidum & amænum velociter currit,

rit, ut crocodilus per aquas; ſuoque motu generat tempus, cujus ſymbolum etiam eſt crocodilus. Hinc in porta templi Dioſpolitani inſculptus cernebatur *puer* generationis ſymbolum; *ſenex*, corruptionis & interitus; *accipiter*, Dei; *piſcis*, odii; & *crocodilus* ob diverſam rationem, impudentiæ, ad hanc ſententiam exprimendam: ὦ γινόμενοι, καὶ ἀπογινόμενοι, θεὸς μισεῖ ἀναίδειαν. *O vos vitæ limina ingreſſi, vosque qui jam ab illa deceſſuri eſtis, Deus odio habet impudentiam.* Conſtat igitur Ægyptios præter vulgares literas, alteras ſacras habuiſſe, haſque ſolis initiatis notas; & præterea uſurpaſſe varia animalium ſigna, aliaque ſymbola ad documenta præſtantiora deſignanda. Id etiam confirmat Apulejus lib. 11. Metamorph. deſcribens ſuam ad illa myſteria initiationem: refert enim adhibitos a ſacerdote *libros literis ignorabilibus pernotatos, partim figuris cujusmodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes; partim nodoſis & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis apicibus, a curioſa prophanorum lectione munita, &c.* Literas auditis ignotas, & ſigna obſcura præter animalium figuras, quæ myſteria contra prophanam curioſitatem circumvallabant a prima antiquitate. quare Lucanus antiquitatem Phœniciarum literarum commendare ſatagens ſcribit Pharſal. lib. 3. verſ. 223.

Nondum flumineas Memphis conterere biblos
Noverat, & ſaxis tantum volucreſque feræque
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Suffragatur C. Tacitus Annal. lib. 11. cap. 14. *Primi*, inquit, *per figuras animalium Ægyptii ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monumenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur; & literarum ſemet inventores perhibent.*

Non dubito, quin ad illa Ægyptiorum hieroglyphica reſpexerit Heliodorus, cum dixit ſacras Æthiopum literas ſacris Ægyptiacis eſſe ſimiles. licet enim quidam retulerint duplices differentibus characteribus literas revera habere Æthiopes, & Athan. Kircherus Prodrom. Coptic. cap. 3. ſcribat, a Sacerdotibus Abaſſenis accepiſſe, characterem ſacrum antiquo Surinano ſimilem fuiſſe; tamen Jobus Ludolfus Hiſtoria ſua Æthiopica lib. 4. cap. 1. teſtatur, poſt accuratam ſacri illius characteris diſquiſitionem nullum illius reperiſſe veſtigium in Abyſſinorum ſcriptis, & Abyſſinos ipſos quos frequentavit Romæ aut alibi, de illo nihil unquam audiviſſe. integram autem meretur fidem. verſatiſſimus enim

enim est in rebus illis, & acerrimo pollet judicio, neque in ejus sedulitate quicquam potest desiderari, ut ex diuturna ejus consuetudine, & intima familiaritate mihi compertissimum est. Mirum autem videri non debet characteres hieroglyphicos literis non annumerari, cum ab iis & figura & usu ita discrepaverint.

Sinensibus inprimis arriserunt hieroglyphica; & ab antiquissimo rege inventas dicunt primas suas literas, quæ piscibus res aquaticas, volucribus aëreas, stellis cælestes designabant, teste Kirchero Sinæ illustratæ part. 6. cap. 1. Addit postea eos has rerum naturalium figuras permutasse cum figuris vario linearum ductu constantibus, quæ nihilominus singulæ quamdam habent affinitatem, unde decem millia rudioribus sunt necessaria, doctis vero octoginta millia: immo his plusquam centum millia, & ducenta millia esse necessaria refert Acosta de Ind. lib. 6. cap. 5. cui Mandeslo suffragatur. neque multum recedit Petrus della Valle part. 4. lit. 2. qui insuper addit iisdem uti characteribus Japonenses, resque iis significatas probe intelligere, licet linguam Sinensem prorsus ignorent.

A Scythis antiquissimis etiam hieroglyphica usurpata nos mox docebit Clemens Alexandrinus ex Pherecyde Syrio, & mystica hæc scriptura ad vicinos Sinenses, Japonensesque sic pervenire potuit; immo ad ipsos Americanos, qui ex septemtrionalibus Asiæ regionibus originem ducere existimantur.

Sane Acosta de Indicis lib. 1. cap. 23. & 24. testatur Indos occidentales nulla habere scripturæ aut literarum monumenta, sed uti dumtaxat figuris & ænigmaticis notis, quarum hoc dat exemplum: ad significandum [*ego peccator confiteor Deo omnipotenti, & B. Virgini Mariæ, & S. Petro, & S. Paulo*] pingunt supplicem, genibus pronis, ante monachum, ad imaginem tria capita coronata habentem, quæ trinitatis indicium est; juxta quam adduntur vultus fœminæ cum parte infantilis corporis, & duo capita mascula cum coronis, & clave, gladioque, lib. 6. cap. 7. ibidem tamen fatetur, quosdam characteres his imaginibus nonnunquam admisceri; sed forsan & characteres & imagines sunt recentes, & monachis auctoribus tribui posse non inficiabor. nam licet ex novis illis imaginibus, scripturæ ipsius novitatem colligere, quæ conferri potest cum ænigmatica illa scriptura quam Galli vocant *rebus de Picardie*, ubi res ipsæ loco nominum suorum solent adhiberi.

hiberi. Sed vera hieroglyphica inter Mexicanos olim fuiſſe uſitata non ſinit dubitare Antonius de Solis in ſua Mexicæ ſubjugatæ Hiſtoria, neque inprimis Joan. de Laet. lib. 5. deſcriptionis novæ Indiæ, cap. 10. ſpecimina enim quædam exhibet, in quibus diverſa animalium capita, flores etiam, plantæ, fructusque, & notæ quæ cum literis nullam habere videntur affinitatem. Sic patet totam Americam non fuiſſe omnis ſcripturæ inexpertem ante Hiſpanorum invaſionem, licet ruſtici quidam loquaces eorum epiſtolas magicæ ſuſpectas habuiſſe referantur. Denique hieroglyphica ad Scotiam ipſam delata & pro ſcriptura iis uſos Scotos Hector Boëthius Scotus in ſua Scotiæ Hiſtoria affirmat.

Convenit obiter obſervare varias diverſarum gentium fuiſſe conſuetudines etiam circa ſuarum literarum diſpoſitionem. nam Sinenſes a parte ſuperiori tabulæ ſive chartæ ad imam ſuos characteres diſponere ſolent. Neque recens, aut Europæis inauditus ille mos ſcribendi, quoniam Diodorus Siculus lib. 2. ſic olim ſcripſiſſe Tapobranæ inſulæ incolas teſtatur; & Feſtus de verb. ſignif. dicit ſcribendi deorſum verſus morem vocaſſe Græcos *tapocon*. quæ dictio Græcis incognita ab eorum magiſtris Phœnicibus venire debuit, & ejus originem non immerito petit celeberrimus Voſſius ab הָפַךְ *convertit*; ut תְּהַפּוּךְ, *teapoc*, cum addita terminatione Græca, converſionem, ſive ordinem perverſum ſignificet, de Arte grammat. lib. 1. cap. 34. Tartari etiam qui jactant ſe habere pluſquam ſexaginta characteres, quia ſuas conſonantes iis additis vocalibus variant, ita ut, verbi gratia, non ſimplex *b* habeant ſed *ba*, aut, *bi*, *bo*, & *bu*, ut Æthiopibus mos eſt, ſcribunt ſimiliter a ſumma parte ad imam exemplo Sinenſium, ſuoſque characterum ordines a dextra parte ad ſiniſtram diſponunt, teſte Nieuhoff. in Legat. Holland. ad Sinas part. 2. cap. 16. Japonenſes etiam, ut refert ſupra laudatus Petrus della Valle part. 4. lit. 2. neque mirum, cum plurimis Sinenſium characteribus etiam utantur.

Mexiquenſes contra ſcribunt ſerie penitus adverſa, nempe ab ima tabulæ parte ad ſummam, ut videre eſt apud Acoſtam de Indic. lib. 6. cap. 9.

Denique Ebræi, Chaldæi, Arabes, Perſæ, & maxima pars orientalium populorum a dextra parte ad ſiniſtram ſuas literas exarant, ut omnibus conſtat: ſic antiquitus etiam Ægyptii, teſte Herodoto in Euterpe §. 36. γράμματα γράφουσι, καὶ λογίζονται ψήφοισι Ἕλληνες ἀπὸ

τῶν

τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιὰ φέροντες τὴν χεῖρα, Αἰγύπτιοι δὲ ἀπὸ τῶν δεξιῶν ἐπὶ τὰ ἀριστερά. Græci quidem literas ſcribunt, & calculis computant a ſiniſtra in dextram; Ægyptii vero a dextra ad ſiniſtram. Quod obſervare expedit, quoniam Coptica lingua pro veteri Ægyptia ſolet haberi, & tamen quaſcunque voces Copticas vidi, Græco more, & noſtro ſcriptæ erant: ut pateat priſcum morem penitus immutatum ab Alexandro magno, & ejus ſucceſſoribus, qui potiti Ægypto Græcum morem conſtituerunt. Quod ad calculos ſpectat, Veterum Orientaliumque morem nos retinuimus, & cum majores ſummas numeremus primum, eas a dextra parte incipimus calculis notare, & in ſiniſtram ſeriatim minores notando tendere ſolemus; licet ut Græci, & cæteri Occidentales, a ſiniſtra ad dextram ſemper ſcribamus. Qui mos Æthiopibus etiam arriſit, ut ſcripta eorum declarant. Attamen veterem Ægyptiorum morem iis olim uſitatum fuiſſe docet Heliodorus Æthiopic. lib. 4. quod minus mirum, quandoquidem eaſdem literas ſacras cum Ægyptiis habuiſſe dicuntur, & ab Arabibus etiam orti perhibentur. Sed ſubit admirari incolas regni Siam in medio Oriente conſtitutos, qui ut Occidentales a ſiniſtra ad dextram ſcribunt, ſecundum Tavernerium 2. part. Itin. lib. 3. cap. 19. & Nieuhoff. in Legat. Holland. part. 1.

Præter quatuor illa præcipua, & in celeberrimis mundi regionibus uſitata ſcribendi genera, aliud exhibetur a Pauſania in Eliacis, mutuatum ex cypſela, ſive arca. Nam veteres Corinthii arcas vocabant *cypſelas*; unde Cypſelus dictus Corinthiorum tyrannus, & poſteri ejus Cypſelidæ, quia cypſela hac Jovi Olympio ob eam rationem conſecrata, ſeptingentos fere annos ante natum Chriſtum, incluſus a matre Bacchidas necem ejus anhelantes effugerit. ſcribit enim: Τῶν δὲ ἐπὶ τῇ λάρνακι ἐπιγραμμάτων ἔπεσι τοῖς πλείοσι γράμμασι τοῖς ἀρχαίοις γεγραμμένα· καὶ τὰ μὲν ἐς εὐθὺ αὐτῶν ἔχει· σχήματα δὲ ἄλλα τῶν γραμμάτων βουστροφηδὸν καλοῦσι Ἕλληνες· τὸ δέ ἐστι τοιόνδε· ἀπὸ τοῦ πέρατος τοῦ ἔπους ἐπιστρέφει τῶν ἐπῶν τὸ δεύτερον, ὥσπερ ἐν διαύλου δρόμῳ. γέγραπται δὲ ἐπὶ τῇ λάρνακι καὶ ἄλλως τὰ ἐπιγράμματα ἑλιγμοὺς συμβαλέσθαι χαλεπούς. *Arcæ inciſæ ſunt priſcis literis quædam inſcriptiones recto ordine, aliæ in gyros revolutæ, quem modum Bouſtrophedon Græci vocant* (ab aratione boum, qui poſt ſulcum factum, alterum contrarium revertendo ducunt, & ſic continuo tenore per totum agrum agunt) *hæc ſcriptura ſimilis ei eſt, aſu-*

a ſuperioris enim verſus fine, continuo ſinu deducitur ad ſequentis initium verborum ſeries, ea ſcilicet forma, quæ eſt curriculi cum circuitu ſuo peracti, ſive redeuntis in idem a quo incepit initium, quod diaulon vocant. adſcripti adhuc ſunt huic arcæ alii etiam perplexi & inexplicabiles inſcriptionum nexus. &c. Verum has ſcribendi rationes in uſum ordinarium unquam admiſſas non dicit. Putamus igitur luſus fuiſſe artificis; quemadmodum vultus humani literis noſtris formati viſuntur, quorum ſingula lineamenta ſententiis e S. ſcriptura petitis conſtant & graphice tamen quoſdam homines repræſentant, adeo ut characteres illi diverſimode ducti vix vividioribus pictorum coloribus cedant, licet acutiorem oculorum aciem fere effugere videantur. Sic inter opera Theocriti invenimus Aram, & Syringa (ipſi, ut auctori, a quibusdam attributa, vel aliorum judicio aſſignanda Simmiæ Rhodio) atque Ovum, Bipennim, & Alam ab hoc elaborata; ſed nulla gens ea in exemplum unquam traxit, neque eodem modo ſcripta ſua digerere inſtituit.

Diſquirere nunc convenit, quinam ex his ſcribendi modis ſit cæteris præferendus, ut ſenſim ad linguæ perfectioris cognitionem deducamur: nam vix omnes æque commodi habebuntur. Non ſunt revera omnes omnibus æque probandi ob diverſas conſuetudines: mos enim, & conſuetudo præcipuam ſingulis præbent commendationem. Nihilominus libere fatebor cæteris ineptiorem mihi videri Mexiquenſium morem, qui ab ima ad ſuperiorem partem ſcripturæ ſuæ lineas ducunt, ſiquidem vix ac ne vix quidem poſſunt in ſcribendo procedere, quin deleant obliterentque primam ſeriem, cum alteram pingunt, & imponunt illi immediate præcedenti manum: præterea ſuas æquales formare nequeunt literas, non habentes præ oculis jam factas. His quidem incommodis non ſunt adeo obnoxii Sinenſes, Japonenſes, & Tartari contrario ordine characteres ſuos exarantes; difficulter tamen periculum inferiores ordines delendi vitare poſſunt, quando ſuperior ſequentis ſeriei ipſis eſt incipiendus. Præterea utrique commune eſt, quod difficilius legantur codices ſic exarati, quia ægre hos deſcenſus aut aſcenſus patiuntur oculi, & longe commodius per lineam transverſam moventur, ad quam percurrendam ipſo ſitu videntur conſtituti: ita enim diſpoſiti ſunt unus invicem ad latus alterius, ut abſque etiam ullo motu totam juſtæ lineæ amplitudinem percurrant; & conſequenter utraque illa ſcribendi ratio nobis videtur cæteris minus probanda.

Non

Non adeo proclive eſt dictu, an Orientales commodius ſcribant aut legant, quam Occidentales, & utrique ſui moris non contemnendas rationes habent a literarum ſuarum figura ſumptas. Conſtat enim noſtras a parte ſiniſtra ad dextram ducendo calamum melius formari, & contra Ebræas Arabicaſque, niſi formentur a dextra ad ſiniſtram, videri difficiliores, quamvis ob contrarium uſum vix id nobis animadvertatur. Si tamen ingenue dicendum eſt quod ſentio, pro Orientalibus contra morem noſtrum non dubitabo ferre ſententiam. inepte ſiquidem ſcribendo retrograditur manus noſtra, & ipſe calamus ſibi occultat locum, ubi litera eſt collocanda; Ebræis vero & cæteris Orientalibus tota ſemper patet charta, cui literæ inſcribendæ manent. Ipſis inſuper facilius eſt ſpatia cuivis vocabulo neceſſaria metiri, ne ulla in fine dividere cogantur, ut nobis accidit, quibus manus & calamus umbram faciunt, occuluntque partem paginarum poſteriorem; unde diviſa ſæpe vocabula in fine linearum noſtrarum habentur, quod illis inſuetum eſt. Unum poteſt afferri in patrocinium moris noſtri, quod naturam ducem ſequi videatur, cum a corpore principio ſuo manus feratur verſus exteriorem partem, & a centro verſus circumferentiam; ſed ſi charta convenienter diſponatur, medium ejus medio corpori reſpondebit, ut ſic rectior ducatur linea, tuncque initium lineæ tam Orientalibus, quam Occidentalibus, æque a medio corpore, ac finis ejus abeſſe comperietur.

CAPUT V.

An ſcriptura ſimplex hieroglyphicæ ſit præferenda?



AD ſcripturæ ipſius diſcrimen, quod ſpectat, videndum eſt, an ſimplex hieroglyphicæ, vel contra hæc illi præferenda ſit: & quænam utriuſque, naturæ & propoſito ſcripturæ magis conveniat. Hujus quæſtionis ſolutio, alterius ſolutioni viam expeditam pandet. Videtur enim hieroglyphica ſcriptura naturæ genuina imitatrix, & internam mentis cogitationem manifeſtius exhibet oculis, quam verbum ipſum auribus.

Præterea ipſa cogitatio in intellectu peragitur opera idearum & imaginum, quæ rerum ſpeciem habent. Hieroglyphica igitur ſcriptura naturæ veſtigiis inſiſtens ſymbolicis ſuis imaginibus ſimiles ſpecies transfert in animos legentium, ut cogitationum alterius hominis efficiat participes. Sic prior & potior ipſo verbo habenda, utpote quod non potuerit inducere ipſam rerum ſpeciem, & repræſentare illam auribus, licet optandum id fuerit, & ſæpius quæſitum: nam peregrini, cum diverſarum linguarum hominibus agentes debuerunt illius opem implorare, & cum fruſtra verbis tentaſſent, ſignis uti coacti ſunt, & ſigna illa arte & uſu exculta ſermonis vicem ſupplere potuerunt, & inter ſurdos & mutos ſemper ſupplent. adeo naturæ convenit ſignis & imaginibus ſua ſenſa exprimere. Hic etiam repetendum hieroglyphicam ſcripturam eo magis videri naturæ affinem, quod ſponte quibusvis pateat, quamvis a linguæ ignotæ hominibus ſcripta fuerit, & diverſis verbis ſoleat legi; cum omnibus linguis ex æquo conveniat, utpote a natura omnibus hominibus communi excogitata. Quamobrem qui primi de inſtituenda quadam ſcriptura, & in uſum introducenda, cogitarunt, ut commercia foverentur, non potuerunt induſtria ſua compendioſiorem ſibi imaginari ſcripturam quam ſymbolicam, quæ ipſis & alienigenis etiam poſſet facile inſervire, ob convenientiſſimam ſymbolorum cuivis notorum cum rebus ea deſignatis affinitatem. hinc obſervavimus hanc ſymbolicam ſcripturam inter Ægyptios, & plurimos populos literarum uſum anteceſſiſſe ſecundum auctorum ſententiam.

Verum enimvero eminentia divinæ hominum mentis in hoc ſcribendi genere indicia non impediunt, quin obſcura, dubia, & inutilis plerumque evaderet ſcriptura ſymbolica. Licet enim quodam modo flueret a natura, attamen quia in operibus varia eſt illa natura, etiam variæ ſunt diverſorum hominum conceptiones, variaque de illis eorum judicia, ita ut contrarias paſſim ferant de iiſdem rebus ſententias, & diverſimode illas exprimere ſoleant. Quare contrarias potuerunt eſſe eorumdem ſymbolorum expoſitiones, & revera ſæpius fuerunt; quod uno illuſtri probabo exemplo a Clemente Alexandrino mutuato, & auctoritate Pherecydis hiſtoricorum exoticorum antiquioris, & primorum philoſophorum magiſtri qui ſexcentos circiter annos ante natum Chriſtum florebat, confirmato: ſic Clemens ille Stromat. lib. 5. *Οὐ μόνον Αἰγυπτίων οἱ λογικώτατοι, πρὸς δὲ καὶ τῶν ἄλλων βαρβάρων ὅσοι φι-*

λοσο-

λοσοφίας ὠρέχθησαν, τὸ συμβολικὸν εἶδος ἐζήλωσαν. Φασὶ γὲ οὖν καὶ Ἰδανθοῦραν τῶν Σκυθῶν βασιλέα, ὡς ἱστορεῖ Φερεκύδης ὁ Σύριος, Δαρείῳ διαβάντι τὸν Ἴστρον πόλεμον ἀπειλοῦντα πέμψαι σύμβολον ἀντὶ γραμμάτων, μῦν, βάτραχον, ὄρνιθα, οἰστόν, ἄροτρον. ἀπορίας δὲ οὔσης, οἷας εἰκός, ἐπὶ τούτοις, Ὀροντοπάγας μὲν ὁ χιλίαρχος ἔλεγεν, παραδώσειν αὐτοὺς τὴν ἀρχήν, τεκμαιρόμενος ἀπὸ μὲν τοῦ μυὸς τὰς οἰκήσεις, ἀπὸ δὲ τοῦ βατράχου τὰ ὕδατα, τὸν ἀέρα τε ἀπὸ τῆς ὄρνιθος, καὶ ἀπὸ τοῦ οἰστοῦ τὰ ὅπλα, ἀπὸ δὲ τοῦ ἀρότρου τὴν χώραν. Ξιφόδρης δὲ ἔμπαλιν ἡρμήνευσεν. ἔφασκεν γάρ, ἐὰν μὴ ὡς ὄρνιθες ἀναπτῶμεν, ἢ ὡς μῦες κατὰ τῆς γῆς, ἢ ὡς οἱ βάτραχοι καθ' ὕδατος δύωμεν, οὐκ ἂν φύγοιμεν τὰ ἐκείνων βέλη. τῆς γὰρ χώρας οὐκ ἐσμὲν κύριοι. *Non solum sapientiores Ægyptiorum, sed apud Barbaros etiam nonnullos, quicunque Philosophiæ cupidi fuerunt, symbolicam speciem affectarunt. Dicunt enim Idanthuram Scytharum regem, ut refert Pherecydes Syrius, Dario Istrum transeunti ad bellum inferendum misisse symbolum pro literis, murem, ranam, avem, sagittam, aratrum. Dubio autem circa interpretationem eorum orto, Chiliarchus Orontopagas dixit Scythas dedere imperium, atque mure designari domicilia, rana aquas, ave aërem, sagitta arma, & aratro terram: Xiphodres contra dixit, significari, quod nisi ut aves avolemus, aut ut mures ima terræ petamus, aut sub aquis ranarum instar delitescamus, non effugiemus eorum sagittas, quia minime potiemur eorum regione. &c.* Sane utraque expositio conveniens est & probabilis, sibi tamen penitus adversantur, & contrarios exhibent sensus: sic non liquet quænam sit præferenda. Quare dubios & incertos lectores relinquit hæc scriptura, neque ullatenus est comparanda cum scriptura nostra simplici, quæ distincte & perspicue sensus ipsi creditos constanter & secure exhibet.

Idcirco scriptura simplicibus literis constans facile obtinuit principatum. Facilior etiam est, & expeditior; etsi enim a natura videatur mutuare sua symbola prior, iis tamen sensum liberum tribuit, quem lectores facile non assequuntur. Præterea opus fuit arte pictorum, ut symbola ex avibus, plantis, & diversis animalibus petita genuine agnoscerentur; alioquin ipsa discerni non potuerunt, quantominus res ipsis designatæ, quæ non raro ab accurata colorum, proportionumque designatione pendent. Promiscuo usui itaque hæc symbolica scriptura non conveniebat, & si obtinuit alicubi ante literas cognitas, simul tamen atque hæ visæ fuerunt & agnitæ, debuerunt ab omnibus præferri, atque

revera prælatæ fuerunt, ita ut ſymbolica remanſerit Doctorum propria ad ænigmata quibus ingenia exercerentur conficienda, non vero ad clare & perſpicue aliquid ſignificandum cujus cognitio neceſſaria eſſet. novimus enim ænigmata accuratius elaborata diverſas admittere expoſitiones. Quare nulla aliis prævalet. potuit tamen conſervari ab Hierophantis, qui myſteria ſua potius occultare quam revelare tenebantur. quamobrem tuto illa ſymbolicis notis credebant, quia expoſitione illorum ſemper indigebant, & hac ratione patebant dumtaxat initiatis, cæteris vero denſa caligine tecta conſervabantur. Neque autumandum hominibus diverſarum linguarum agnita illa ſymbola, & ſic præſtitiſſe literis noſtris, quoniam agnitio illa incerta fuit, niſi iis acceſſerit interpretatio authentica, quæ addita literis, eas etiam efficit ſufficientes.

Forſitan expeditior his ſymbolis ratio ſcriptura univerſalis poſſet excogitari; immo jam eſt excogitata, ſiquidem opera notarum numericarum, quæ ſimiles ſunt inter Germanos, Anglos, Belgas, Suecos, Danos, Polonos, & extremas Orientis gentes, & eumdem valorem obtinent, uti velimus: eadem ratio eſt characterum, quibus Aſtrologi duodecim ſigna Zodiaci deſignant, licet unaquæque gens diverſis nominibus illa nuncupet. Si igitur convenire poſſent omnes illæ gentes de convenienti rerum ſingularum nomine, & abſque labore & immodico ſtudio poſſent de iis beneficio illarum notarum inter ſe agere, & unaquæque lingua ſua legeret, quæcunque aliæ linguis ſuis ſcripſiſſent. verbi gratia genuinus rerum ordo ſervaretur. 1. numerus *Deum* omnium entium primum deſignaret. 2. *Cælum* ante cæteras creaturas conditum. 3. *Terram* ſubſequentem, & ſic de cæteris; iidemque numeri poſſent certo ordine cum primis connecti ad qualitates ex rerum eſſentia fluentes deſignandas: poſſunt enim in infinitum multiplicari illi numeri. Sed conſenſus gentium eſſet neceſſarius, cum natura non ſint ad illas ſignificationes ordinati.

CA-

CAPUT VI.

An aliqua ſit lingua hominibus naturalis.


Onſenſus hominum a nobis ſupra requiſitus ad conſtitutionem ſcripturæ, quæ etiamſi diverſis linguis loquerentur, ipſis utilis eſſet, videtur ſupponere nullam eſſe linguam homini naturalem. Id autem videtur improbabile, quia a ratione fluit ſermo; cum enim homini innata ſit ratio, & ejus propriam conſtituat eſſentiam, videtur convenire homini, ut quæcunque ratione ſua aſſequi poteſt, ſermone eloqui valeat. hinc λόγος Græcis *rationem*, & *ſermonem* indiſcriminatim ſignificat ob individuam eorum affinitatem. Sic omnes homines, qui eamdem naturam & rationem habent, eodem etiam ſermone uti deberent, niſi conſuetudo & educatio atque inſtitutio naturæ vim inferrent, & a naturalibus expreſſionibus deflecterent ad eas, quæ uſu & ſtudio comparantur. Id ratum fixumque habuit Pſammetichus Ægypti rex. cum enim Ægyptii ſui ſe omnium hominum primos autumarent, & ſuam linguam conſequenter vellent cæteras antecedere; audiret tamen Phrygas eamdem antiquitatem ſibi arrogare, neque Ægyptiis aut ullis aliis gentibus cedere, juſſit, ut a quibus partibus ſtaret jus, agnoſceret, duos educari a capris, & curari a paſtore liberos, cum gravi interdicto, ne ullus coram ipſis vel unum verbum pronunciaret, putans hac ratione linguam naturæ affinem eſſe manifeſtandam. Refertur autem, quod ſimul atque inceperant loqui, diſtincte pronunciarunt *beccos*, quod vocabulum *panem* inter Phrygas ſignificare patuit. Sic hanc hiſtoriam refert Herodotus initio Euterpes ſeu lib. 2. Alii volunt hos pueros educatos a nutricibus quarum linguæ abſciſſæ fuerant, eoſque *bec* clamando palmam conceſſiſſe Paphlagonibus Phrygum vicinis, quia ea voce *panem* ſolent deſignare, ut videre eſt apud Scholiaſtem Ariſtophanis in Nubib. act. 1. ſcen. 4. Sane argumentum illud ineptum, ſive ut cum Rabinis noſtris loquar, הָרְאָיָה בְּנוּיָה עַל אֶבֶן בֹּהוּ, *hæc probatio fundatur ſuper lapide vacuitatis*, ſi quidem pueri illi, modo fabula vera ſit, hanc vocem mutuarunt a capris ovibuſque: balatui enim proxima vox illarum.

Quamobrem Ausonius epigram. 76. in aliquem earum *bec* imitantem hos versus fecit:

Caprigenumque pecus, lanigerosque greges
Balatu aßimilas. &c.

Sane cum brutis degentes discere brutas voces dumtaxat debuerunt; ut Troglodytæ inter serpentes degentes iisque vescentes pro voce stridores habent, teste Plinio lib. 5. cap. 8. *adeo*, ut ejus verbis utar, *sermonis commercio carent. &c.* Optime *commercium sermonis* dicit, quoniam a commercio revera pendet. Quamobrem post vanum illud experimentum suam de antiquitate sententiam non deposuerunt Ægyptii. Æthiopes etiam perrexerunt autumare se πρώτους ἀνθρώπων γεγονέναι, καὶ πρώτους ὑπὸ τῆς γῆς ἐζωογονῆσθαι, *primos hominum productos fuiße, & a terra primos editos*, ut refert Diodorus Sicul. lib. 3. Neque Arcades cesserunt Phrygibus, cum ne quidem lunæ cederent, sed jactarent se phagineis cibis usos πρόσθε μήνης, *ante lunam*, ut refert in sua Cassandra Lycophron, vers. 476. unde dicti προσέληνοι, *antelunares*, quod se autumarent σελήνης παλαιοτέρους, *antiquiores luna*; e qua & præcedente voce æque absurda compositum fuit βεκκοσέληνος nomen, quo Aristophanes significat deliros & amentes. eos enim nuncupat βεκκοσελήνους in Nubibus act. 1. scen. 4. Quin Goropius Beccanus quadam cum hoc nomine conjunctus affinitate vocem βέκκος aut *bec* neque Phrygibus neque Paphlagonibus concedit, sed ut lingua Belgica, Germanica, & cæteræ a Scythica oriundæ cum iis de primatu merito contendant, vult in iis *bec panem* revera significare, ejusque vestigia premit Adrianus Schrieckius Rodornius Origin. rerumque Celticarum lib. 23. Sed, ut cum Clariss. Seldeno de diis Syris syntagm. 2. cap. 15. loquar, *delirium Goropianum nugis plusquam becceseleniacis est accensendum.*

Itaque omnibus historiis illis, & historicorum rationibus accurate expensis concedimus rationem cunctis hominibus esse naturalem; sed diversissimos esse illius rationis effectus agnoscimus. Quapropter licet homo ut rationalis, sit etiam sociabilis, & ad commercia quæ colloquiis peraguntur, natus; nihilominus neque eosdem edit sonos, neque eadem de iisdem rebus fert judicia, sed sua ratione & ad loquendum propensione diversimode utitur. Id saltem certissimum est ab illo tempore quo homo ab innocentia sua peccando excidit, & casu illo ita perturbatus est, ut densa caligine saucia mens laboraverit, judicium ejus

ejus nativam amiserit rectitudinem, & cæteræ facultates eximiis quibus pollebant dotibus spoliatæ fuerint: temerarium enim de præcedenti statu innocentiæ judicare secundum præsentem innumeris defectibus obnoxium; quandoquidem constat acumine ingenii Adamum innocentem rerum omnium naturas, naturalesque earum proprietates, ita penetrasse, ut convenientissima nomina ipsis dederit. Integritatis hujus hæres posteritas eamdem perspicacitatem nacta idem fecisset judicium de naturis & qualitatibus rerum, atque sponte convenientissimis ea etiam appellasset nominibus, & sic absque labore & studio eamdem omnes homines habuissent linguam. Nihilominus existimo extraordinariis Dei donis annumerandam Adami linguam, neque naturaliter eam ab ejus industria fluxisse. Licet enim in multis misere corrupta fuerit ejus indoles peccati malignitate, conservavit tamen proprietates mere naturales, & nulla est cujus aliquod non supersit vestigium: nullum autem pristinæ linguæ in ullo homine cernitur vestigium. naturaliter quidem omnes homines risu gaudium, fletu dolorem, exclamationibus variis interjectionibusque diversos affectus iisdem fere particulis efferre comperiuntur. Næ Ebræorum אֲהָהּ mentem attonitam designans Jud. 6—22. redditur a LXX. ἆ ἆ, & a Vulgata Latina Joel. 1—15. *a a a.* Sic הָהּ Ezech. 30—2. LXX. ὢ ὢ, & posset etiam exprimi αἲ vel ἢ ἤ. etiam ἦ ἦ Græcorum, ut *ah*! & *eheu*! Latinorum: sic הוֹ & הוֹי excitantes ad luctum aut vindictam, Amos. 5—16. LXX. reddunt οὐαὶ οὐαὶ, & Es. 1--24. similiter; Latina autem habet *heu*! Contra אִי luctum redolens Lament. 5--16. explicant LXX. per simillimum οὐαὶ, & in Vulgata per *væ*: denique הֶאָח insultantium in Ps. 31--21. a Græcis cum exiguo discrimine redditur εὖγε, & similiter a Latinis *euge*, & convenientius per similiorem vocem εἶα, & Latinam *eja*: quin אָח cum ἇ ἇ ἇ, aut *ha, ha, ha*, quæ risum ex subacto hoste testantur. Ratio autem convenientiæ illius in his affectuum inter omnes gentes expressionibus, petitur ex eodem modo, quo excitantur in corde humano: nam luctus & dolor illud semper contrahunt, gaudium contra dilatat, atque illa dilatatione aut contractione, quæ per fibras atque nervos ad sermonem subito extenditur, formantur inconditæ illæ voces, quæ similiter ex omnium hominum ore erumpunt. Nihilominus in illis ipsis inconditis clamoribus, hominum diversa constitutio potest aliquod discrimen afferre, & constantior similitudo est in eorum nutibus, & signis a ratione ad

 urgen-

urgentes necessitates exprimendas excogitatis, ut habent bruta animalia etiam quosdam sonos ejusdem speciei animalibus non ignotos. Itaque possunt homines convenientissimis signis, gestibus, nutu, & multiplici corporis motu significare invicem multa, sed communi lingua id nullo modo nunc possunt, quia a ratione & natura hæc signa fluerent; nulla autem in iis sunt naturalis linguæ indicia. Mihi igitur videtur verisimillimum, quod Deus creando hominem, illum constituerit perfectissimum, ita ut non tantum essentialia & necessaria habuerit, sed etiam utilia, commoda, & præsenti suo statui convenientia; sic adultum, & ætatis flore conspicuum non tantum eximia cognoscendi facultate fuisse præditum, sed etiam scientiis & varia cognitione illustratum & præcipue eleganti sermone compotem, quo cum uxore & liberis statim colloqueretur, Deum inprimis celebraret, & posteros omnes etiam doceret accepta ab eo beneficia. Itaque disertissimam animæ eruditæ interpretem habuit linguam, quæ omnia ejus cogitata sermone facundissimo prompte valuit exprimere, ut illustrissimo experimento Gen. 2-20. comprobavit. Sane Plato non dubitavit asserere aliquid divinum in primis nominibus observari, atque illa ὑπὸ θειοτέρας δυνάμεως ἢ τῆς τῶν ἀνθρώπων, *a potentia diviniore quam est humana, fuisse imposita*, in Cratylo. Ad nos quod attinet in his, quæ nos circumstant, crassæ ignorantiæ tenebris cæcutimus & instar cæcorum uni & eidem tramiti minime insistentes in avia ferimur, neque æqua de rerum naturis judicia ferimus, neque temeraria judicia nostra consequenter eadem ratione possumus exprimere: idcirco certo certius est, neque dari, neque posse dari linguam, quæ naturaliter omnibus hominibus conveniat, cum etiam sint animalia, plantæ, fructus, & opificia certis regionibus ita addicta, ut eorum non sit in aliis vel minima cognitio, quanto minus nomen, & proprietatum eorum elogium. Opus igitur est studio & industria ad linguas constituendas & addiscendas, & qui soli naturæ fideret, vix a mutis animalibus differret, & nutibus dumtaxat incertisque indiciis animi sui sensa significare cogeretur. idque omnibus hominibus constanter etiam nobiscum commune fuit, ut optime agnovit Diodorus Siculus: nam initio historiæ suæ ex præsenti hominum statu de antiquissimo differens scribit, primos homines vagos & palantes vixisse plantis & sylvestrium arborum fructibus, sed post multa a feris aliquandiu experta pericula agnovisse, quod expediret, ut ad mutuam sibi

opem

opem ferendam convenirent: τῆς φωνῆς δ' ἀσήμου, καὶ συγκεχυμένης οὔσης, ἐκ δὲ κατ' ὀλίγον διαρθροῦντας λέξεις, καὶ πρὸς ἀλλήλους τιθέντας σύμβολα περὶ ἑκάστου τῶν ὑποκειμένων γνώριμον σφίσιν αὐτοῖς ποιῆσαι τὴν περὶ πάντων ἑρμηνείαν. τοιούτων δὲ συστημάτων γινομένων καθ' ἅπασαν τὴν οἰκουμένην, οὐχ ὁμόφωνον πάντας ἔχειν τὴν διάλεκτον, ἑκάστων ὡς ἔτυχε συνταξάντων τὰς λέξεις. *Voce eorum ignota & confusa existente, postea paulatim formarunt dictiones, & constituentes inter se symbola unius cujusque rei circumstantis, notam sibi fecerunt omnium interpretationem. his autem societatibus per totum terrarum orbem constitutis, ipsis non fuit eadem vox aut lingua, unaquaque, ut occurrit, suas dictiones ordinante. &c.* Nullus dubito, quin sic sæpius in diversis regionibus contigerit, & contingere possit. Si duo enim infantes ante usum rationis & sermonis in aliquo deserto exponerentur, & ab aliquibus animalibus alerentur; (quod non est impossibile: feræ enim ipsæ catulis orbæ ægre ferunt in turgentibus mammis lactis copiam, & sola natura duce in os infantum, ut ante catulorum, eas sponte possunt inserere, infantesque fame impulsi eas similiter possunt apprehendere, sugere, & blandis demulcere palpationibus, quæ ad hæc officia indies magis ac magis feras etiam assuefaciunt) sic, inquam, expositi infantes atque educati novam sibi facerent linguam, quæ ad inconditas ferarum, cum quibus degerent, voces proxime accederet, & nutibus etiam & signis sensa sua, ut muti, significarent.

Hinc solemnis solvitur quæstio hæc; An voces ob innatas rationes, an ex solius institutionis beneficio usum obtineant? nullæ sunt enim rationes quæ proprie dici possint innatæ vocabulis, cum omnia a mero Dei illa suggerentis, aut hominum instituentium arbitrio orta fuerint. Sed ut signa quibus utuntur muti, quandam cum rebus significatis habent convenientiam, ut cum cælum manus elevatione & terram ejus demissione designant; sic verba etiam significationem rebus ipsis convenientem habere comperientur. Unde Socrates nuncupat ὄνομα *nomen*, μίμημα φωνῆς, *imitationem vocis*, quæ animæ desideria repræsentat, & μίμημα τοῦ πράγματος, *rei imitationem*, apud Platonem in Cratylo. Quin constituenda est distinctio inter linguam a Deo institutam, & eas, quæ hominum industria excogitatæ atque excultæ fuerunt. prima enim licet arbitraria, sibi constabat, & secundum sensus ejus vocabulis attributos rerum naturis apprime conveniebat: contra in linguis in solitu-

dinibus, & ab hominibus agrestibus sola necessitate duce adinventis, omnia confusa sunt & indigesta, frustraque in iis vel levissima rationis vestigia investigarentur; si quæ enim aliquando occurrunt, id fortuito & casu temerario debuit contingere. In iis autem quæ a gentibus cultioribus in rebus publicis bene ordinatis excultæ fuerunt, multa sunt vocabula sapienter excogitata, multæ etiam vocabulorum illorum convenientissimæ dispositiones; sed plurima etiam sunt temere, inconsulto, inepteque imposita, quia vulgo & artificibus est quoddam jus in linguas, & usus,

Quem penes arbitrium est & jus & norma loquendi,

iis plerumque favet, etiam in rebus gravissimis; ita ut nihil certum, aut constans de illis absolute possit definiri. Vix sane potest excogitari ulla res, quæ augustius nomen meruerit, quam manna; meram tamen obstupescentis vulgi exclamationem designat, nullumque ad panis illius cælestis naturam aut qualitates habet respectum, sed quia viso illo cibo statim exclamarunt Israelitæ מן, *quid hoc? man* deinceps dici perseveravit, saltem Græci interpretes sic reddiderunt τί ἐστι; Exod. 16. Quædam vocabula in linguis doctis majorem cum rebus ipsis videntur habere affinitatem. sic Festus vult, quod dicatur *Deus*, quia nihil ipsi *desit*: *cura*, quod *cor urat*: *frater*, quod sit *fere alter*: sic *vox* dicitur φωνὴ, quasi φῶς νοῦς, *lux qua mens lucet*. Mitto quod Socrates l. c. velit ipsas literas quibus vocabula constant, sua asperitate, lenitate, velocitate, &c. ad res veloces, lenes, aut asperas exprimendas passim adhiberi. quod rarum, in iis ipsis quibus nititur vocabulis Græcis, in aliis linguis consideratis deprehenditur major affinitas cum rebus in iis nominibus, quæ finguntur ad similitudinem soni, ut *sibilus*, *tinnitus*, *balatus*, *hinnitus*, &c. sic a campanarum vel lebetum sono *Dodona*, ut observavit Clariss. Grentomenilleus avunculus meus in sua Græcia; sic בקבוק, *bakbouk*, lagena angusti oris; *bombylius* est a sono effluentis liquoris, &c. Imprimis inter propria nomina virorum & mulierum plurima celebrantur, quæ eorum fatis apprime conveniebant, sed potuerunt post eventum ipsis assignata esse. Concludendum igitur, quod si vocabula quædam naturis rerum convenirent, in omnibus linguis eadem essent, & ab omnibus intelligerentur; illa autem ipsa quæ cum rebus quamdam perhibentur habere affinitatem, illam absolute non habent, sed dumtaxat linguæ cujusdam particularis respectu. Quamobrem debet constare omnes linguas partim industria

& usu,

& usu, partim exemplo primæ, cujus idea sive generalis species & variæ reliquiæ in antiquissimis linguarum auctoribus conservabantur, olim fuisse constitutas; primam autem a Deo fuisse Adamo infusam, cum statim ab initio illam habuerit, neque usu aut consensu ullius potuerit illam comparare, cum ante omnes, & solus aliquamdiu fuerit, quod validum ad illam agnoscendam argumentum infra suppeditabit.

Verum enimvero ex libera illa & sæpe fortuita nominum res designantium impositione convenit obiter observare, & colligere, quod vim nullam habeant ad ullos reales effectus producendos, neque fausta aut infausta ex se debere existimari. Itaque frustra sunt, qui judicant nomina Caji in Cæsarum familia, & Joannis Friderici in illustri Electorum Saxoniæ domo, fuisse funesta, quia Joannes Fridericus Saxoniæ dux a Carolo Quinto Imperatore bello superatus & in duram captivitatem redactus est, filiusque ejus nominis & sortis hæres eadem infortunia post viginti annos fuit expertus in sua urbe Gotha similiter captus, ac nepos etiam cognominis in exilio fuit extinctus: Caji vero Cæsares plurimi cæsi sunt. Calamitates enim a personis, non a nominibus earum originem duxerunt; unde innumeri iisdem calamitatibus obnoxii fuerunt, qui diversissima obtinuerant nomina. Licet addere, eadem nomina fundare nonnunquam, & evertere eadem imperia. Augustus enim imperium Romanum a Julio Cæsare non bene constitutum, in sua familia stabilivit; defecit autem in Augusto, qui propterea solet Augustulus nuncupari. Sic Constantinus Magnus Helenæ filius Constantinopolitanum erexit imperium, Constantinus autem Palæologus Helenæ etiam filius illud amisit. Similiter Balduinus regnum Hierosolymitanum condidit, & alter Balduinus perdidit, ut observant passim Historici. At quot imperia constituta & eversa absque tali similium nominum concursu? hæc exempla, quia rara, accurate observantur; alia quæ sunt creberrima, prætermittuntur. In similibus eventuum singularitatibus, quæ ex longa sæculorum serie colliguntur, luserunt antiqui, inprimis cum nomina propria tales eventus visa sunt præsagire. sic apud Euripidem in Phœniss. Eteocles Polynici fratri exprobrat nomen νεικέων ἐπώνυμον, *contentiones significans*, & apud Sophoclem in Ajace, percitus furore Ajax miserrimam in suo nomine deplorat calamitatem his verbis:

Αἰαῖ,

Αἰ, αἰ, τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον
Τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς;
Νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοί.

Ai, ai, quis unquam putaßet sic consentiens meum nomen convenire malis meis? nunc enim tempus est bis me proclamare Ajacem. Et paulo post illato propria manu vulnere occumbens dicitur δυσώνυμος Αἴας, *infaüsti nominis Ajax.* Sic filia Protei regis Ægypti dicta Θεονόη, *quia deorum mentem noverat*, nomine χρησμῳδῷ, apud Euripidem in Helena: & Θόας *velox* dictus, quia *velocitate* pedum mirabili pollebat, apud eundem in Iphigenia in Tauris: & Pentheus πένθει *luctui* acerbo obnoxius fuit, utpote qui discerptus fuit a matre furente, in Bacchis. Sed quis audebit propugnare hæc nomina a poëtis non fuisse excogitata post fabulas, quibus ut actores inserviebant. Iis præterea innumera possent opponi, quæ contrariam significationi suæ vim habere agnoscuntur, ut miliaria affinis milio herba quæ ipsum necat: aut δρακόντιον, *dracunculus*, innatam draconibus noxam non tantum nomine, sed etiam specie serpentem maculis purpureis conspersum referens, contra viperinos morsus efficax est, teste Dioscoride lib. 2. cap. 158. Non possum igitur absolvere a superstitione celeberrimum Confutium Sinensium sapientem, qui sitibundus non potuit induci, ut biberet e fonte infame a *latronibus* nomen habente, ob summum in latrocinia suum odium, quasi inani hoc nomine aquæ polluerentur; referente Nieuhoff. in Legat. Holland. ad Sinas part. 1. pag. 173. Quid si per lusum dumtaxat dictus *fons* ille *latronum*? Sane innumera nomina sic solent imponi. ita Tamerlanes olim urbem *Serachiam*, & filium *Sarachum* nuncupavit, quia illam conditam, & hunc natum filium audivit, cum latrunculis ludens adversarii regem teneret obsessum, qui casus ejus lingua *sarache* dicebatur, prout refertur in ejus Historia lib. 2.

Idcirco Galeno medicorum principi quosdam morbos verbis curari posse existimanti minime possum assentiri; si qui enim mirabiles prosperique effectus verba carminave ad id composita sequantur, existimare debemus eos procedere a causis latentibus, remediisque occulte exhibitis ab illis, qui carmina sua ostentare volunt. Minime tamen inficior, quod ibidem ipse observat, stupendos effectus nonnunquam produci ab ipsis ægrotorum affectionibus, qui rem aliquam ardenter exoptant, magnam ex ejus fruitione capiunt voluptatem, quæ vires sopitas & lan-

languentes valet suscitare, curationique prodesse; similiter qui carminibus ac incantationibus aliquam adhibent fidem, cum tanta confidentia & spe iis possunt uti, ut aliquod emolumentum eorum opera ad eos redundet; sed illud emolumentum eorum persuasioni sive errori potius quam carminibus attribuere convenit, cum carmina inania sint, atque iis imaginaria vis dumtaxat conveniat.

CAPUT VII.

De prima lingua ceterarum origine.

Um nulla sit lingua naturalis, & primus homo statim a creatione sua cœperit loqui cum Deo, & cum sua conjuge, non potuit usu & communi aliorum hominum consensu linguam suam comparare. Quin varii defectus, qui in linguis, industria humana partim constitutis, animadvertuntur, satis evidenter demonstrant primævam illam linguam, quæ nomina rebus omnibus convenientissima ipsi suppeditavit, fuisse divinitus infusam: minime enim verisimile est, perfectissimam potuisse illum constituere linguam in instanti, quoniam ejus posteri exemplo ejus linguæ edocti, & longa experientia illustrati, vix imperfectissimas composuerunt. Itaque quemadmodum cœlos, astra, maria, pisces, aërem & volucres, terram cum animalibus, plantis, arboribusque abundanti frugum copia onustis ante hominem condidit, ut edito nihil deesset; sic lingua etiam præparata, ut ratio ejus ab origine sua matura sermonem illico edere valeret, atque sensa sua facunde exprimeret. Nempe sermo mentis partus est, & non minus conveniebat menti, quam plantis flores aut semina, & arboribus fructus. Nonne etiam aves creatæ sunt cum sonoris suis cantibus, & animalia cum inconditis, quos eodem modo & in omnibus terræ regionibus edere consueverunt, clamoribus sunt condita? Cur solus homo, cui sermo longe magis est necessarius, eo caruisset, linguamque habuisset inexpertem, cum creaturæ etiam elingues aliarum cantibus resonarent? Vidimus quod *vox* dicitur φωνὴ, quasi φῶς νοῦς, *lumen mentis*; sed an inanima sydera lumine suo illustria totum orbem illustrassent, & divina hominis mens inerti caligine

obſita ignominioſe jacuiſſet? in *pirke aboth* cap. 5. §. 6. legimus quod עשרה דברים נבראו בערב שבת בין השמשות, *decem res creatæ ſunt in veſpera ſabbati inter duos ſoles*, ſive in crepuſculo ultimi creationis diei, & cum immineret ſeptimus illam terminans. inter illas autem refertur הכתב, *ſcriptura*. i. interprete R. Bartenora צורת האותיות שהיו חקוקים בלוחות, *figura literarum quæ erant inſcriptæ in tabulis legis*: & המכתב, *ſcriptum* ipſum, quod eodem Rabino etiam interprete היו נקראים מכל הארבע צדדים, *legebatur ex quatuor lateribus*. Immo R. Eliezer in *pirke* ſuis cap. 3. dicit ſcripturam conditam ſecundo creationis die: non potuit autem dubitare linguam jam præordinatam, cum ſcriptura ipſi miniſtretur, eamque ducem ſequatur. Denique officium homini proprium ſermonem abſolute requirit: ipſe enim conſtitutus eſt interpres ceterarum creaturarum, ut Deum in hoc mundi templo indeſinenter celebraret. Puris mentium conceptibus ipſum colunt angeli; cæli, aſtra, elementa, arbores, plantæ, & animalia ipſa cæcis aut mutis obſequiis ejus gloriam promovent; at ſolus homo, qui his obſequiis fruitur, & conſpicuam in ipſis Dei potentiam & ſapientiam intuetur, agnoſcitque, poteſt illum dignis celebrare laudibus. Id adeo perſpicuum, ut naturali luce agnoverit & docuerit Orator Romanus in ſomnio Scipionis, & Macrobius lib. 1. cap. 4. hanc veritatem ab ipſo acceptam ſic deſcripſerit: *Quidquid humano ſubjicitur aſpectui, templum ejus* (Dei) *vocavit, qui ſola mente concipitur; ut qui hæc veneratur ut templa, cultum tamen maximum debeat conditori, ſciatque quiſquis in uſum templi hujus inducitur, ritu ſibi vivendum ſacerdotis. &c.* Judicet nunc Lector, an templo huic auguſtiſſimo convenire poſſit ſacerdos mutus & elinguis? Templum Hieroſolymitanum breve ingentis hujus templi compendium æſtimatum eſt: integerrimum tamen, & omnibus corporis animique partibus compotem exigebat pontificem, Levit. 21—17. & Rabini inter defectus ab altari ſuo arcentes vocem minus, quam par eſt, ſonoram, referunt. Summus igitur & unicus veri ſanctuarii pontifex mutus & elinguis eſſe non potuit, ſed contra diſertiſſimus, ut dum ceteræ creaturæ ipſi miniſtrabant, innumeraque divinæ ſapientiæ & omnipotentiæ exempla oſtendebant, earum vice & nomine benigniſſimum creatorem celebraret.

Hinc divinitus conceſſæ illius linguæ dotes demum ſunt æſtimandæ: ab omnis perfectionis auctore enim perfectiſſima dona ſemper obtinentur,

tur, & perfectiſſima inſuper eſſe debuit lingua, quæ ceterarum origo atque exemplar eſſe debuit, & ſine cujus ope vix ullam unquam homines potuiſſent componere. Si qui enim in confuſione, verbi gratia, Babylonica, omnem hujus linguæ cognitionem amiſerunt, ideas tamen illius confuſas potuerunt conſervare, & rudimenta quædam ad aliam excogitandam utiliſſima; quoniam ſufficit pauca verba noviſſe, & unum aut alterum ſcripſiſſe, ad ſcripturæ modum & linguæ alicujus rationem comprehendendum. ſcilicet facile eſt inventis addere. Verum æqui rerum æſtimatores debent judicare ante omnem ullius linguæ notitiam aut uſum, impoſſibile hominibus etiam ingenioſiſſimis fuiſſe ullum linguæ, aut ſcripturæ, conceptum, quantumvis confuſum formare. Eſt ſane aliquid manifeſte divinum in linguis, & literis, neque finitæ mentis fuit infinitos vocis ſonos paucis literarum notis terminare, ut cum Cicerone loquar 1. Tuſcul.quæſt. §.62. Neque a vero aberravit Pythagoras, ſummæ ſapientiæ etiam fuiſſe convenientia innumeris rebus imponere nomina, quæ cunctis hominibus arriderent, aſſeverando. Facillimæ quidem nobis videntur linguæ noſtræ, facillimæ etiam variarum literarum diſpoſitiones, quia iis longo uſu aſſuevimus; attamen modo iis tantillum attendamus, eas omnem ſuperare admirationem illico animadvertemus. Quid enim amabo eſt admirabilius, quam viginti duabus literulis omnia totius naturæ opera deſcribi; ſcientias atque artes perſpicue edoceri; negotia omnia diſtincte geri; politica arcana tegi, & cum libet, explicari; divina denique & humana jura magnifice enarrari? His literis a multis annis utimur omnes, ſed adeo negligenter, ut ſi nobis dicendum eſſet, in quot diverſos modos ordinari poſſent, pauciſſimi facerent, plurimi hæſitarent, & vix unus aut alter iis qui ſupputaverunt, fidem valeret adhibere. Id tamen ſtatim ab initio earum auctori providendum fuit, ne ulla res inenarrabilis remaneret, & rebus nomina, nominibuſque omnibus literæ ſufficerent. Sane Xenocrates apud Plutarchum Sympoſ. lib. 9. Problem. 9. hanc ſupputationem eſt aggreſſus, & poſt accuratum examen reperit, literas Græcas vix a noſtris differentes, diverſimode ordinatas poſſe conficere centies millia, & ducenta millia variarum vocum nomina. Ceſſemus itaque obſtupeſcere audiendo centum & viginti mille characteres Sinenſibus ad docte & expedite loquendum eſſe neceſſarios, vixque totum vitæ eorum curriculum ad illos omnes addiſcendos ſufficere, & miremur po-

ius XXII noſtras totidem & longe plura nobis ſuppeditare, quæ inſuper adeo faciles ſunt, ut horæ ſpatio poſſint agnoſci & edoceri. Ut divinum beneficium & immenſam divini auctoris ſapientiam in iis grato animo agnoſcamus. Illa ipſa documenta præbere debuit mirum ſermonis artificium, quo innumera vocabula nobis ſuppetunt ad res omnes obvias prompte & expedite exprimendas. Cum intendo ad illud inæſtimabile beneficium mentem, vix novæ alicujus ſpeciei creatio mihi videtur difficilior, & viribus humanis ſuperior. A quo quæſo nomine hominum ſolertiſſimus experimentum faceret? Forſan a Deo rerum omnium principio incipere prudenter conſtituiſſet. at incomprehenſibiles ejus dotes deſperationem illas exprimendi peperiſſent, & profundum indixiſſent ſilentium. Ad res creatas igitur ſe conferre debuit. ſed innumerabili earum multitudine confuſus ſtatim deſtitiſſet. Quin licet dubitare, an ulla vocabula poſſint concipi, antequam ipſa aut ſimilia audita fuerint. Unde enim eorum ſpecies, ſi a creatore inditæ non præſupponantur? Immo an concipi poſſunt, antequam pronunciari poſſint? Quare non dubitabo propugnare, quod homo ſermonis omnino rudis & inexpertus nullum vocabulum expedite diſtincteque valeret pronunciare, ſed inconditos dumtaxat ederet ſonos; ita ut ſimul magiſtri & diſcipuli partes ipſi agendæ fuiſſent, debuiſſetque leges ſermonis condere, & primis ejus rudimentis ſimul exerceri, quod proxime ad contradictionem eſſe & non eſſe de iiſdem rebus aſſerentem videtur accedere.

CAPUT VIII.

An prima lingua ſuperſtes maneat?



Eceptam ab antiquis & recentioribus auctoribus de linguarum multiplicatione, in campis Babylonicis, ſententiam amplectimur; atque exiſtimamus ex propriis ſacri Codicis verbis evidenter fluere, שָׂפָה אֶחָת וּדְבָרִים אֲחָדִים, *labium ſive ſermonem unum & eadem verba*, adhuc obtinuiſſe in toto terrarum orbe, cum turris Babylonicæ inſanum opus aggreſſi ſunt homines, ut patet Gen. 11—1. Græca LXX Interpretum

ver-

versio significantiorem expressionem non videns illam penitus imitata est: ἦν πᾶσα ἡ γῆ χεῖλος ἕν, *erat omnis terra labium unum.* quod non tantum omnem dialectorum diversitatem excludit, sed omnem etiam diversitatis in pronunciando suspicionem, quia eadem labia ne ipsum quidem patiuntur discrimen, quod inter duos fratres uterinos ob variam oris constitutionem potest observari. Additur praeterea καὶ φωνὴ μία, ut sonus verborum tunc usitatorum non dumtaxat similis, sed ipsissimus existimetur. Targum Onkelosi reddidit: לִישָׁן חַד וּמַמְלָל חַד, *linguam unam & sermonem unum*, ut quaecunque ad loquelam concurrere debent, eodem modo affecta repraesentarentur. Versio autem Syriaca, quae antiquissima creditur, praefert hunc titulum: ܦܘܠܓܐ ܕܠܫܢܐ, *divisio linguarum*, ad praeparandos ad imminentem mutationem animos, & significandum unam illam linguam, quae homines in contrarias sententias distractos, impiam nempe & ad omnia scelera sponte ruentem Chami prosapiam cum fidelibus Semi nepotibus hactenus sociaverat, in varias linguas deinceps dividendam, quo a se invicem discederent, atque secundum diversa eorum eloquia diversas constituerent gentes. Sane tota historiae series eo tendit: nam unius illius linguae opera colloquuntur, & deliberant futuri Babylonicae turris architecti, videnturque irridere propositum ipsis varias occupandi terras consilium. Nempe ut postea Abrahamus ad vitanda jurgia auctor fuit Lotho nepoti, ut eligeret regionem, quae ipsi magis arrideret, quo ipse oppositam peteret; ob eamdem rationem pacifici Noachidae a turbulentis & ferocibus Chamidis potuerunt efflagitare, ut partirentur orbem & liceret unicuique legitimam partem occupare, ne in eadem regione conglomerati sibi invicem molestias crearent. At conjurati regerunt: Faciamus antea turrim ad caelum usque penetrantem, ut sit illustre nostrae potentiae monumentum, & signum ad quod possimus confugere, cum opus erit adunari. Quam ob superbiam iratus Deus dicit ἀνθρωποπαθῶς, & secundum nostrum agendi modum: Conjuratus hic populus, populus unus est, & uno eodemque sermone fretus opus temerarium aggreditur; ac tanta est illius pertinacia, ut constet a proposito non recessurum absque aliquo obstaculo, quod non valebit superare. Descendamus igitur, & נָבְלָה שָׁם שְׂפָתָם אֲשֶׁר לֹא יִשְׁמְעוּ אִישׁ שְׂפַת רֵעֵהוּ, *confundamus ibi labium eorum, ut non audiant unusquisque labium socii. &c.*

Lingua eadem conſpirationi occaſionem dederat, inde merito debuit confundi, ita ut non intelligeretur, & verba inconditum inſuetumque ſonum auribus ingererent: nempe בָּלַל, eſt *miſcuit*, & *diverſas res cum aliis confudit*, ita ut diſcerni nequeant; hinc Levit. 20—12. תֶּבֶל, *permixtio ſeminum inceſtorum*, quam lex & ipſa natura abhorrent, nuncupatur, & 21—20. תְּבַלֻּל, *macula* in oculo, quæ perturbat viſum, & confuſionem in objecta ipſi impreſſa induceret. Sic novæ ſyllabæ primigeniis vocabulis immiſſæ, & vocabula ignota notis permixta linguam primitivam vitiarunt, effeceruntque ut alter alterius ſermonem non amplius intelligeret. Quod Græci convenientiſſime his verbis ſignificaverunt: *συγχέωμεν ἐκεῖ αὐτῶν τὴν γλῶσσαν.* immiſſio enim & ſyllabarum & alienorum vocabulorum fuit revera *σύγχυσις*, & confuſio maxima in ſermone, meritoque hoc ipſo nomine deſignata eſt *Babel*, quæ vox ad omnigenas confuſiones ſignificandas deinceps adhibita eſt. Onkelos habet נְבַלְבֵּל, quod verbum ingrata ejuſdem ſyllabæ repetitione ineptum corruptarum vocum ſonum non obſcure repræſentat. Manifeſtius tamen in effectis conſpicitur, quoniam hac ratione perturbatus ſermo cœptum opus perturbat, & architecti juſſa ſua operariis non valentes declarare, ſolitum obſequium minime obtinuerunt, ſed tam hi, quam illi ſubita hac, atque hactenus inaudita mutatione perculſi ab incœpto deſtiterunt, & iis, quos intelligebant, & a quibus intelligebantur, conjuncti novas ſedes quæſiverunt. Hac ratione totus terrarum orbis dividi, & paulatim incoli cœpit, linguarumque multiplicatio divinum conſilium, cui una lingua adverſabatur, deduxit ad effectum. In hoc autem multiplicem Dei convenit admirari ſapientiam, quæ dividendo & multiplicando linguas impiam Babelis ſtructuram diſturbavit; ſanctiſſimam vero oppoſitæ Eccleſiæ ædificationem, diviſis linguis & multiplici diverſarum gentium eloquio Apoſtolis divinitus conceſſo, feliciter promovit, ut refertur Act. 2.

Nihilominus nollem propugnare illo ipſo momento LXX linguas ſecundum Noachidarum numerum fuiſſe perfecte inſtitutas: mihi ſufficit tantam in primæva factam mutationem, ut ad requiſita inter operarios colloquia non ſuffecerit, ſed multas inter eos turbas excitaverit, atque eos ad neceſſitatem optatum opus deſerendi adegerit. Quoniam illa turris iram Dei provocaverat, certum eſſe debet, mutationem linguæ inter operarios majorem fuiſſe, quia in pœnam ipſis inflicta eſt: itaque

que alii potuerunt necessaria exercere cum vicinis commercia. Quin verisimile est maximam antiquorum vocabulorum partem a plurimis fuisse conservatam, cum paucissimæ sint linguæ, quæ aliqua adhuc non possideant. Sensim igitur linguæ a primæva degeneres illius genium, dotes, & omnes pristinæ affinitatis notas exuerunt, & quo longius ab ea recesserunt, eo evaserunt dissimiliores; quæ contra vicinas regiones in quibus obtinuerat, occuparunt, minus diversæ perhibentur. Quod probat frequentia cum Ebræis commercia illis profuisse, & nocuisse desuetudinem. Attamen non minuit vim miraculi in momento exertam. Miraculosa enim fuit transmutatio aquæ in vinum Canæ Galilææ a Christo subito facta, Joan. 2. licet humorem e terra in vitis fibras delatum videamus pedetentim vinum fieri, & in uvis rubescere: miraculosa similiter videri debet subita illa linguæ permutatio, quæ consensum turbavit ædificantium, quamvis illa permutatio minor fuerit in iis, qui vicinas regiones incolere perseverarunt, quod jam indicium est primævam linguam penitus non fuisse abolitam.

Duplici modo autem una lingua superstes esse judicatur, nempe in usu vulgari alicujus gentis, ut lingua Germanica, Belgica, & Gallica superstites sunt; vel in libris, & aliis monumentis, quæ linguas a communi usu remotas diu feliciter ab oblivione tuentur, ut lingua Græca & Latina in facundis Græcorum & Latinorum historiis & doctissimis commentariis illustres de funestis edacis temporis morsibus triumphos agunt. Primo modo existimamus linguam primævam penitus defecisse, & a plurimis sæculis nullibi in usu communi ab ulla gente usurpari: de altero etiam modo multi, celeberrimique viri affirmare non dubitant. Sic Hugo Grotius in Gen. 11—15. statuit *verius primævam linguam nullibi puram extare, sed reliquias ejus esse in linguis omnibus, &c.* ejus vestigia etiam premit Clarissimus Huetius, & post enarratas linguæ Ebraicæ diversas dotes & prærogativas scribit, Demonstrationis Euang. propos. c. 13. 9. 2. *Hæc quantumvis credibilia, & similia veri, non me absterrent tamen, quin de linguæ Ebraicæ origine aliter existimem, ac vulgo existimatur. Sic enim sentio, non aliam fuisse, quam Chananæam ipsam, unam ex iis, quæ ortæ sunt ex Babelica confusione; pristinam vero illam & primigeniam, quæ ante confusionem linguarum obtinebat, quum terra omnis erat labii unius & sermonum eorumdem, vel funditus interiisse, vel in alias linguas esse disseminatam, vel si perseveravit integra, ecquænam illa*

illa fuerit, Assyria, an Chaldæa, an alia quævis, absque temeritate assignari non posse. &c. Tantis superba patronis hæc sententia ab antiquitate insuper nonnullam mutuatur auctoritatem, cum illam propugnandam susceperit Gregorius Nyssænus orat. 12. contra Eunom. neque etiam ab illa se alienum præbuerit Theodoretus quæst. 61. in Genes. Sic enim suam explicat sententiam Gregorius Nyssænus: Ὁ τοίνυν Μωϋσῆς πολλαῖς ὕστερον γενεαῖς τῆς πυργοποιΐας γενόμενος μιᾷ τῶν μετὰ ταῦτα κέχρηται γλώσσῃ, ἱστορικῶς τὴν κοσμογενείαν ἡμῖν διηγούμενος, καί τινας τῷ Θεῷ προσάπτει φωνὰς τῆς ἑαυτοῦ γλώσσης, καθ' ἣν πεπαίδευτό τε καὶ συνείθιστο. *itaque Moses multis sæculis post turris ædificationem natus, una ex posterioribus lingua usus est historice nobis mundi creationem exponens, atque aliquas voces Deo attribuit ex illa propria lingua in qua institutus est & assuetus. &c.* Patet existimasse, Mosem retulisse nova sua lingua, quæ in libris suis habemus, ex eaque etiam mutuasse verba, quæ ex ipsius Dei ore excepisse nonnunquam videtur. Additur etiam Theodoretus, qui quæstionibus suis in Genesim linguæ Syræ primatum tribuit; sed cum Adami, Caini, Habelis, & aliorum Patriarcharum nomina quæ Ebræa sunt, linguæ Syræ attribuat, illam forsan ab Ebræa non accurate distinxit.

Liceat nobis exhibita summis illis viris debita reverentia in rei veritatem inquirere, & absque ullo contentionis studio, sed unico legitimæ sententiæ desiderio eorum argumenta accurato subjicere examini. Sane eos omnes suspicimus, & præcipue celeberrimum Huetium, cum quo intercedit mihi sincera amicitia a multis annis exculta, & continuis officiis reciproce confirmata, ita ut gratis ab eo dissentire non ferat animus; sed vicissim generosa ejus amicitia non ferret ignavum assentatorem, qui vim faceret menti suæ, & negligeret in lucem emittere rationes, quas contrariæ sententiæ favere existimat.

Itaque fateor ingenue, quod non possum a me impetrare, ut credam primævam linguam, ingens creationis divinæ ornamentum, opus ad creatoris sapientiam celebrandam præ ceteris idoneum, & cæterarum linguarum postea ortarum exemplar, penitus periisse ob superbum Babylonicæ turris propositum. Video enim plurima Dei judicia in reos severe exercita, sed inter severioris justitiæ exempla semper quædam gratiæ indicia elucere. neque amat misericors ille judex illa ipsa dona, quibus ingrati homines abutuntur, ita abolere, ut nulla eorum vestigia

super-

ſuperſint; ſaltem cum ſuperſunt, qui iis bene uti poſſunt, atque deſiderant. Nullum quidem Paradiſi terreſtris veſtigium, ſed nulli erant in terra homines, præter illos qui rebellione ſua illum polluerant, & indigni pretioſiſſimis pignoribus innocentiæ ſoli conceſſis evaſerant; Patres tamen plurimi conſervatum volunt, & eo adhuc potiri Enochum & Eliam Pontificii arbitrantur, ut videre eſt apud Bellarminum de gratia primi hominis cap. 11. Potuiſſet uſus primævæ linguæ ipſis pariter concedi, & in eorum gratiam ſaltem conſervari, quandoquidem per tot ſæcula ſoli degere debeant, atque injucundum ſine ejuſdem linguæ beneficio eſſe debeat eorum conſortium. Potuit, inquam, abſque ullo querelæ prætextu omnino aboleri Paradiſus terreſtris ad hominis integri felicitatem productus ac exornatus, ſiquidem peccatoribus non conveniebat, præcipue ob ſanctiſſima perennis gratiæ ſacramenta in eo conſtituta, quia a reis abſque horrenda prophanatione deinceps uſurpari non potuerunt; unde illico ex hoc Paradiſo extrudi Deus curavit, appoſuitque ad obſidendum iter Cherubinum gladio ignito armatum Gen. 3—24. Quare, aut ſemper huic miniſterio alligari debuit Angelus, aut, quod probabilius, Paradiſus vaſtari, utpote qui nulli uſui deinceps futurus erat, poſt innocentiam & illibatam ſanctitatem e terra eliminatam. Verum enimvero ſi veriſimile quibusdam viſum potuiſſe aſſervari, etſi futurus deinceps inutilis ille Paradiſus, quomodo potuit aboleri lingua a Deo inſtituta ob quorumdam rebellium dumtaxat delictum? quamobrem non potius conſervata eſt in gratiam eorum qui ea utebantur ad vota pie nuncupanda, ad preces fundendas, ad laudes Dei celebrandas, & ad beneficiorum memoriam conſervandam? Merito igitur potuit ſancta illa lingua ex memoria rebellium ea ad conjurationes ſuas abutentium deleri, ut confuſis eorum ſermonibus a ſe invicem ſepararentur; ſed conveniebat conſervari in gratiam piorum, ut juſtitiæ ſeveritas manifeſtius appareret in conſortio miſericordiæ innocentiam protegentis. Ita ex univerſali ſtrage, quæ univerſum terrarum orbem aquis oppreſſit, conſervata eſt pii Noachi familia; ita ex Sodomitico excidio ereptus cum filiabus Lothus; ita ex innumera rebellium Iſraelitarum multitudine quæ in deſerto occubuit, exempti ſunt Caleb & Joſua; ut inter ſæviores ultionis pœnas gratiæ locum ſemper eſſe conſtaret. Hæc & infinita exempla ſimilia clamant ab inundante ora impiorum confuſione liberari debuiſſe linguam ſanctam, ut

pios ab illis deinceps ſecerneret, atque inter ſe uniret ad colendum Deum, & laudes invigilantis eorum conſervationi providentiæ celebrandas.

Sane patrii ſermonis conſervatio beneficiis annumerari meruit, & Juno conſtanter favens Latinis & Trojanis ſemper inimica a Jove ſimile obtinere ſatagit, Æneid. lib. 12. his verſibus fini proximis:

Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucroſque vocari,
Aut vocem mutare viros, aut vertere veſtes.

Præterea ſummæ Dei ſapientiæ minime convenit unam jam exiſtentem linguam abolere, cum judicat neceſſarium diverſas inſtituere, & multiplicare ſermones ad conſilia rebellium diſſipanda, eoſque diſpergendos per varias mundi regiones; id enim eſſet multiplicare miracula ſine neceſſitate, & fruſtra agere, cum lingua primæva non minus eſſet idonea ad dividendos a ſe invicem homines quam ceteræ, ſufficeretque eam deleri e memoria eorum qui ejus uſu indigni habebantur, atque inter fideles, ut antea, conſervari, quoniam ab illorum conſiliis ſemper abhorruerant. Forſitan id nimiam in Deo videbitur redolere parcimoniam; at prodigalitatem ipſi convenire non arbitror, & licet inexhauſti ſint ejus theſauri, opes tamen ſuas non amat dilapidare. Hinc Chriſtus, qui panes piſceſque ſimplici nutu multiplicaverat, Math. 14-19. & 15-36. poſt ſaturata multa auditorum millia reliquias eorum ſuperſtites juſſit accurate colligi, atque aſſervari; ſoletque ſuas ita dirigere actiones, ut nobis ſint exempla ad imitationem propoſita. Quamobrem beneficia ſua non negligit, ut doceat ea nobis eſſe curanda & magni facienda. Audimus ipſum dicentem Luc. 16-17. quod *facilius eſt terram cœlumque præterire, quam legis ſuæ unum apicem excidere.* adeo pretioſa ſunt ipſi quæ ad veritatem & fidem pertinent. Si autem unius legis apicis conſervatio coram ipſo majoris eſt momenti, quam terræ cælique ipſius exiſtentia, quantopere ipſi momentoſa videri debuit conſervatio linguæ, qua gratiæ pignora, fœdus ipſum, & auguſta religionis ad extremum mundi finem propagandæ myſteria continebantur?

Unum cum aliqua rationis ſpecie dici poteſt, nempe hanc linguam conjurationis rebellium ream fuiſſe, & conſequenter exitio æterno damnandam, quemadmodum ſerpens æneus, auguſtum licet favoris Dei monumentum, confractus eſt ab Ezechia, poſtquam ipſi adoleverunt

runt Iſraelitæ, hocque ſuo cultu idololatrico ipſum contaminarunt, 2. Reg. 18-4. Non abutar ad amoliendam hanc objectionem auctoritate Gregorii II. pontificis Romani, qui in epiſtola ſua ad Leonem Iſaurum imperatorem præfixa actis ſeptimæ Synodi, Nicænæ II. dictæ, in regis illius facinus acriter invehitur, & pertinaciam illius furori imperatoris iconoclaſtæ ſimilem fuiſſe autumat; pudet enim nos ejus temeritatis, quæ damnat, quod S. Spiritus manifeſſime laudat, & ignorantiæ, quæ Oziam inEzechiæ locum ſubſtituit, & ſerpentem illum cum arca in templum a Davide collocatum fuiſſe vult, antequam templum a Salomone conditum exiſteret. Sed doctores cæcos cæcæ requirunt imagines. Reſpondebo igitur, diverſiſſimam fuiſſe linguæ primævæ, & ſerpentis ænei operam. Directum enim fuit ſerpens ille idololatriæ objectum; at lingua primæva per accidens, & innocenter inſervivit rebellium conſpirationi; neque alio modo rea, quam os & aures & varia inſtrumenta ad promovendam rebellionem adhibita, quæ interitui non ſunt adjudicata. quin ipſe campus conſervatus eſt. Debuiſſet tamen hic peſſundari, & os ad perpetuum ſilentium, aureſque ad ſurditatem damnari, antequam lingua abſque iis innocua ad ſempiternum exitium damnaretur. Addam ſerpentem æneum poſt fugatos deſerti ſerpentes quorum vulneribus medebatur, inutilem fuiſſe, & ut monumentum priſtini miraculi fuiſſe aſſervatum; quare ſimulatque nocere cœpit, & idololatriæ anſam præbuit, aboleri meruit, ne ſopitam foveret, & iterum excitaret. At ingentem utilitatem præbuit lingua primæva, neque amplius potuit valere ad illius exterminium, rebellium ſcelus, quam pietas fidelium ad illius conſervationem. Sane longe propenſior eſt Deus in piorum favorem, quam in facinoroſorum pœnas; unde cum de excidio Sodomæorum deliberaret, ſe toti civitati parciturum declaravit, ſi decem juſtos dumtaxat inter innumera impiorum millia nanciſceretur, Gen. 18. Si igitur linguæ primævæ abolitionem vindex juſtitia ſollicitaſſet iiſdem rationibus, quibus Abraham tunc in gratiam piorum, miſericordia interceſſiſſet, dixiſſetque, *An erit juſtus ſicut impius? abſit a te. An judex totius terræ non faciet juſtitiam?* Immo meritam etiam pœnam penitus tulit lingua primæva: ſi quis enim fuit ejus reatus, in hoc ſitus fuit, quod adunavit rebelles. at diviſos illos linguarum multiplicatione deinceps regere non potuit, ſuum in eos jus amiſit, & fidelibus, quibus rebellandi anſam non præbuerat, propria dumtaxat remanſit.

Validum a pietate Semi, Eberi, & liberorum insuper argumentum ducitur ad probandum primævam linguam inter eos permansisse superstitem. Verum licet dicere, gratis & sine auctore affirmari Semum, aut Eberum Babylonicæ conspirationis participem non fuisse, & pro fidelitatis præmio linguam illam conservavisse. Revera quæ gratis & sine ratione præsupponuntur, non sufficiunt ad sententiam alicujus momenti statuminandam. At posita extra omnem dubitationis aleam nobis videbatur constituta Semi, aut Eberi pietas; siquidem non potest ab illis excludi, quin a ceteris illius ævi hominibus simul excludatur, quoniam præ ceteris celebrantur, & eorum opera dumtaxat sincera fides, cultusque divini norma a Noacho ad posteros potuit derivari. Defecisse igitur cultum Dei, fidemque, ac pietatem possumus existimare? reclamat Villalpandus Apparat. urb. ac templ. part. 2. lib. 2. disp. 3. cap. 20. *Oppositum*, inquit, *tenere admonet ecclesia Catholica, cujus sanctitatem ideo profitemur, quod justos ab Abele justo usque ad sæculi consummationem defuisse, deesse, aut defuturos nunquam credamus.* Et revera Deus nunquam ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν, *se absque testimonio reliquit*, Act. 14-16. ne quidem apud gentes, quanto minus inter eos, ex quibus ecclesia constabat, quique ad ejus propagationem destinabantur. Sem autem ita ad ecclesiam pertinuit, ut tabernaculum ejus designet ecclesiam ipsam in inclyta illa benedictione Noachi, *Habitet in tabernaculis Semi*, Gen. 9-27. de Japheto gentium patre, & qua gentium vocatio ad fidem primo declarata est. Optime enim S. Chrysostomus in Gen. hom. 30. observat insuper utriusque nempe Semi & Japheti benedictione τῶν δύο λαῶν αἰνίττεσθαι τὴν κλῆσιν, *utriusque populi vocationem significasse*, quia a Semo Abrahamus & Judæi, ut maxima pars gentium a Japheto. Capita igitur utriusque ecclesiæ non sunt decoribus domesticis pietatis & fidei spolianda; siquidem simul non potuerunt pertinere ad S. Ecclesiam, & impiis rebellium conciliis initiari. Quamobrem tunc defecisset prorsus ecclesia, si hi ecclesiæ primipili in castra rebellium transivisse existimantur. quod repugnat, eo imprimis tempore, quo carnalibus generationibus promissiones inhærebant, & ordinariam successionum seriem sequebantur.

Textus sacer luculentum præterea præbet testimonium sanctorum horum patrum innocentiæ, cum sic repræsentat judicialem Dei processum, Gen. 11-5. *Descendit dominus ad videndum civitatem & turrim quam ædifi-*

ædificabant filii hominum. &c. Quinam autem fuerint illi filii hominum, docet evidenter caput 6-2. ubi in duas classes distribuuntur homines. qui enim divino cultui vacabant, & exemplo Enosci Dei nomen inclamabant, & ab ipso denominabantur, dicuntur *filii Dei*; ceteri vero, qui humanis cupiditatibus immersi impie vivebant, *filii hominum* nuncupantur. *Filii Dei*, inquit Moses, *depereunt filias hominum*, & ut nihil nisi humanum in hac historia fingamus, additur eas ducendo in uxores divinam excitasse indignationem. Quod non considerasse illos, qui nescio quos amores Angelorum commenti sunt, patet. quamvis enim suspicari liceret Angelos capaces tangi muliebri forma, nemo tamen unquam in animum inducet suum, eos connubia cum mulieribus inivisse, & procreasse posteritatem, quæ ob scelera aquis diluvii submergi debuit. Filii igitur Dei fuerunt filii Sethi ab Ecclesia Deo geniti, quique ut consanguineus Enosc ob suam in Deum fidem & religionem, *filii Dei*; & consequenter *filii hominum* per oppositionem dicti rebelles Caini fratricidæ liberi. Neminem latet alias dici filios hominum generaliter omnes homines, & Christum sæpe peculiariter dici *filium hominis*. Sed cuivis auctori suæ sunt expressiones, & proprii loquendi modi. Quare cum Moses sic distinxerit homines in filios hominum & filios Dei, ut oppositas piorum & impiorum societates designaret, tenemur in scriptis ejus hanc distinctionem observare, & secundum eam illa interpretari. Quamobrem interpres Arabs Bibliorum Londinensium, Gen. 6-4. pro filiis hominum habet بنات القايين, *filias Caini.* sic S. Chrysostomus hom. 22. in Genes. Ἀπὸ τοῦ Σὴθ οὗτοι κατῆγον τὸ γένος, καὶ ἀπὸ τοῦ ὑπ' αὐτοῦ τεχθέντος καὶ προσαγορευθέντος Ἐνώς. οὗτος γάρ φησιν ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τῷ ὀνόματι κυρίου τοῦ θεοῦ. ἐξ ἐκείνου οἱ ἐξῆς τικτόμενοι υἱοὶ θεοῦ προσηγορεύθησαν παρὰ τῆς θείας γραφῆς διὰ τὸ μιμεῖσθαι μέχρις ἐκείνου τῶν προγόνων τὴν ἀρετήν· υἱοὺς δὲ ἀνθρώπων ἐκάλεσε τοὺς πρὸ τοῦ Σὴθ γεγονότας, τοὺς ἀπὸ τοῦ Κάϊν καὶ τοὺς ἐξ ἐκείνου τὸ γένος κατάγοντας. *qui a Setho originem ducebant, & ab ejus filio appellato Enos, quem dicit scriptura* (Gen. 4-26.) *sperasse vocari de nomine Dei. Qui deinceps ab eo nati, filii Dei nuncupantur in divinis scripturis, propterea quod eo usque imitati sunt parentum virtutem: filios autem Caini, & eos qui ex eo nati quique antea Setho geniti fuerant, filios hominum vocat. &c.* Sic Serenus Abbas præceptoris vestigia premens apud Cassianum Collat. 8. cap. 21.

& S. Hieronymus etiam non obſcure teſtatur ſolos apoſtatas conſpiraſſe ad ędificationem turris Babylonicæ, ſcribendo in Jeſ. cap. 66. ex eo quod *ex oriente* ad illud opus profecti dicuntur, *quod ortum veri luminis reliquerunt*; quod de Semo piaque Eberi proſapia non potuit dicere. Hinc inſuper S. Chryſoſtomus declarat pœnæ, quæ in diſperſione & linguæ confuſione conſiſtebat, exemptos fuiſſe, homil. 30. in Genes. ſcribit enim: Ἕβερ ἔμενε τὴν αὐτὴν ἔχων διάλεξιν, ἥνπερ καὶ πρότερον, *remanſit Eber, eamdem conſervans linguam, quam prius habebat. &c.* Primam revera ſedem pii illi patres conſervarunt, ut & priſtinam linguam. Sic graves habemus auctores, quorum auctoritate freti, validiſque inſuper rationibus muniti Semum & Eberum ab impia rebellium ſocietate ſecernimus: addere tamen poſſumus S. Auguſtinum, qui de Civit. Dei lib. 16. cap. 4. vult Nimbrodum cum ſuis ſequacibus contra Deum turrim erexiſſe, *qua eſt impia ſignificata ſuperbia.* & cap. 5. *Deſcendit*, inquit, *dominus videre civitatem, & turrim, quam ædificaverunt filii hominum; hoc eſt, non filii Dei, ſed illa ſocietas ſecundum hominem vivens, quam terrenam dicimus civitatem.* & cap. 10. *Tenenda eſt igitur ſeries generationum ab ipſo Sem, ut ipſa oſtendat poſt diluvium civitatem Dei; ſicut eam ſeries generationum ab illo, qui eſt appellatus Seth ante diluvium. propter hoc igitur ſcriptura divina cum terrenam civitatem in Babylone, hoc eſt, in confuſione, eſſe demonſtraſſet, ad Patriarcham Sem recapitulando revertitur.* Non potuit clarius demonſtrare Semum, & piam ejus familiam non fuiſſe participes conſpirationis rebellium, ſed ne quidem potuiſſe participaſſe, quam declarando diverſas & oppoſitas eos conſtituiſſe civitates, quæ totum ſemper debent bipartiri mundum; terrenæque civitati caput Nimrodum præfuiſſe, divinæ autem & cæleſti Semum. Unde merito peculiarem hic & propriam ſibi fecit linguam, quæ cultui divino erat conſervata, quaque prophana civitas abutens ad impia conſilia merito ſpoliata eſt, ut in diverſas linguas diviſa confuſionis inflictæ memoriam conſervaret: quemadmodum pia ſuæ vinculo arctius unita indeſinenter floruit. Ebræos etiam conſentientes habemus, qui eodem modo priſtini mundi incolas in filios Dei & filios hominum ſolent diſtinguere. Audiatur R. Aben Eſra in Gen. 6—2. יש אומרים כי האלהים מקום קדש והבנים הם הקדושים אשר בארץ כטעם בני אתם ויש אומרים כי בני האלהים בני שת ובנות האדם בנות משפחת קין׃ *Sunt qui dicunt vocem Dei hic ſanctam eſſe, & hos*

& hos ejus filios eſſe ſanctos, qui ſunt in terra; ſicut filii Dei eſtis, Pſal. 82. 6. *verum alii affirmant, quod filii Dei ſunt filii Sethi, & filiæ hominum ſunt filiæ familiarum Caini.* Teſtantur ſimiliter ſibi bene cognitam ædificatorum turris Babylonicæ impietatem: hinc ipſis inter alios hos tribuunt ſermones in Bereſc. rabb. paraſ. 38. נעשה לנו מגדל ונעשה ע"ז בראשו וניתן חרב בירה ותהי נראה כאילו עושה עמו מלחמה: *faciamus nobis turrim & faciamus idolum in ejus cacumine, & armemus manum ejus gladio, quo videatur nos propugnare.* Quin ex ipſius textus ſacri verbis impiam illam idololatriam colligunt ibid. נעשה לנו שם תני ר' ישמעאל אין שם אלא ע"ז. *Faciamus nobis nomen. tradit R. Iſmael nomen illud eſſe dumtaxat idolum.* Scilicet Deus qui unus eſt, & immenſa ſua majeſtate ſufficienter diſtinguitur a creaturis, non eget nomine. quare cum illum exprimere volunt Rabini, paſſim nuncupant *nomen*, quod proprio ſuo decore innoteſcat; ea autem ſignificatione uſurpari a conjuratis volunt, ita ut Deum ſibi voluerint conſtituere, & *nomen* vocaverint eodem ſenſu quo ſolent יראת השם, *timor nominis*, & קודש השם, *ſanctificatio nominis*, pro timore & ſanctificatione Dei adhiberi. Quin eadem ſententia Chaldæorum Paraphraſtarum. ſic enim ibid. Ben Uziel: וְנַעֲבֵיד לָנָא סִגְדוּ בְּרֵישֵׁיהּ וְנִשְׁוֵי חַרְבָּא בִּידֵיהּ, *faciamus nobis idolum in capite ejus, & ponamus gladium in ejus manu.* & Targum Hieroſolymitanum ſimiliter. Neque immerito in ſuſpicionem idololatriæ venerunt Babylonici ædificatores, cum temerarium dumtaxat propoſitum tantam Dei iram non accendiſſet, neque tot pœnas popoſciſſet. Præterea Herodotus ipſe lib. 1. §. 182. deſcribens illam turrim ſicut ſuo tempore adhuc extabat, dicit quidem in ſupremo illius ſacello nullam fuiſſe imaginem, ſed menſam auream, & lectum magnifice adornatum ad excipiendam matronam, quæ Deaſtro ſuam proſtituebat pudicitiam; ſed in inferiori ſacello auream Jovis ſtatuam extitiſſe teſtatur. Sic abunde ſpurciciei & idololatriæ in ea invenimus, ſi ſtatim ab initio ita conſtitutam fuiſſe exiſtimamus. Quamobrem abſque atroci injuria Semus, aut Eber non poſſunt nefariorum horum conſiliorum participes haberi, præſertim cum ne minima quidem fiat eorum mentio in conjurationis hiſtoria, potuerintque in oppido ab ipſis condito ad radices Ararat-montis Armeniæ, poſt diluvium aliquandiu permanere, dum liberi longe lateque diſperſi vicinas regiones occupare ſatagebant. Hujus oppidi meminit Elmacinus initio ſuæ hiſtoriæ Saracenicæ, obſervat-

que

que dictum ثمانين, *Thsemanim*, ab octonario numero personarum e diluvio superstitum teste 5. Petro 1. epist. 3—20. ut videtur denominatum. ثمان, *thsaman* enim Arabibus *octo* significat.

Non ibo inficias illustriss. Bochartum olim collegam meum honoratissimum, cujusque vestigiis insistere gloriosum duco, dubitasse, an Nimrod ipse ædificatoribus turris Babylonicæ esset annumerandus, immo an tunc etiam natus fuerit; verum quam dubitandi rationem haberet, declaravit, ut post examen accuratum, si solidam inveniremus, suffragaremur ei; sin minus, validiores quæreremus. Ratio autem illa petitur ab imperio, quod obtinuit Nimrod in Babylonem & regiones adjacentes, quo declaratur expers dispersionis in pœnam rebellibus inflictæ. Id revera dignum est consideratione, sed non cogit acquiescere, quia duplex pœna rebelles debuit affligere, nempe ex patriis sedibus expulsio, & primævæ linguæ amissio; verum non constat singulis utrasque illico indictas, siquidem non omnes a pietate alieni e Babylonis vicinia ejecti sunt, sed plures etiam e maledicta Chami familia ibi remanserunt, & nativæ dumtaxat linguæ jacturam fecerunt. Quin utraque pœna aliquandiu potuit differri, & demum post aliquot annos etiam posteris infligi. sic cum Nimrodo actum putamus: illius enim criminis conscium, immo auctorem, nomen ejus non sinit dubitare, quippe quod a מָרַד, *rebellavit*, formatur, & נִמְרוֹד, *Nimrod*, *rebellem* proprie significat. Per ætatem etiam in ipsi facile licuit, quandoquidem quartus a Noacho per Chamum avum Nimrod æqualis fuit Scelacho Semi nepoti; hic autem Scelach quartus similiter a Noacho pater fuit Eberi, florereque potuit nascente Pelego nepote, sub quo creditur facta confusio linguarum & dispersio, a qua etiam nomen habuit. פָּלַג *palag* enim est *divisit*. Tunc Nimrod similiter florere debuit. Attamen observandum est rationem prorogandi tempus dispersionis solidam nobis suppeditari; plurimi enim auctores haud contemnendi existimant, divisionem illam non accidisse nascente Pelego, sed Eberum ejus patrem divino spiritu actum hoc filii sui nomine illam pœnam prædixisse, & cunctis regionis suæ incolis declaravisse, ut a nefaria conjuratorum societate sibi caverent. quod forsan impedivit ne omnes Semi nepotes eo crimine inficerentur. In ea est sententia S. Chrysostomus hom. 30. in Gen. observat enim duos Ebero natos filios, quorum unus dictus est Phaleg, quia in diebus ejus divisa est ter-

terra; additque: *Σκόπει πῶς τῇ προσηγορίᾳ τοῦ τεχθέντος ἐναπέθετο τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι μετ' οὐ πολὺ σημείου τὴν πρόγνωσιν, ἵν' ὅταν ἴδῃς εἰς ἔργον τὸ πρᾶγμα ἐξελθὸν, μηκέτι ξενισθῇς ὁρῶν ἄνωθεν τοῦτο τὴν προσηγορίαν τοῦ παιδὸς προμηνύουσαν*: *Considera quæso signi non multo post futuri præscientiam, & quomodo eam vocabulo nati pueri indidit; ut cum videris rem adimpletam, non ultra mireris, sciens divinitus hoc pueri nomine prædictum.* Eodem spectare videtur ipse Moses, cum describit rebelles ad illam prophetiam alludentes, & sanctis Eberi monitis illudentes, dicendo: *Ædificemus civitatem, & turrim cujus fastigium sit usque ad cœlum, & faciamus nobis nomen, πρὸ τοῦ διασπαρῆναι ἡμᾶς ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς*, secundum LXX. & secundum Vulgatam, *antequam dividamur in omnes terras. &c.* sic enim manifeste declarant ob diversa facinora sæpius fuisse admonitos futuræ dispersionis. Hinc R. Salomo Jarchi in Gen. 10 — 25.
למדנו שהיה עבר נביא שקרא שם בנו על שם העתיד ושנינו בסדר עולם שבסוף ימיו נתפלגו שאם תאמר בתחלת ימיו הרי יקטן אחיו צעיר ממנו והוליד כמה משפחות קודם לכן שנאמר ויקטן ילד וגומ' ואחר כך ויהי כל הארץ שפה אחת ואם תאמר באמצע ימיו לא בא הכתוב לסתום אלא לפר' הא למדת שבשנת מות פלג נתפלגו: *Discimus quod Eber erat propheta, quoniam vocavit nomen filii nomine futuro, & legimus in Chronico* [sive libro dicto *Seder gnolam, Ordo mundi*] *quod in fine vitæ ejus facta est divisio; si enim diceres factam in principio dierum suorum, ecce Joctan frater ejus minor etiam plures familias generaverat, propterea dicitur* & Joctan generavit. *&c.* (Gen. 10—26.) *postea autem*, & terra erat unius linguæ (Gen. 11—1.) *Si vero dicas in medio dierum ejus*, opponetur, *quod scriptura id silentio non prætermisisset, sed declaravisset. Voluit igitur significare in fine vitæ Pelegi gentes dispersas fuisse.* Revera Chronicon illud maximæ inter Judæos auctoritatis vult, dispersionem illam & linguarum confusionem factas fuisse anno post diluvium 340, cum jam Abrahamus a Noacho decimus annum attigisset 48; hacque ratione sat per tot annos licuit Nimrodo adolescere, & rebellionem diu meditatam exsequi, diuturnumque exercere imperium. Hanc eamdem computationem sequitur R. David Ganz in *Tsemach David*, neque ab ea recedit magnopere Genebrardus ad annum mundi 1758.

Hæc sententia dum prophetam Eberum constituit, novum suppeditat argumentum ad liberandum illum piamque ejus familiam ab omni

impii consilii cum rebellibus initi suspicione. Non potuit enim sanctus ille vir totis viribus non evitare calamitatem, quam S. Spiritu doctore noverat imminere, & de qua ipsos rebelles certiores fecerat monendo, ut ab illa sibi caverent. Sane non potuit verus propheta secessionem a Deo suo probare; unde Josephus Antiq. lib. 1. cap. 5. refert liberos Noachi Nimrodo (quem *Nabrodem* nuncupat) adversatos fuisse, ipsumque in eos insurrexisse, suisque revera auctorem fuisse ἀποςήσειν παρὰ τοῦ Θεοῦ, *deficiendi a Deo.*

Cum nulla sit pejor a Deo defectio, quam idololatria, eam inprimis a Nimrodi proposito cupiunt amoliri, qui ejus consilii participes fuisse Patriarchas arbitrantur, & quia ipsum Nimrodum statuam habuisse, cultumque fuisse sub Beli nomine audiunt, reclamant, & hominem adhuc viventem statuam sibi ipsi erexisse, & in ea coli voluisse admittere non possunt. Revera ut olim Callisthenes apud Curtium, *mortalitatem interdum sequitur divinitas, nunquam comitatur*, ipsa ethnicorum modestiorum sententia; sed tyrranni rabido præsumtionis, & arrogantiæ æstu abrepti nullos verecundiæ limites passi fuerunt, præsertim Babylonis tyranni abominandam illam idololatriam semper affectarunt. Audiatur S. Hieronymus tertium Danielis caput explicans, & de Nabucodonosore scribens: *Velox oblivio veritatis, ut qui dudum servum Dei quasi Deum adoraverat, nunc statuam sibi fieri jubeat, ut ipse adoretur in statua.* Neque immerito. Chaldæi enim ibidem criminantur Judæos, quod neque *Deos regis, neque statuam* adorarent; hanc manifeste destinguentes ab illis diis. Quin rex ipse eodem modo loquitur: *Vere ne est*, inquit, *Deos meos non colitis, & statuam auream quam constitui, non adoratis. &c.* Unde ibid. S. Hieronymus: *Quod in principio hujus visionis diximus, hic manifestius approbatur; alios esse Deos Nabucodonosoris, & aliam statuam auream, quam in cultu sui jussit erigi. &c.* Sane qui historiam Judithæ credunt canonicam secundum decret. 1. sess. 4. Concilii Tridentini, cogentur incredibilis illius idololatriæ reum agnoscere Nabucodonosorem illum, aut successorem cognominem. sat enim difficile agnoscere legitimum hujus historiæ tempus. legimus enim cap. 3—13. *Præceperat enim illi* (Holoferni) *Nabucodonosor rex, ut omnes Deos terræ exterminaret, videlicet, ut ipse solus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuissent potentia Holofernis subjugari.* Idem declarat ipse Holofernes cap. 6-2. dicendo: *Non est Deus nisi Nabucodonosor.* Ita possumus in suc-

successoribus Babyloniorum tyrannis impiam primi fundatoris arrogantiam cernere confirmatam, & agnoscere nihil esse adeo a ratione & pietate alienum, quod a Babylone non debeat admitti, cum sit typus horrendæ Antichristi divinitatem sibi similiter arrogantis superbiæ. Quin sequaces innumeros etiam habuit, atque inter ipsos Augustum Cæsarem; quo regnante, inquit Tacitus annal. lib. 1. cap. 10. *nihil deorum honoribus relictum, cum se templis & effigie numinum per flamines & sacerdotes coli vellet. &c.* unde Virgilius eclog. 1. —— *ille mihi semper Deus.* ubi Servius: *Post mortem, & dum vivit.* Lucanus similiter non judicavit expectandam Neronis mortem & apotheosim, ut illum coleret, *sed mihi jam numen*, ait lib. 1. Pharf. verf. 63. Immo Caligula ne hominis quidem dignus elogio, *admonitus* (inquit Suetonius in ejus vita cap. 22.) *& principum & regum se excessisse fastigium, divinam ex eo majestatem asserere sibi cœpit: datoque negotio, ut simulacra numinum religione & arte præclara, inter quæ Olympii Jovis, apportarentur e Græcia, quibus capite demto suum imponeretur, partem palatii ad forum usque promovit, atque æde Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata consistens sæpe inter fratres deos medium se adorandum adeuntibus exhibebat; & quidam eum Latialem Jovem consalutaverunt. Templum etiam numini suo proprium, & sacerdotes, & excogitatißimas hostias instituit: in templo simulacrum stabat aureum.* Posset addi Domitianus, qui in epistolis procuratorum suorum jubebat adscribi: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet*, ut idem Suetonius in ejus vita observat cap. 13. unde Martialis lib. 5. ep. 8. *Edictum Domini Deique nostri. &c.* Mezentius sibi offerri jubens, *quas diis primitias offerebant Rutuli*, teste Catone Orig. lib. 1. et apud Macrobium Satur. lib. 3. cap. 5. et imprimis Alexander Magnus affinitatem Jovis, & divinos ejus honores affectans, ut Plutarchus in ejus vita, & Q. Curtius referunt. Hic insuper addit ei Babylonem ingredienti altaria cum variis odoribus erecta fuisse. Quodque præcipue observandum testatur Ælianus Var. hist. lib. 2. cap. 19. ἐπέστειλε τοῖς Ἕλλησι θεὸν αὐτὸν ψηφίσασθαι. *scripsit Græcis, ut se Deum decernerent.* Quamobrem hoc decretum Lacedæmonii ingeniose fecerunt: Ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός. *Quandoquidem Alexander vult esse Deus, Deus esto.* Mitto Psaphonem, aut Annonem, qui aves docuerunt cantare eos esse deos, ut ab omnibus dii haberentur, referente Æliano Var. hist. lib. 14. cap. 30. Sed piaculum esset præ-

 ter-

termittere medicum Menecratem Syracusium, qui servos sibi addicebat eos quos curabat, ut deorum habitu ipsum comitarentur. sic Nicostratus Herculis, Astycreon Apollinis, alius Æsculapii speciem referebant; ipse vero amictus purpura, & coronam auream capite gestans, & sceptrum manu tenens Jupiter dicebatur. Immo in epistolæ fronte ad regem Philippum scriptæ posuit: Μενεκράτης Ζεὺς Φιλίππῳ χαίρειν. *Deus Menecrates, seu Jupiter, Philippo salutem.* & in eadem epistola de suis ægrotis agens scribit: Ζεὺς γὰρ ἐγὼ αὐτοῖς βίον παρέχω. *ego Jupiter vitam ipsis tribuo.* Quare Philippus exceptum illum cum deastris suis convivio suffitibus dumtaxat, & libaminibus, ac omni sacrorum apparatu facete colendum imperavit, dum ipse & cæteri convivæ laute epularentur; donec miser fame & pudore confusus tandem aufugit, ut videre est apud Athenæum Deipnos. lib. 7. cap. 10. Philosophi denique expedit exemplum proferre. Is est Empedocles, qui apud Diogenem Laertium in ejus vita, Agrigentinos concives suos his versibus jubet salvere, & se Deum habere:

Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς,
Πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος, ὥσπερ ἔοικε.

i. *Salvete, immortalis ego conversor apud vos, Ut par est, Deus, & tali me dignor honore*; & deinceps honorum & cultuum ceremonias sibi debitas describit. Alia plurima sunt exempla ejusmodi, quibus confirmatur minime esse improbabile Nimrodum ab immani rebellione sic dictum, eo impietatis etiam devenisse, ut in idolo suo coli voluerit, cum plurimi ipso modestiores divinum adorationis cultum sibi exhiberi jusserint.

Verum quia meræ Bocharti nostri dubitationi objectio innititur, convenit, ut insuper dissolvatur illius conjectura, qua Nimrodum fuisse Bacchum affirmat; siquidem observat quod Bacchus sit בר כוש, *bar Chus*, i. e. Chusi filius. Nempe Nimrod revera fuit Chusi filius, & nepos Chami qui Jupiter existimatur, ut Noachus pater Saturnus a סָתַר, *delituit*, quia diu delituit in arca, & in hoc latibulo suam, & totius generis humani obtinuit conservationem. Jam vero nemo ignorat divinos Baccho viventi exhibitos fuisse honores. Sane Acætes 3. Metam. Ovidii præsentem ita precatur:

Quisquis es, o faveas, nostrisque laboribus adsis:

His

His quoque des veniam. &c.

& cæcus Vates Pentheo numen ejus irridenti ait ibidem:

—— Dies aderit, quam non procul auguror esse,
Qua novus huc veniet proles Semeleia Liber.
Quem nisi templorum fueris dignatus honore,
Mille lacer spargere locis, & sanguine sylvas
Fœdabis, matremque tuam, matrisque sorores;
Eveniet &c.

Eventum autem vaticinio respondisse postea additur, & libro sequenti de eodem etiam, & cultu ipsi exhibito scribitur:

—— — quem debellata colebat
India, quem positis celebrabat Achaia templis.

Neque his cultibus Nimrodo exhibitis obstant quæ in Chronico Alexandrino habentur his verbis: Ἐγενήθη δὲ καὶ ἄλλος ἐκ τῆς φυλῆς τοῦ Χὰμ, Χοῦς ὀνόματι, ὁ Αἰθίωψ, ὅστις ἐγέννησεν τὸν Νεβρὼδ γίγαντα τὸν τὴν Βαβυλωνίαν κτίσαντα, ὃν λέγουσιν οἱ Πέρσαι ἀποθεωθέντα. *genitus & alius est e Chami semine nomine Chus Æthiops* (sive potius Arabs: eo enim nomine Arabes passim etiam nuncupantur) *qui genuit Nebrodum gigantem Babyloniæ conditorem, quem Persæ dicunt divinitate donatum.* Aut Dionysius Periegetes vers. 1005. & seq.

Πρὸς δὲ νότον Βαβυλὼν ἱερὴ πόλις ἥν ῥά τε πᾶσαν
Τείχεσιν ἀῤῥαγέεσσι Σεμίραμις ἐστεφάνωσεν.
Αὐτὰρ ἐπ' ἀκροπόληϊ μέγαν δόμον εἵσατο Βήλῳ.

Ad austrum Babylon sacra urbs, quam quidem mœnibus infractis totam Semiramis coronavit: cæterum in arce urbis ingentem domum condidit Belo. &c. per domum enim templum debemus intelligere. Unde Eustathius Scholiastes: βωμὸν τῷ Βήλῳ ἡ Σεμίραμις ἵδρυσε. *altare Belo Semiramis construxit.* aut denique S. Hieronymus in Ezech. 23. *Idolum Baal, sive Bel, & ut apertius dicam, Belis Assyriorum religio est consecrata a Nino Belis filio in honorem patris. &c.* & in Oseam cap. 2. *Ninus in tantam pervenit gloriam, ut patrem suum Belum referret in Deum, qui Ebraice dicitur Bel, & in multis prophetis maximeque in Daniel, & juxta Theodotionem sub idolo Babylonis hoc appellatur nomine. &c.* Quamvis, inquam, Ninus dicatur retulisse in deorum album patrem Belum, sive Nimrodum, & Semiramis Babylonem muris cinxisse, atque Nino templum & altare construxisse; nihilominus potuit ante

ſolemnem ab uxore & filio conſecrationem factam ſibi divinos privata auctoritate cultus arrogare, potuit idolum in ſui honorem erigere, & uxor filiuſque poſt ipſum fatis functum ejus ἀποθέωσιν potuerunt ritu omnibus nuneris abſoluto perficere. Sic ipſa Babyloniæ mœnia condidiſſe etiam dicitur Semiramis. at Abydenus apud Euſebium præpar. Evang. lib.9. cap.41. teſtatur, Belum ipſum Βαβυλῶνα τείχει περιβαλεῖν, *mœnibus cinxiſſe*. Quod aliter conciliari non poteſt, quam ſi dicamus, idem opus incipienti & perficienti etiam tribui. Sane conſtat turrim Babylonicam forma quadrata conſtructam fuiſſe templum ſepulchrumque Nini, ut teſtantur ſupra laudatus Herodotus lib. 1. §. 181. & Strabo Geogr. lib. 16. hic enim ſepulcrum, ille templum vocat, & uterque in ejus deſcriptione convenire perhibetur. Quamobrem validæ Clariſſ. Bocharti rationes contra Judæos per שם, *nomen*, idolum intelligentes, infirmant quidem hanc eorum interpretationem, ſed non abſolrunt Babylonios ab idololatriæ crimine, cujus ipſa in Deum rebellione & prophanorum auctorum teſtimonio rei ſufficienter peraguntur.

Verum enim vero ſint idololatræ Nimrod ejuſque ſequaces, *Eber* vero atque tota ejus familia cultui divino ſincere atque conſtanter incubuerit, parvi momenti ad propoſitum hæc erunt, cum lingua Eberi nobis notior non ſit quam primæva, & facile potuerit ex vicinarum contagione ſenſim in aliam degenerare. Quamobrem expedit diſquirere

CAPUT IX.

Quænam fuerit Eberi lingua?



Simulatque nobis innoteſcet Eberi lingua, illico primæva e tenebris emerget, illaque ad hanc agnoſcendam valida ſuppeditabit argumenta. Præcedentes tamen obſervationes ſimul prodeſſe comperientur, ſiquidem eædem rationes quæ probant primævam illam linguam religioni fuiſſe conſecratam, debuiſſeque ſartam tectam in pia Eberi familia permanere, ſimiliter demonſtrant in piis ejus poſteris etiam poſtea uſurpari debuiſſe, ut quemadmodum paternæ religionis hæredes erant, eodem jure linguam religionis ſociam obtinerent.

Quin

Quin res fere confecta est : nulla enim dubitandi ratio linguam Eberi fuisse Ebraicam, cum ab ipso manifeste denominetur, & in ejus familia etiam viguerit, atque ab illis ad nos usque sacris voluminibus credita pervenerit. Præterea Eberi & filiorum ejus nomina omnia sunt Ebræa, ut etiam Ebræa agnoscuntur cætera nomina, quorum mentionem facit sacra historia a prima rerum origine ad Babylonicam usque dispersionem, quæ diversarum linguarum introductione peracta est; quoniam oportuit ejusdem linguæ homines societatem inter se inire, & a ceteris, quos non intelligebant, secedere, hacque ratione hi & illi diversas regiones petiverunt.

Revera ipso aurium sono patet ab *Ebero* dictam esse linguam *Ebræam*, quasi *Ebéream*, quia ex communi cæteris hominibus lingua facta est propria sanctæ hujus familiæ, ut insigne divini fœderis pignus ac nobile originis monumentum, secundum sententiam plurimorum Patrum, Judæorum etiam, & insignium Criticorum. Quodque præcipuum est, S. Scripturæ auctoritati probabiliter illa sententia innititur, non tantum secundum similium nominum normam: ut enim, 1 Sam. 25—3. Nabal a כָּלֵב, *Chaleb*, dicitur כָּלִבִּי, *Chalbi*, quasi Chalebi propago, sic ab Eber עִבְרִי, *Ebri*, sive cum latina terminatione *Ebræus*. Quin ipso Eberi nomine ipsissimi Ebræi nonnunquam designantur. sic Gen. 10-21. Moses aggressus Semi genealogiam & posteros ejus, statim ab initio & ante Eberi ordinem, ipsi conciliat commendationem ab Ebræa progenie, licet postea debitum ipsi locum tribuat. hæc scilicet ejus verba: וּלְשֵׁם יֻלַּד גַּם־הוּא אֲבִי כָּל־בְּנֵי עֵבֶר *& Semo etiam nati sunt liberi, ipse pater omnium filiorum Eber sive Ebræorum.* unde Jonathan ben Uziel in sua paraphrasi Chaldaica: הוּא אֲבוּהוֹן דְּכָל־בְּנֵי עִבְרָאֵי, *ipse est pater omnium filiorum Ebræorum*, nullum agnoscendo discrimen inter Ebræos, & filios Eberi. Aben Esra similiter, וטעם אבי כל־בני עבר להודיע אבי העברים כי אין למעלה ממנו והשם כתוב כה אמר יהוה אלהי העברים *Sensus autem horum verborum* pater omnium filiorum Eber, *significat ipsum fuisse patrem Ebræorum, quia id ipsi maxime gloriosum. Deus enim ipse gaudet dici eorum Deus; sic enim scribitur* (Exod. 9--1.) sic ait Dominus Deus Ebræorum. Neque audiendi sunt, qui ab illa convenienti expositione recedentes malunt dicere Semum *patrem omnium liberorum transfluvialium.* Aberrant enim, & facillimum est ipsos erroris arguere. Nam ultra fluvium sive Euphratem, sive Tigrim, non soli Semi liberi habitabant,

bant, ſed plurimi etiam Chuſitæ, & alii Chami nepotes, ipſeque Nimrod in illis regionibus ſuum conſtituit imperium, poſterisque reliquit; ut in confeſſo eſt apud omnes & probavimus agentes de Paradiſo terreſtri ſecundum Bocharti ſententiam in ejus vita. Nihil vero poteſt excogitari, quod noſtræ ſententiæ adverſetur. Jure etiam Ebræi per filios Eberi deſignantur, quia præcipui inter eos fuerunt, ſolique quibus fœdus divinum, Dei cultus, & potiores prærogativæ conceſſa fuerunt; ita ut conveniat dicere in ipſis dictum fuiſſe Ebero ſemen, quemadmodum Deus declarat Abrahamo quod in Iſaaco ejus poſteritas nuncuparetur Gen. 22-12. ita ut cæteri Semi liberi præter Ebræos, non magis ejus liberi habeantur, quam Iſmaelitæ & tota Cethuræ poſteritas in liberis Abrahami numerantur. Sed ſicut ſolus Iſaacus totam patris hæreditatem, fœdus, benedictiones, & Abrahamidum elogium obtinuit, ut ad ſolos liberos ſuos transferret; ſic ſola Ebræa gens, Semi, & imprimis Eberi genuina progenies æſtimatur, cęteris ſecluſis & ad communem cæterarum gentium conditionem dimiſſis. Quod confirmat evidenter Balaam, futuram Iſraelitis vaticinans cladem Numer. 24—24. *Et naves*, inquit, *de Chittim affligent Aſſur*, וְעִנּוּ עֵבֶר, *& affligent Eber.* Septuaginta interpretes Græci pro *Eber* reddunt Ἑβραίους, *Ebræos.* Syrus ſimiliter habet ܠܥܒܪܝܐ & Arabs العبريين ſicut Vulgata Latina a Concilio Tridentino approbata *Ebræos.* Immo res ipſa loquitur. agitur enim de Romanis, & de excidio ab ipſis Judææ inferendo, Judæis ipſis agnoſcentibus teſte Jonathane Uzielide ibid. & Targumiſta etiam Hieroſolymit. qui Meſſiam reparaturum illud excidium ſperant. At Meſſiæ triumphos ad Ebræam gentem dumtaxat pertinere volunt. Præterea ad cæteros Eberi poſteros omnes non pervenerunt Romanorum arma. Addam cæteros Eberi poſteros poſſe comprehendi Aſſyrii nominis amplitudine, quod vaſtæ imperii Aſſyrii moli coextendi auctor eſt Strabo l. 16. Ita ut ne quidem filiorum Eberi ullam facere mentionem opus fuiſſet, niſi Ebræos, & Iſraëlitas inprimis, deſignare Balaam optaviſſet. Non potuit igitur expreſſius deſignari, ab Ebero Ebræos dici, & conſequenter Ebraicam linguam ab eo etiam ſuam obtinuiſſe denominationem, cum ipſo Eberi nomine ſimpliciter ſoleant Ebræi deſignari.

Nihil etiam convenientius fuit, quam linguam illam, quæ initio ſola erat & propterea nomine non indigebat, ut ab aliis diſcriminaretur, ſed

ſed una dumtaxat abſolute vocabatur Gen. 11--1. *Univerſa terra erat linguæ unius & ejuſdem ſermonis. &c.* nomine proprio inſigniri, cum plurimæ aliæ introductæ fuerunt, ut ab iis diſtincta permaneret: aliunde autem convenientius nomen mutuari non potuit, quam ab Ebero, cui propria remanſit, quique inopinatam linguarum diverſitatem prædixerat, & hanc linguam ſedulo conſervatam ad poſteros hæreditario jure transmiſit, poſteros, inquam, illos, qui pietatem cum illa diligenter coluerunt.

Attamen ſunt maximi nominis viri, & a multis temporibus ad noſtra fuerunt, qui Ebræorum & Ebraicæ linguæ denominationem ab Ebero petendam eſſe inficiantur, & in diverſas abeunt ſententias: rogantque, cur a Semo, aut Arphaxate, vel Adamo potius dicta non fuerit? Potuiſſet equidem ab illis denominari, ſi tempore eorum indiguiſſet denominatione, qua ab aliis ſecerneretur; ſed cum tempore Eberi id demum contigerit, non mirum, ſi ab Ebero potius denominata fuerit. Sane ſi Adamum excipias, a nullo potuit, quam ab Ebero denominari, cum nulli familiæ privatim convenerit, antequam Ebræis linguarum diverſitas propriam fecerit cum divino fœdere, cujus individua comes eſſe debebat.

Urgent adverſarii dicuntque nos concedere, non omnes Eberi poſteros hanc linguam ſibi conſervaſſe, & conſequenter ab ipſo inepte nuncupari. Reſponſio ſponte occurrit. Ex Gen. 10—21. patuit Ebræos inſigniores cæteris Semi liberis repræſentari; unde primi referuntur, licet plurimæ generationes ſequantur. Quamobrem non mirum eſt, ſi inter longe minorem Eberi poſterorum numerum emineant & ſoli conſiderentur, ut genuina ejus poſteritas, utpote qui fœderis & annexarum promiſſionum hæreditatem obtinuerunt. Sic in Iſaaco poſteritas Abrahami cenſetur, Gen. 21-12. licet plurimos alios liberos habuerit, quia religionis & linguæ ſanctæ fuit ex aſſe hæres. Alii liberi fuerunt ſecundum naturam tantum, hi ſecundum gratiam & naturam. Cum autem gratiæ decus excellat, merito hi præ illis conſiderantur, & hæreditatem fœderis divini appendicem ſoli ſortiuntur, immo paternum nomen. nam nullus per Abrahamidas unquam intellexit Iſmaelis aut Cheturæ liberos, ſed ſolos Iſraelitas per Iſaacum ab Abrahamo ortos, excluſis etiam Edomæis, ab Eſavo Abrahami primogenito natis. Eadem prorſus ratio illorum Eberi liberorum, qui linguam ejus non

conservaverunt, neque in divino fœdere constanter perseverarunt. Nullus ipsis conceditur in genuina ejus posteritate locus: æstimantur enim degeneres, & divinitus abdicati.

CAPUT X.

Unde Ebræi denominentur.



Uamvis a Ebero Ebræorum denominatio antea explicata sit conveniens, fuerunt tamen qui existimaverunt Ebræos ἀπὸ Ἀβραάμου, ut Artapanus apud Eusebium, aut ἀπὸ Ἀβραμῶνος, ut Charax apud Stephanum Geographum nuncupatos. Ipse S. Augustinus videtur in eam sententiam, præcedenti abjecta, etiam inclinasse: nam postquam illam explicasset de Civit. Dei lib. 16. cap. 3. scribit, *quod ex Abraham tanquam Abrahæi dicti videantur Ebræi.* Eadem autem ratione ab Abrahamo etiam dicta lingua potest videri. Verum alieni sunt, & linguæ Ebrææ prorsus ignari Charax & Artapanus, vel, ut alii malunt, Artabanus; quare ipsis condonandum, quod nomina, quæ non intelligebant, secundum sonum & scripturam Græcam dumtaxat contulerint. Ebraice enim nullatenus inter se conveniunt, aut communem originem habere possunt Abrahami & Ebræorum nomina, ut norunt, qui Ebræas literas norunt. Ad S. Augustinum quod spectat, etsi rerum Ebræarum non erat callentissimus, attamen illam sententiam, quam lib. 1. de Consens. Euang. etiam proposuerat, his verbis ingenue retractavit: *Quod dixi ex Abraham cœpisse gentem Ebræorum, est quidem & hoc credibile, ut Ebræi quasi Abræi dicti esse videantur; sed ex illo verius intelliguntur appellati, qui vocabatur Eber, tanquam Eberei, de qua re in libro 16. de Civitate Dei satis disserui.* Sic hæc opinio patronis destituta sponte evanuit. & merito. cum enim ipse Abrahamus dicatur Ebræus Gen. 14--13. luce meridiana clarius est hæc duo nomina differre, neque unum esse alterius originem.

Sed tertia in medium procedit sententia illustribus freta propugnatoribus, & rationibus non contemnendis: quamobrem vix patitur examen, & tantum non triumphat. Ea vult dictos Ebræos, & linguam Ebræam ab

Abra-

Abrahamo quidem, ſed non quatenus Abrahamus dictus, quod intolerandum, verum quatenus dicitur Gen. 14-13. הָעִבְרִי, *Ibri*, *tranſitor*, ſive ſecundum LXX Græcos Interpretes περάτης, ſive ut Aquilæ placuit, περαΐτης, aut S. Auguſtino, Quæſt. ſuper Gen. lib. 1. quæſt. 29. *transfluvialis. Transfluvialem*, inquit, *Abrahamum appellatum, etiam Græca exemplaria ſatis indicant; ſed cur ita appellatus ſit, hæc videtur cauſa, quod ex Meſopotamia veniens, tranſito flumine Euphrate, ſedes conſtituit in terra Chanaan, & transfluvialis appellatus eſt, ex ea regione unde venerat: unde Jeſus Nave dixit ad Iſraelitas, Quid vultis ſervire diis patrum veſtrorum, qui ſunt trans flumen. &c.* Sane meruit patria ſedes, & Euphratis tranſitus in hiſtoria Abrahami referri. Sed Diodorus Tarſenſis Jordani tantum rationem habet: ſcribit enim: περάτην καλεῖ τὸν Ἀβραὰμ ὡσανεὶ πέραν οἰκοῦντα τοῦ Ἰορδάνου. *tranſitorem vocat Abrahamum, quippe qui habitaret trans Jordanem.* Quod potuiſſet etiam ſufficere Origeni in Mat. 14-22. οὐ γὰρ ἐδύναντο οἱ ὄχλοι εἰς τὸ πέραν ἀπελθεῖν ὡς οὐ μυστικῶς Ἑβραῖοι, *neque enim poterant turbæ in ulteriorem ripam tranſire, utpote quæ non eſſent myſtice Ebræi*, οἵτινες ἑρμηνεύονται περατικοὶ, *qui exponuntur trajectitii.* ibi enim agitur de Jordanis aut lacus ab eo facti tranſitu. Euphratem prętulit S. Chryſoſtomus hom. 35. in illum Genes. locum: Ἐπειδὴ γὰρ πέραν τοῦ Εὐφράτου τὴν κατοίκησιν εἶχε, διὰ τοῦτο καὶ περάτης ἐλέγετο. καὶ ἄνωθεν, καὶ ἐξ ἀρχῆς οἱ γονεῖς τὸ ὄνομα αὐτῷ ἐπέθεσαν, προμηνύοντες αὐτῷ τὴν ἐκεῖθεν αὐτοῦ μετανάστασιν. ἐπειδὴ γὰρ περᾶν ἔμελλε τὸν Εὐφράτην, καὶ ἐπὶ τὴν Παλαιστίνην ἔρχεσθαι, διὰ τοῦτο καὶ Ἀβραὰμ ἐκαλεῖτο. *poſtquam trans Euphratem domicilium habuit, dictus eſt tranſitor. & antea ab ipſo initio parentes ejus ei hoc nomen indiderant præſignificantes, eum inde migraturum. vocatus enim eſt Abram, quia migraturus erat trans Euphratem & in Palæſtinam tandem venturus.* Exiſtimavit hic Pater *Abram* & *Ibri* tranſitorem, affinitatem inter ſe, & eamdem ſignificationem habere, quod ejus ſententiæ imminuit pondus, cum parum verſatus in rebus Ebræorum agnoſcatur. Sed hæ auctoritates validioribus forſan munientur argumentis. Plurima revera in aciem magnifice collocat clariſſimus Erpenius, in oratione, qua linguam Ebræam commendavit, cum ad eam docendam in Academia Lugduno-batava inauguratus eſt. Non potuit autem evidentius teſtari primigenium decus linguæ Ebrææ ſecundum ſuam ſententiam non convenire, quam in hoc panegyrico illud oppugnare. Præſertim contendit linguam Ebræam ab Ebero non potuiſſe

denominari, quia Chaldæam incolebat, & Chaldæo idiomate consequenter utebatur. At *de parva arbore rem magnam suspendit*, ut cum Ebræis nostris loquar, & levior ratio non potuit ad tanti momenti controversiam dirimendam excogitari. Quomodo enim Eberus Chaldaico idiomate uti potuit, antequam illa lingua extaret, & alia lingua in toto orbe non inveniretur præter primævam, quoniam divisio linguarum sub ejus nepote demum contigit, eoque, ut vidimus multos docere, extremos vitæ suæ dies agente. Præterea etiam post illam divisionem factam plurimi Eberi affines in Chaldæa degentes primævam inter se conservarunt linguam, & aliquandiu etiam cæteri illius regionis incolæ, ut commercium cum iis haberent, quandoquidem divinum in multiplicatione linguarum propositum præcipue spectabat dispersionem rebellium in cæteras orbis regiones. quare, qui in patria regione remanserunt, forsan non illico pristinum sermonem mutarunt; Eberus saltem illum mutare non debuit, cum probaverimus conservasse singulari Dei beneficio, ut ea secerneret fideles a prophanis, & in ecclesia Dei mysteriis expromendis semper inserviret. Denique si Eberus lingua Ebræa usus non fuisset, non imposuisset nomina Ebræa liberis suis, & Chaldaicum idioma in iis agnosceretur. Alterum argumentum adhuc fragilius est: petitur enim ex eo quod nemo ante Abrahamum in sacris literis dictus est *Ebræus*. eadem enim ratione licebit probare Græcos non dici יְוָנִים, *Jevanim*, sive Iones a יָוָן *Javan* Japheti filio nuncupatos, quia primum fit mentio Danielis 8-21. *regis Javan*, & Alexander Magnus sic nuncupatur. An Græcia יָוָן, *Javan* ab illo propterea denominabitur? An si Nebucadnetsar primus dicitur in sacra S. Esræ 5-12. כַּסְדָּיָא, *Chaldæus*, rex iste quoque erit auctor hujus nominis, & hæc prærogativa eripietur כֶּשֶׂד, *Chesed* Nachoris filio? Sane ante ipsum natum sæpius Chaldæorum fit mentio. Sic Zara primus כּוּשִׁי, *Chusæus*, sive Æthiops dictus 2 Chron. 14-9. non propterea existimabitur hujus denominationis auctor, quæ procul dubio petenda a Chus Chami filio. Nulla igitur vis in similibus argumentis; liceret potius contra argumentari, & propugnare, quod ante Abrahamum notum esset & usitatum Ebræorum nomen, cum ipsi, ut his modo relatis, tribuatur, sine ulla occasione quæ rationem illius denominationis aut causam ullam exhibeat. Habuit, inquiunt, a suo itinere, & Euphratis transitu. Quasi transitor dicendus esset, qui semel fluvium transiit: similes enim denominationes ab actionibus sæpius repetis obtinent. Præterea

terea עִבְרִי non significat *transitorem.* עָבַר *transire* quidem significat, sed ab eo formatur עוֹבֵר, *transiens* aut *transitor*, & usurpatur ab Ezechiele 39-11. & 14. qui maluisset uti voce עִבְרִי, si eandem significationem habuisset, quia unicuique gratum est primas gentis suæ origines in memoriam revocare; ibi tamen quater עוֹבְרִים *transeuntes* significant, & LXX reddunt ἐπελθόντες. Nullibi autem עִבְרִים eo sensu usurpatum reperimus: contra semper nomina patronymica hanc formam quasi propriam sibi vindicant, ut ex sequentibus patet:

אֲדוֹמִי *Edomæus*, ab אֱדוֹם, *Edomo* sive Esau.
כְּנַעֲנִי, *Chananæus*, a כְּנַעַן, *Chanaan.*
כַּשְׂדִּי, *Chaldæus*, a כֶּשֶׂד, *Chesed.*
אֶזְרָחִי, *Ezrahites*, a זֶרַח *Zerach.*

מִצְרִי, *Ægyptius*, a מִצְרַיִם, *Mitsraim* Chami filio. כּוּשִׁי, *Chusæus* sive Æthiops, a כּוּשׁ, *Chus*, Chami etiam filio. אֲרַמִּי, *Aramæus* sive Syrus, ab אֲרָם, *Aram*, Semi filio. אַשְׁכְּנַזִּי, *Germanus*, ab אַשְׁכְּנַז, *Ascenaz*, Gomeri filio, cui Germaniam in sortem cessisse volunt Ebræi. Omnia nomina similia describenda essent, nam non aliter formantur. Quia autem patria est altera mater, & suos cives alit fovetque, idcirco similibus nominibus ansam præbet, & Rabini ad eandem formam similia nomina excogitarunt, cum Ebræa usitata deerant: cujus generis

עַרְבִי, *Arabs*, a עֲרָב, *Arabia.*

כּוּתִי, *Cuthæus*, a כּוּתָה, *Chuta*, regione Persidis a fluvio cognomine dicta: unde deducti, ut Samariam incolerent 2 Reg. 17-24.

סְפָרְדִּי, *Hispanus*, a סְפָרַד, *Hispania.*
צָרְפָתִי, *Gallus*, a צָרְפַת, *Gallia.*
אִיטַלְקִי, *Italus*, ab אִיטַלְיָא, *Italia.*

Sic denique סַרְקָאִי, *Saracenus.* רוֹמָאִי, *Romanus*: אַנְטוֹכִי, *Antiochenus*: נוֹצְרִי, *Nazarethanus*: גְּלִילִי, *Galilæus.* Hinc Jerem. 29-24. Schemaja dicitur נֶחֱלָמִי. LXX interpretes reddunt secundum quædam exemplaria Νεαιλαμίτην, secundum alia Νεελαμίτην, quæ non differunt; sed non nulla Αἰλαμίτην, mendose, ut legitur in Bibliis Londinensibus. Nempe quia præcedit τὸν, concursus duorum ν fecit, ut posterius exciderit. Sed omnes pro nomine patriæ aut familiæ acceperunt, quia forma & terminatio in י id petit, licet a verbo חָלַם, *somniavit*, posset deduci & convenienter significare somniatorem, cum agatur de pseudopropheta, qui somnia cerebri sui pro oraculis venditabat, ut bene observavit Kimchius his verbis: הַנֶּחֱלָמִי נקרא כן לפי שהיה חולם לכם חלומות שישובו מהרה לירושלם ויתי רמן חלם,

Nechelami sic dicitur, quia somnia ipsis somniabat; nempe quod brevi repeterent Hierosolymam: Ionathan *interpretatur,ex Chalem.* Sic exponit nativum vocis sensum. Sed addit Paraphrastæ sententiam, quæ semper magnam auctoritatem habuit inter Judæos ut eam sequerenter, & in ea ipse videtur acquiescere, cum nihil regerat, & consequenter sic dictum illum a patria putat. unde R. Salomo Jarchi הנחלמי שם מקום, *Nechelami denominatio a loco.* Alii tamen hanc nominum formam proprie pertinere ad patronymica cognoscentes maluerunt hoc formare a *Nechamo*, cujus fit mentio 1. Chron. 4-9. & ל sive *l* per epenthesin inserere, ut allusio fieret ad hujus viri falsum ministerium. Sane חוֹלֵם, *somniatorem*, & נֶחֱלָמִי actionem vix potest designare, cum ad passivam formam proxime accedat. Fateor dari quædam adjectiva in ִי terminata,ut יְמָנִי, *dexter*; אֱוִילִי, *stolidus*; אַכְזָרִי, *crudelis*; הֲרָרִי, *montanus*; מְרִירִי, *amarus*; עֲרִירִי, *solitarius*; & nomina numeralia שֵׁנִי, *secundus*; שְׁלִישִׁי, *tertius*, similiaque: sed actionem similiter non significant, & nulla proferunt formæ עִבְרִי quæ activa sint, ut hoc esse debet ad significandum *transitorem*, & consequenter convenit patronymicis adjungere. Quod potest confirmari auctoritate Samaritani Interpretis: cum enim Samaritani sua patronymica terminare soleant in ࠀࠄ sive אה, vocabulum עִבְרִי, in versione sua Gen. 14-13. sic terminavit, reddiditque ࠏࠁࠓࠀࠄ : עבראה. Videatur Joan. Morinus hujus linguæ illustrator non incelebris, Grammaticæ Samaritanæ cap. 3. Quare convenientius est existimare, nomen patronymicum a prima sua origine fuisse, quam fingere tale tandem effectum postquam merum adjectivum fuisset.

Revera *transiens* vel *transitor* nihil determinate significant, & opus est iis addere transitionis circumstantias quasdam: nempe Gen. 15-17. *transit* ignis divinæ majestatis symbolum per divisas victimas ad instar eorum, qui fœdera olim pangebant: *transeunt* per strata humi Israelitarum corpora hostes Jesa. 51-23. *transire* per aquam illæsos fideles vult Deus Jesa. 43-2. *transit* per manus negotiatorum pecunia Gen. 23-16. *transimus* deserta, agros, prata, viasque; & Abrahamus diceretur *transitor* solitarie ob trajectum Euphratem absque ulla fluminis mentione. Id abhorret ab usu S. Scripturæ, quæ mentem suam amat dilucide explicare. Hinc cum intendit illum transitum significare, fluvium ipsum simul designat. Sic Gen. 31-21. de Jacobo, *transivit fluvium*, absolute ita

Eu-

Euphratem vocans, quia inter vicinos fluvios eminet. Præterea quamvis fingere liceret fluvios propriè transiri, id nondum sufficeret: sunt enim cuivis flumini duo latera, a quibus possunt eadem facilitate transiri, idcirco nullus transitus potest significari sine termini *a quo*, vel *ad quem* designatione. In promptu quidem videtur responsio, & vidi dicentes scriptoris sedem sufficere ad designationem illam sufficienter faciendam, & ex ea certum fore transitoris iter. Sed quamvis constet Mosem scripsisse in regione ad latus Euphratis occidentale sita, inde tamen certum nihil posset colligi, nisi totum Abrahami iter clare describeretur. At hæc descriptio nihil facit ad illustrandum nomen transitoris solitarie sumptum, quoniam ab utroque latere potuit transire. Quamobrem non satis est Josuæ nuncupasse Abrahamum transitorem, ut divinam, quæ a patria in Chananitidem illum adduxerat, vocationem posteritati commendaret; sed scribit, בְּעֵבֶר הַנָּהָר, *in transfluviali regione habitaverunt patres vestri: & cepi Abrahamum* מֵעֵבֶר הַנָּהָר, *e transfluviali regione*, Jos. 24-2. & 3. Patet contentum non fuisse voce solitaria עֵבֶר, *trans*, e qua volunt formatum עִבְרִי, *Ebræi*, nomen, sed expressisse ipsum fluvium, & ulteriorem fluminis regionem. Neque dicendum nimiam affectasse lucem, & suffecisse עֵבֶר *ultra*, sicut Itali Gallos, & Galli Italos vocant Ultramontanos. Verum hoc ipsum exemplum pro nobis militat, cum non simpliciter *ultra* alterutri nuncupentur, sed montium etiam fiat mentio, ut fluminis similiter faciendam mentionem propugnamus. Quin melius designaretur Abrahamus præpositione *cis*, ut proposito exemplo Italorum, aut Gallorum patet: utrique enim Transmontanos non vocant eos qui Alpes transierunt, ut inter ipsos habitarent, sed Cismontanos potius dicerent. Unde Gallia Italica Romanis nuncupata Cisalpina, ut ea quæ remotior patrias sedes conservavit, Transalpina. Ut tamen verum fatear: tam *cis* quam *ultra* significat עֵבֶר. Quapropter non potest significare nisi æquivocam denominationem. Ut enim Abrahamum עִבְרִי, *Ebræum*, a Chananæis dictum contendunt, quia e regione ultra Euphratem sita venit in Chananitidem: sic contra Nehemias cap. 2-6. & 9. in Perside regione ejusdem situs ac natale solum Abrahami erat, degens ac regi mensæ assidenti ministrans petit ab eo literas ad duces suos עֵבֶר הַנָּהָר, *trans flumen.* sic hi suis Persis erant Ebræi, ut Abrahamus Chananæis, licet cis Euphratem essent hic & illi nostro respectu. Addam exemplum adhuc e diametro oppositum. Hadarezer cis Euphratem cum Da-

vide belligerans, & ab ipso profligatus 2. Sam. 10-16. advocat Syros suos מֵעֵבֶר הַנָּהָר, *ex regione transfluviali.* At Deus 1. Reg. 14-15. minatur se dispersurum Israelitas ejectos מֵעֵבֶר הַנָּהָר, ex fæcunda *regione sua transfluviali*, LXX. ἀπὸ πέραν τοῦ ποταμοῦ. Sic diversæ regiones in oppositis fluminis lateribus sitæ eodem modo describuntur. Ut pateat nullatenus idoneam esse hanc præpositionem ad designandum, cum solitaria est, Abrahami transitum, & illum singulari denominatione posterorum menti proponendum.

Egregia denique ratio gentem sanctam innumeris prærogativis illustrem denominandi! Nobile elogium! transivit Euphratem Abrahamus, & propterea *transitoris* titulum meruit; eoque tota ejus posteritas etiam debuit exornari, licet illum fluvium nunquam viderit, aut viderit dumtaxat, ut in exilium abiret, & adverso transitu priorem revera exueret, postea tamen illam etiam antiquam conservatura denominationem. nam adhuc in novo Testamento illa usurpatur. Felix sane Abrahamus: nam venerandus Melchisedec Euphratem similiter transire debuit, ut peteret Chananitidem, tota etiam Japheti posteritas, Chami etiam maxima pars, & ipsius Semi haud exigua, ut occidentales Asiæ regiones, totam Africam, & totam Europam incolerent. Poterant merito gloriam transitu Euphratis partam omnes illæ gentes Abrahamo præripere, & ab illo potiori ob priorem transitum jure denominari, Ebrææque dici. Quomodo etiam Chananæi propterea Abrahamum dicere Ebræum potuerunt, cum ipsi similiter Ebræi & transitores essent. Si autem perversum hujus denominationis jus recentiorem sequi debuit transitorem, mirum adhuc Abrahamo fuisse concessum eo ipso tempore, quo pressa ingenti novorum transitorum multitudine gemebat Chananitis. Tunc enim reges Scinhar, & Elami, & cæterarum gentium cum numerosissimis exercitibus trajecto Euphrate illam invaserant, & inter alia spolia & captivos Lothum abduxerant, ut refertur Genes. cap. 14. Sic totus ille exercitus ex Ebræis constabat, & forsan unus ex illis fuit ille qui dicitur Abrahamo Ebræo captivitatem Lothi nunciasse. Mirum sane, visum fuisse Abrahami transitum adeo insignem, ut ab eo ipse totaque posteritas deinceps denominarentur, cum tot transitores essent & ex prima nobilitate & ex vulgo ignobiliori, a quibus ut a cæteris hac denominatione debuit discriminari.

Itaque convenientius esset dicere Abrahamum περάτην dici, quod ad-

ja-

jacentem Jordani fluvio regionem incoluisset. id enim non careret exemplo : nam habemus apud Josephum de bell. Jud. Nigrum ducem, qui *περαίτης* nuncupatur a patria sua, quia genus suum ducebat, inquit Josephus, *ἐκ τῆς περὶ Ἰορδάνην περαίας*, *ex regione ulteriori Jordanis.*

Verum enimvero longe probabilior, & rationi magis consentanea est sententia, quæ ab עֵבֶר, *Ebero*, deducit עִבְרִי, *Ebræum* : *tsere* penultimum enim secundum genium linguæ mutari debuit in *chirec*. Sic enim patet, cur Sem dicatur præcipue pater filiorum Eber, ob clarissimam scilicet Ebræorum gentem, quæ fœderis divini, & annexorum bonorum ex asse hæres fuit, quæque in Semi liberis excelluit, ut in amplissima Abrahami familia tot principibus insigni, unus Isaacus ob easdem prærogativas semper excelluit; immo solus numeratur. Hinc soli LXX Interpretes Græci עִבְרִי exposuerunt *περάτην* aut *περαίτην*; Symmachus vero vertit Ἑβραῖον, sicut Chaldæi Paraphrastæ, & Syriaca, Æthiopica, Arabica, & Vulgata Latina, quæ vocem *Mosis* retinuerunt, aut formarunt in patronymicum nomen; Josephus etiam Antiq. lib. 1. cap. 7. Post enim deductam liberorum Semi seriem ad Salechum scribit : Τοῦ δ' Ἕβερος ἀφ' οὗ τοὺς Ἰουδαίους Ἑβραίους ἀρχῆθεν ἐκάλουν. *hujus filius Eberus, a quo Judæi initio Ebræi nuncupabantur.* Sic etiam Acatius (in Flamin. diversi. lect. in Gen. 14.) Τὸ ἀπὸ τοῦ προπάτορος τοῦ Ἀβραάμ, λέγω δὴ τοῦ Ἕβερ, ἐθνικὸν ὄνομα ἑρμηνευθὲν ἐτέθη, οἷον ἀντὶ τοῦ Ἀβραὰμ τῷ Ἑβραίῳ, Ἀβραὰμ τῷ περάτῃ. Ἑβραῖος γὰρ περάτης ἑρμηνεύεται. *Positum est gentile nomen ductum ab atavo ipsius Abrahami, id est, Eber, sed interpretatione redditum; nimirum pro Abrahamo Ebræo, Abrahamo transitori. Ebræus enim interpretatione transitor est.* Non mihi propositum est auctores hujus sententiæ sequaces citare; numerosiores enim sunt tam inter Judæos, quam inter Christianos, licet Græcorum Interpretum, quos maxima Patrum pars dumtaxat consulebat, auctoritas plurimos eorum abduxerit. Præterea hæc controversia potius rationibus, quam auctoritatibus dirimenda est. Sed in præcedenti testimonio duo observatione digna continentur; primum, quod etiam ex S. Scriptura constat, Eberus sit Abrahami atavus, nempe si cum Servio in Æneid. 8. supra illum gradum, alteri distinctum non dari gradum agnoscamus; nam revera fuit Abrahami tritavus secundum Plautum qui Pers. act. 1. scen. 2. sextum illum gradum præcedenti addit, sicut Isidorus lib. 9. cap. 5. Hinc autem

non debent arripere occasionem insultandi adversæ sententiæ patroni, & dicendi, ineptissimum esse ex origine adeo remota arcessere denominationem Ebræorum, quæ in Abrahamo primum patuit. Miror sane Scaligeros, Grotios, Erpenios, & cæteros heroes, qui sub eorum signis militant, non animadvertere sex illos gradus, qui revera nobis longissime a se invicem dissiti videntur, tunc fuisse conjunctissimos ob Patriarcharum longævitatem; siquidem Eber vixit cum filiis, nepotibus, pronepotibus, abnepotibus, atnepotibus, & trinepotibus suis, atque cum minoribus etiam, ac una cum iis omnibus Ebræam familiam constituebat. Nam supervixit Abrahamo, & vigesimum vitæ Jacobi annum etiam superavit. Sic non mirum majores Abrahami in S. Scriptura non dici Ebræos, quia pauca de ipsis referuntur, & distinctas ab ipso forsan non constituebant familias, sed eandem regionem conjunctissimi incolebant. At diversa fuit ratio Abrahami: a patriis enim sedibus divina vocatione avulsus, & in remotissimas sedes abductus novam familiam constituit, utque originis suæ memoriam conservaret, Ebræi denominationem conservare debuit. Hinc ipsi tribuitur absque ulla explicatione, ut tunc notissima, & celeberrima in Ægypto etiam, ubi ob peculiares mores & diversam religionem Ebræi abominationi fuisse dicuntur Gen. 43—32. Quod de una Abrahami familia satis exigua, & hactenus Ægyptiis ignota minime convenit intelligere. Sed a prima antiquitate pia religiosaque Eberi familia debuit innotescere consanguineis suis ante dispersionem easdem sedes occupantibus, potuit etiam pietate sua, & sanctis institutis eorum provocare odium. aversa enim semper est impietas a puris religionis legibus. Quemadmodum autem Ebræus haberi voluit Abrahamus, ne cum maledicta Chananæorum gente confunderetur, sic Josephus etiam inter Ægyptios ob eamdem rationem Ebræi elogium affectavit, utpote certum gentis suæ & religionis etiam indicium.

Altera observatio in verbis Acacii facienda consistit in eo quod scribit nomen gentile Ebræorum ab Ebero posse exponi περάτην, *transitorem*. Hinc enim peti potest ratio conciliandi utramque sententiam, atque existimandi fideles Eberi posteros ab ipso dici Ebræos, & hoc Ebræorum nomen ipsis etiam convenire secundum propriam ejus significationem, quod transitores fuerint, vitamque duxerint peregrinam, & huc illuc vagantes fixas sedes habere non debuerint, quo pateret eos stabi-

ſtabilem & æternam expectare, ſicut obſervat Apoſtolus Ebr. 11--14. manifeſtam faciendo ad nomen eorum, ad quos ſcribit, alluſionem. Unde Philo de migrat. Abrah. refert Joſephum honori duxiſſe, ἐπὶ τῷ γένει εἶναι Ἑβραίων, οἷς ἔθος ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὰ νοητὰ μετανίστασθαι· περάτης γὰρ Ἑβραῖος ἑρμηνεύεται, *quod ex genere eſſet Ebræorum, quibus mos a ſenſibilibus ad intelligibilia migrare; Ebræus enim migrator exponitur.* Sane plurima nomina duplicem poſſunt admittere ſenſum, & ſæpe ipſi eventus impoſitorum nominum ſignificationi reſpondent. Sic ſupra vidimus Eteoclem objicere Polynici πολλῶν νεικέων ἐπώνυμον, *cognomen plurimas contentiones involvens*, apud Eurip. in Phœniſſ. ſic in Iphigenia in Tauris Thoas merito dictus ποδωκείας χάριν, ob pedum velocitatem, a θέω, *curro*; & Ajax apud Sophoclem queritur nomen ſibi impoſitum mala ſua importans ob αἶ αἶ, quibus conſtat. In eumdem ſenſum Eſau objicit Jacobo nomen Gen. 27--36. יַעֲקֹב וַיַּעְקְבֵנִי, *Jacob*, i. *ſupplantator, quia ſupplantavit me duabus vicibus.* Similiter Ebræi ab Ebero gentis auctore dicti fuerunt, ſed inſuper novo jure dici meruerunt ob vitam continuis peregrinationibus obnoxiam. Abraham enim reliquit patriam, & in ipſa Chananitide ſæpius diverſas occupavit regiones, migravitque de loco in locum. Sic Iſaac. & Jacobus inde Pharaoni petenti, quot annos haberet, reſpondit: *Dies annorum peregrinationum mearum ſunt centum triginta annorum. Neque attigerunt dies annorum vitæ patrum meorum in peregrinationibus ſuis. &c.* Eadem prorſus ratio linguæ Ebrææ, quæ ſic dici meruit, quia propria Eberi familiæ remanſit, & cum ejus poſteris ſæpius etiam mutavit ſedem, & a veteri mundo aquis diluvii deleto ad alterum a Noacho reparatum pervenit, ut eccleſiæ peregrinantis individua comes ſemper exiſteret

CAPUT XI.

De lingua Ebræa, & an eadem fuerit cum Chananæa.


Einceps anonymos non erit primæva lingua, ſed Ebræam ab Ebero, qui eam a Noacho & Semo majoribus ſuis acceperat, ut ad poſteros ſuos Dei obſequio deditos illam transmitteret. Nondum tamen compoſitum eſt diſſidium, & licet affirmare rem ad triarios rediiſſe, quandoquidem ſententiæ noſtræ oppugnatores acrius inſurgunt, & validioribus argumentis illam proffligare conantur. Egregiam vero dicunt fuiſſe Ebero mercedem ſanctæque ejus poſteritati conſervaſſe linguam nefariæ conſpirationis ream, & cum impia Chananęorum gente communem, longeque fuiſſe optabilius novam & innocentem obtinuiſſe linguam a Deo. Sic ingenioſa doctorum auctoritas ſubtilem ſibi valet fucum facere, & nonnullam opinionibus etiam improbabilibus veriſimilitudinis ſpeciem inducere. Novæ ſcilicet linguæ rebellibus in pœnam a Deo immiſſæ, ut egregia dona repræſentantur, & luctuoſa linguæ nativæ amiſſio æſtimatur ingens emolumentum. Sic in re ſeria ludimus, & ſufficit noſtram exhibuiſſe induſtriam. At revera coram æquo rerum arbitro irreparabile inæſtimabileque damnum erit amiſſiſſe linguam a Deo propitio & favente homini innocenti datam, quaque cæleſtia fidei pignora & ſublimia gratiæ myſteria ipſi tradita fuerant. Huic autem damno luctuoſa facta eſt acceſſio, lingua nova, quæ innocens licet, ſupponit tamen reum illum, cui datur; & pœnæ graviſſimæ rationem etiam habet, quoniam in ipſa ſua patria extorrem facit, & exulare cogit, cum patriam linguam non amplius intelligat.

Hactenus leviorum argumentorum velitationibus actum putant adverſarii, & tandem graviora expediunt: tale illud putant, quod ſupponit linguam Ebræam & Chananæam eandem eſſe nullaque varietate diſcriminari. Revera ſi hoc obtineat, vix ſtabunt quæcunque in commendationem linguæ Ebrææ produximus, & ipſius Eberi, quem a crimine abſolvit lingua illa, modo ipſi peculiaris & propria exiſtimetur,

ſed

ſed confundit illum cum cæteris rebellibus cum quibus communicata eſt, quia nulla inſignis prærogativa ab ipſis ſecernetur. Quin videbuntur etiam corruere argumenta, quibus probavimus linguam Ebræam ab Ebero, cui in peculium ceſſit, dictam fuiſſe, quoniam non debuit dici potius ab illo quam a Chamo, ſi Chananæi ab hoc orti illam uſurpaſſe comperientur. Hoc ſe tutos præſidio arbitrantur, & exinde telis emiſſis noſtram ſententiam confodere tentant. Stat tamen immota & illæſa veritas, & tela in eam emiſſa quamvis ſtridula cadunt ad pedes ejus, & ſponte confringuntur: pietas enim Eberi, & ejus familiæ validis adſtructa argumentis non poteſt communione ejuſdem linguæ cum Chananæis labefactari. Neque minus etiam æquum paternam linguam ipſis ob fidem Deo inviolabiliter ſervatam fuiſſe, quamvis relicta fuiſſet aliquamdiu Chananæis, illa ſpoliari dignis ob crimen quod eam e memoria cæterorum complicium delevit. Gratiæ enim liberrimæ ſunt earumque diſpenſatio a mero Dei beneplacito pendet; quare non ſolis bene meritis ſemper conceduntur, ſed in reos ipſos nonnunquam cernuntur exundare, præſertim cum hæ in immerentes collatæ gratiæ in benemeritorum commodum cedere poſſunt. Sic Loth & ejus filiæ ab exitio Sodomæ divinitus non tantum eximuntur, ſed Segor etiam eorumdem ſcelerum conſcia, & idem exitum merita conſervatur, ut ſecurum his fidelibus præberet hoſpitium: id quod non minuit gratiam Lotho factam, ſed adauget. Quid mirum igitur, ſi lingua Ebræa ſingulari Dei in Eberum benevolentia conſervata, ipſis Chananæis licet ea indignis etiam aliquamdiu conſervatur, ut cum iis utile commercium habere poſſet pia Eberi poſteritas, & uſu ejuſdem linguæ minuerentur incommoda Patriarcharum inter Chananæos peregrinantium. Addere licet non omnino condonatam Chananæis meritam pœnam, ſed dumtaxat dilatam, & paulo poſt Chananæos gratia illa & divina tolerantia abutentes, ſuis ſedibus, poſt neceſſaria Iſraelitis in gentem numeroſiſſimam creſcentibus præſtita officia, ejectos atque extorres exiguas dumtaxat conſervaſſe hujus linguæ reliquias in priſtini decoris memoriam, quo ingrata ſua impietate exciderant, ut cuivis notiſſimum. His reſponſionibus minacia adverſariorum tela ſaltem retunduntur, diruiturque ipſorum præſidium. Sed expedit illud funditus peſſumdare.

Propterea ſecure dicam, gratis & ſine ratione aut ſaltem ſolido antiquitatis teſtimonio affirmari linguam Ebræam uſurpaſſe Chananæos,

illamque cum Eberi posteris communem habuisse. Vix dici potest, quantopere hæc assertio audax temerariaque videatur ob præstantissimos viros, & in ipsis linguis orientalibus versatissimos, qui linguam Ebræam cum Chananitica eandem esse volunt; nempe Scaliger, Grotius, Postellus, Seldenus, Vossius, Capellus, & ipse Bochartus noster id docuisse dicuntur. Hos omnes viros doctissimos suspicio ac veneror, & ab eorum sententia absque validis rationibus discedere iniquum duco; sed per ipsos cuivis licere in sententias eorum modeste inquirere arbitror; cum sæpius iis tribuantur sententiæ non plane probatæ, aut saltem absque idoneo examine susceptæ, obiterque propositæ. Hinc autem sententiarum portenta nonnunquam existunt, quia, quæ incogitanter magnis viris exciderunt, non secus ac oracula ab aliis ostentantur, & nominum eorum commendatione celebrantur. Non sunt aliunde quærenda exempla: unus sufficiet Bochartus, qui lib. 1. sui *Phaleg* cap. 15. scribit, quod *lingua Chanaan Ebraicæ valde erat affinis*, & ob illam affinitatem ex ea origines quasdam alibi deduxit. Id suffecit, ut putaretur pro una & eadem lingua utramque habere; lectoresque non satis cauti id etiam possent ex ejus verbis non bene pensitatis colligere. Si accurate etiam legatur caput 2. proleg. Clariss. Seldeni de diis Syris, erit facillimum animadvertere, quod sensit magnam initio fuisse affinitatem inter linguam Ebræam, Chaldaicam, & Phœniciam. Neque immerito, quia Ebræa initio obtinebat sola in oriente ante confusionem Babylonicam in Noachi familia, quæ cæteras orbis regiones coloniis replevit, & in eo tam altas egit radices, ut diu præpolluerit, ad quod etiam non parum contulit frequens vicinorum Ebræorum commercium. Quis inde inferat indicasse has linguas pro una & eadem habendas? Quis etiam inficietur affines illas Ebrææ linguas brevi non fuisse immutatas, atque alienis commerciis alienissimas tandem factas, ut experientia patet? Grotius vero in Gen. 11—1. dicit quidem *linguam Ebræam Abrahami & ejus posterorum incolatu in Chananæa ad Chananæum propius semper propiusque accessisse, neque distulisse a Punica nisi dialecti quibusdam proprietatibus*: minime tamen asserit easdem omnino fuisse. Ad Scaligerum quod spectat, fatemur epist. 42. ad Thomsonem, & 362 ad Ubertum, velle linguam Ebræam in usu fuisse Chananæis, & Patriarchas non, ut visum est Grotio, ea lingua, quam reportaverant ex Trans-euphratensi regione usos, sed ea quam inter Chananæos didicerant,

rant. Hujus autem ſummi viri auctoritas poſt ſe totum traxit Erpenium, qui ulterius etiam progreſſus arbitratur Chananæos omnes etiam Ebræos fuiſſe, eorumque linguam revera Ebræam conſequenter fuiſſe, & Abrahamum Chaldaica ſua neglecta ab iis illam dediciſſe, ſicque Ebræum factum. Doctiſſimus denique Huetius, etſi videatur nonnunquam his adſtipulari, revera tamen quoddam diſcrimen admittit inter linguam Ebræam & Chananæam. Quare ſententiam Scaligeri & Erpenii oppugnandam præſertim ſuſcipimus, ſive ut expreſſio noſtra veritati & modeſtiæ noſtræ melius reſpondeat, linguæ Ebrææ dignitatem ab illorum oppugnationibus tueri conſtituimus.

Sed antequam id aggrediamur, convenit Celeberrimi Pocockii ſententiam proponere. Vir eſt acerrimi judicii, & in linguis illis fuit verſatiſſimus. Sic autem illam verbis quorumdam Rabbinorum candide exponit Notar. miſcellanearum in diverſa S. Scripturæ loca cap. 1. *Vicinarum linguarum collatio, Syriacæ puta, ſive Chaldaicæ, & Arabicæ. Cum ſint tres iſtæ Ebræa, Syriaca, & Arabica* לשונות משותפות מתדמות בשמותיהם ובהלותיהם ובשמושיהם (ut loquitur R. Judah Levita in Cozari lib. 2. §. 68.) *linguæ affines, & quæ multa inter ſe communia habent in nominibus ſuis, inflexionis & conſtructionis ratione. Adeo ut fere cum R. Aben Ezra dicamus eſſe ea* שפה אחת ודברים, *labium unum & verba diverſa, ſive unius linguæ dialectos varias, quarum Ebraica mater, reliquæ autem filiæ matri non abſimiles.* Hactenus ille circumſpecte loquitur, & *fere* addito verbis Aben Ezræ prudenter emollit fortiorem aſſertionis vim. Jamvero ex ſuperſtitibus illis linguis Chaldaica & Arabica judicare licet de earum cum Ebræa in ſacris voluminibus conſervata, affinitate, & colligere affines dici poſſe linguas, quamvis non ſint omnino ſimiles, & in verbis expreſſionibusque non ſemper conveniant.

Utinam intra hos limites licuiſſet conſiſtere, & lingua primæva, Ebræa tandem dicta, ſuperſtes & cæterarum mater ab omnibus agnoſceretur, ut innumeræ rationes nobis requirere videntur.

1. Patet Deum ſemper habuiſſe Eccleſiam, quæ ejus cultui vacaret, & gloriam ex mundi beneficio cæteriſque beneficiis debitam ipſi præſtaret, cum mundum eo dumtaxat fine conſervet, & fideles dicantur *ſal terræ* Matth. 5—13. quod illam conſervent. Unde ſimulatque eorum numerus completus erit, & in cœlum evectus, tota univerſi com-

pages

pages soluta in primum redibit chaos. Huic autem ecclesiæ norma fidei & vitæ esse debuit, quia Deus constantissimus obsequio gaudet, & cultus a se præscriptos in supremi dominii sui testimonium dumtaxat admittit, sacraque arbitraria aversatur. Unde Samuel ad Saulem 1 Sam. 15--22. *An delectatur Deus holocaustis & sacrificiis, ut obsequio voluntati ejus exhibito? Auscultare est melius sacrificio. &c.* Agebatur autem de victimis ex hostili præda reservatis ad altare Domini, quas tamen adeo horret, ut propter eas Saulem reprobaverit. Adhuc expressius ore Jesaiæ 29--13. cultum præcepto humano institutum damnat, & Marci 7-7. Christus eandem renovat, ne unquam obliteretur. Nempe impossibile est homini peccatori absque fide Deo placere Ebr. 11--6. & ibidem fide docemur ad Deum accedere; *fides autem est ex auditu, auditus vero per verbum Dei*, Rom. 10--17. Itaque verbum Dei aliqua lingua ad hominem reum dirigi debuit, ut fidem futuræ reconciliationis ipsi faceret. Necessarium insuper fuit illud verbum ad ipsam hominis illius fidei opera perficiendam regenerationem; nam *verbum Dei semen est spiritualis nostræ regenerationis*, 1. Pet. 1--23. Sive autem verbum illud fuerit dumtaxat ore prolatum, ut cum primum Deus pollicebatur Adamo semen benedictum, quod serpentis seductoris caput tandem conterere debuit; sive etiam scriptum, ut accuratius conservaretur, quod probabilissimum est paulo post adhibitum ad mentem efficacius afficiendam, quis potest in dubium revocare, quin hoc atque illud a fidelibus religiose exceptum sedulo fuerit asservatum, ut primævæ gloriæ monumentum, & futuræ sacrum pignus pretiosissimum & ab hominibus semper maximi æstimatum? Inprimis fideles illud tanti æstimarunt, quanti fidem omnium suorum bonorum inexhaustam scaturiginem. Ut igitur fidem inviolatam, sic verbum fidei fulcrum conservaverunt inviolatum invitis rerum mundanarum vicissitudinibus, quarum nullæ æque ac verbum illud divinum ipsis cordi fuerunt.

2. Sancta sanctis conveniunt: quamobrem lingua sancta, quam condidit Deus in gratiam hominis innocentis, quaque prima fidei mysteria initio revelavit, exprimendis deinceps religionis dogmatibus debuit consecrari. Quis enim ægre non ferret, divina mandata, sacram creationis historiam, & venerabiles primorum patrum vitas prophanis sermonibus describi? Prophanas autem duco omnes omnium gentium idolola-

latricarum linguas, quæ suis superstitionibus inserviebant. Exemplo sit Græca, quæ falsorum numinum nominibus omnia nuncupabat elementa, & vix ullum verbum a superstitione conservabat illibatum. Sed ut Chaldæi & Chananæi præcipui fuerunt idololatriæ auctores, sic linguæ eorum Græcam longe hac spurcicie superarent, si integræ ad nos pervenissent. Sane pleraque eorum nomina a deastris suis hæ gentes denominare solebant: sic Babylonii a Chaldæo suo בֵּל, *Bel*, (Ebræi בַּעַל, *Baal* dicerent) *Belum* regem, & *Beladan* 2 Reg. 20--12. & Jes. 59-1. *Belsatsaremque* Dan. 5--1. & ipsum Danielem *Belschatzarem* a nomine Dei sui etiam dixerunt Dan. 4-7. sic ex נְבוֹ, *Nebo*, de quo Jes. 46-1. fecerunt *Nabucodnosorem*, *Nabonassarem*, *Nabopolassarem*, & *Nabonidum*: a מְרֹדָךְ, *Merodach*, de quo Jerem. 50-2. *Evil-merodach*, & *Merodach-baladan*: & a נֹגַה, *Noga* Venere, de qua Jes. 62-1. unus sociorum Danielis dictus est עֲבֵד־נְגוֹ, *Abed-nego*. sic duo illi pii adolescentes labe Babylonici sermonis afflati fuerunt. Eadem Chananææ linguæ ratio, quia enim *Bahalem* Chananæi colebant, *Et-bahalem* nuncuparunt Sidoniorum regem 1. Reg. 16-31. *Bahal-hanan* Gen. 36-38. sive ordine converso *Hannibal*. Nempe multi Chananæi, ut etiam Phœnices, metu Josuæ transfretarunt, Africamque petierunt, testibus duabus illis columnis in rei memoriam erectis, de quibus Procopius, Evagrius & Nicephorus Calixtus consulendi. unde insuper *Hasdrubales*, *Adherbales*, *Maharbalesque* habuerunt. An sacra referam? Sane prophana fuerunt, & merito lingua Latina *sacrum* pro *scelesto* dixit, cum nihil scelestius fuerit idololatrico gentium cultu. Quare Israelitæ mactabant Deo suo abominationem Ægyptiorum Exod. 9-26. & cæterarum gentium, ut hæ gentes abominationem Dei suis Deastris mactabant. Quid quæso intemeratum potuit reperiri in linguis gentium, cum res omnes spurcis contaminarent cultibus, montesque, fluvios, animalia, plantas, ac vilissima insecta devoverent; cibos superstitiosis libaminibus, vestes texturis heterogeneis polluerent, atque ita omnibus suis institutis Deo displicerent, ut maximam legis suæ partem, secundum Ebræorum sententiam, potissimum direxerit ad avertendos ab ipsis ecclesiæ Israeliticæ animos? Quis, inquam, credat linguam potuisse esse communem inter eos, qui a se invicem adeo abalienabantur?

3. Lex ipsa id pati posse non videtur: nam Exod. 23-13. expressum hoc habet mandatum, *Nomen deorum alienorum ne recordamini.*

Unde David: *Non assumam nomina illorum in labiis meis*, Psal. 17—4. Quare Hoseas 2—17. Ecclesiæ Israeliticæ restitutionem in pristinum statum pollicitus, non tantum idola amovenda, sed nominum illorum memoriam penitus abolendam declarat: qui autem id fieri potuit, si lingua prophana, quæ omnia nomina sua polluerat, ab initio in communi populi sui usu fuerit recepta? Promptum erit respondere ipsam linguam Ebræam, quam dicimus sanctam, nonnulla idolorum nomina habere; sed promptius erit regerere, ea quidem admisisse in contemtum & ad detestationem. sic Gideon nuncupatus est *Jerub-bahal* Jud. 6--32. quod destruxisset Bahalem; sic filius Jonathanis dictus *Merib-bahal* 1. Chron. 9-40. & *Esc-bahal* ob eamdem rationem. *Jerib* enim, & *merib* formantur a רוב, *rob*, *contendit*, & *contendendo superavit*: אֵשׁ, *esc*, vero significat ignem, quo potuit uti ad illum perdendum. Sed ut manifestius pateat nomen illud *bahal*, quod Dominum & majestatem in lingua Chananæorum significat, diversum sensum habere in lingua populi Dei; alias exponitur per בֶּשֶׁת, *besceth*, & בֹשֶׁת, *bosceth*, *ignominia* & *probrum*, & Gideon dicitur 1 Sam. 11-7. *Jerub-bescet*, & *Esc-bahal* dicitur *Mephibosceth*, 2 Sam. 9-10. id est, interprete S. Hieronymo, *os pudoris* sive *aspectus ignominiosus*, ob distortos vel fractos pedes quibus ambobus claudicabat. Permutatio autem illa nominum ideo fit כי בעל ובשת אחד הוא, *quoniam baal & besceth* vel *bosceth*. i. *ignominia*, *unum & idem sint*, inquit R. David Kimchi in 1 Chron. 9-40. Hinc 1 Reg. 18-25. in textu sacro legitur: *& dixit Elias* לִנְבִיאֵי הַבַּעַל, *prophetis Bahalis*: LXX Græci reddunt τοῖς προφήταις τῆς αἰσχύνης, *prophetis probri*, aut *ignominiæ*. Similiter בַּעַל־זְבוּב, *Baal-zebub*, Akaronitarum Chananæorum Deus a muscis propulsandis dictus; quare Græci eum dicebant *Myodem* apud Plinium lib. 29. cap. 6. & *Myiagrum* lib. 10. cap. 28. & Ἀπομύιον Clement. Alex. admon. At Judæi eum nuncupabant בַּעַל־זְבוּל *Baal-zebul*, *Dominum stercoreum*, sive βεελζεβοὺλ, ut legitur Mat. 12-24. Marc. 3--22. & Luc. 11—15. Quæ mutatio præcipitur in Thalmude Hierosl. tract. avod. zar. jubent enim Rabini גד״יה, *fortunam* vocare גליוא, *fœtorem*, *d* in *l* mutato; & עין כוס, *fontem calicis*, עין קוץ, *fontem tædii*, *c* in *k* mutato. Nempe statuæ in dearum speciem ex aliquo vase solebant in fontibus aquas fundere, quod Judæi aversabantur. Licet etiam existimare sancta fuisse in Ebræorum lingua nomina illa, quibus idololatræ abutebantur instinctu Dæmonis, qui simiæ instar

instar passim visus est opera Dei imitari, & ejus elogia usurpare. Sane licet colligere ex Hos. 2-16. Deum admisisse *bahalis* sive *domini* titulum, quippe qui tempora gratiæ singularis pollicetur ecclesiæ his verbis: *In die illo vocabis me* אִישִׁי, *maritum meum*, *& non vocabis me ultra* בַּעְלִי, *Baali*. *i. Dominum meum.* R. Salomo Jarchi convenienter exponit: תעבדוני מאהבה ולא מיראה׳ אִישִׁי לשון אישות וחיבת נעורים בַּעְלִי לשון אדנות ומורא׳ ורבותינו פירשו ככלה בבית חמיה ולא ככלה בבית אביה. *Coletis me amore, non vero timore. Isci enim. i.e. maritus meus est, expressio conjugalis, & tenerum amorem declarat: baali vero. i.e. dominus meus, auctoritatis & subditi timoris sermo est. Et Rabini nostri interpretantur, quod ecclesia tunc erit sicut sponsa in domo soceri sui; non autem ut sponsa, dum adhuc est in domo patris sui.* Egregia sane comparatio: Ecclesia enim Israelitica sub patre imperium severum exercente vivebat per totam legis œconomiam; at nunc sub Euangelio Dei filio desponsata ejus fruitur amoribus, & patrem experitur clementissimum socerum, qui beneficiis suis eam cumulat: olim domini legibus parebat, nunc mariti. Sic Deus בַּעַל, *baal*, fuit primis ecclesiæ Israeliticæ temporibus. Verum Chananæi absolutum Dæmoni in seipsos dominium sponte concedentes Baalem suum fecerunt, æquumque illud elogium polluerunt. Sanctissimum fuit *Melchi-sedeci* nomen, & mysteriis sublimibus abundabat; at idem judicium non ferendum de *Adoni-sedec*, licet eamdem significationem videatur habere. Licet enim existimare ad Jovem esse referendum, cum צֶדֶק, *tsedec*, *Jovis stellam* soleat significare. Possem plurima exempla referre, sed hæc sufficiunt; sufficiunt etiam ad propositum nostrum. Autumant adversarii, & manifeste probant, quod si aliquam labem gentium linguis idololatria afflavit, Ebræa immunis ab illa non fuerit, cum eadem nomina contagiosa habuerit: itane vobis videtur, Clarissimi Viri? Sane aliter videbitur, si amotis præjudiciis consideretis linguam Ebræam origine sanctam, usu talem etiam permansisse, & cæteras idololatris in pœnam immissas ab usu continuo depravatas fuisse, & nefariis superstitionibus semper inservisse. Quamobrem inique compararentur cum lingua Ebræa: licet enim quibusdam abusibus fuisset obnoxia, nativam tamen puritatem constanter sibi vindicavit, atque saltem legitimum ad illam ab illatis coruptelis in pristinam integritatem revocandi jus conservavit. Aptior igitur, imo sola apta est ad officia religionis sanctissimæ, quæ satagebat ab omnibus gentium moribus & institu-

tis avocare Iſraelitas, puriſſimoſque ab eorum ſuperſtitionibus præſtare: fruſtra enim diverſas leges, aut veſtes, cibosque diverſos habuiſſent, ſi lingua communis earum cultus, ceremonias, objectamenta, luxus, aut laſcivias identidem ob oculos expoſuiſſet.

4. Deus ægre fert ſancta ſua verba ab impiis uſurpari, Pſal. 50--16. & præſertim quamdiu duravit prima illa œconomia, quæ Iſraelitis fuit addicta, ut quicunque ad ejus fœdus admitti optabant, huic electæ genti inſeri deberent, & patrios more exuere tenerentur, ne ullæ pristini ſtatus reliquiæ ſupereſſent. Unde Judæi, ut omnimodam in unoquoque mutationem factam ſignificent, aſſerunt, quod יצא מכלל הגוים, *egrediebatur ex univerſitate gentium*, novam cælitus obtinebat animam priori expulſa, fiebatque כקטן שנולד דמי, *ſicut infans qui recens naſcitur*, neque ullum priſtinæ conſanguinitatis aut affinitatis conſervabat veſtigium; ſed pater, mater, fratresque ipſi erant alieni, neque poterant ei ſuccedere. Videatur de hoc argumento fuſe diſſerentem Clariſſ. Seldenum de Jure nat. & gent. juxta diſcipl. Ebræor. lib.2. cap.4. Jam vero minime eſt veriſimile Deum, qui tantis diſcriminibus ſecernere voluit ſuos Iſraelitas a cæteris gentibus, voluiſſe unam linguam iis omnibus eſſe communem; præſertim cum doctrina ſalutaris, legiſque myſteria eccleſiæ peculium conſtituerent. Quamobrem Pſaltes regius: *Revelavit verba ſua Jacobo, ſtatuta ſua & judicia Iſraeli; non ſic fecit aliis gentibus*, Pſ. 47-19. Revelaſſet autem etiam Chananæis, ſi lingua Chananæa edita fuiſſent, cum ipſis æque legendo potuiſſent innoteſcere. Sed convenit obſervare, quod judicia & ſtatuta non dicat dumtaxat revelaſſe, ſed etiam ipſamet *verba* quibus exprimebantur, ut pateat, linguam peculiarem cum peculiari lege Iſraeliticæ eccleſiæ conceſſam fuiſſe. Hinc libros verba & doctrinam comprehendentes, ut ſingulare peculium, ſemper conſideraverunt Judæi; unde Jonathas Pontifex in ſuis ad Lacedæmonios literis ſcribit, quod non indigebant variis præſidiis, ut cæteræ gentes, παράκλησιν ἔχοντες τὰ βιβλία τὰ ἐν ταῖς χερσὶν ἡμῶν, *habentes pro ſolatio ſanctos libros qui ſunt in manibus noſtris.* Mach. 12-9. Hi autem libri Eccleſiæ Iſraeliticæ traditi, ut tandem ejus opera conſervati in manus Chriſtianorum pervenirent, lingua Ebræa illi genti peculiari, ut capſa cæteris clauſa, religioſe conditi fuerunt. Idcirco linguam illam ſedulo conſervaverunt Iſraelitæ in diuturna Ægyptiorum ſervitute, neque inter Babylonios miſere diſperſi illam

ex

ex memoria prorſus excidere ſiverunt, ſed invita immitium dominorum tyrannide, & calamitate innumeris miſeriis gravi, qui avitæ religioni erant addictiores illam ita excoluerunt, ut indeſinenter ex libris ſacris cognitionem alendæ pietati neceſſariam hauſerint, & myſteria ſua valuerint exponere. Id patet Nehemiæ 8—3. ubi legis librum legit Eſdras coram tota populi attendentis multitudine: expreſſe enim viri, & mulieres etiam הַמְּבִינִים, *intelligentes*, dicuntur, benedictionibuſque ejus peractis, ut conveniebat intelligentibus, *Amen* acclamant. Attamen quia ſunt nonnulli qui de hujus loci ſenſu aliter judicant, arbitranturque legem quidem Ebraice ab Eſdra lectam, ſed Chaldaice expoſitam, ut populus illam intelligeret, expedit præcipua textus ſacri verba attentius conſiderare, ſive præcedant, ſive ſequantur ea, quæ citavimus, ne cuiquam fraus fiat, & ut veritas nunc conſtituta aliam deinceps valeat etiam ſuſtentare. A verſu primo Eſdra rogatur legem Dei afferre, & obſequitur verſ. 3. & 4. Coram viris mulieribusque יִקְרָא בוֹ *legit in eo libro* a prima luce ad mediam diei partem in conſpectu virorum & mulierum *intelligentium*, & aures populi dicuntur *attente* ad librum legis. Obſervate unum legis librum legere Eſdram, & ad eumdem populum dici attentum, intelligentemque. Additur quidem verſ. 7. quod Levitæ מְבִינִים אֶת־הָעָם לַתּוֹרָה, *faciebant attendere populum legi*; ſed quomodo id fecerint, explicat Vulgata dicendo: *Silentium faciebant in populo ad audiendam legem.* Additur inſuper verſ. 8. & legerunt בַּסֵּפֶר בְּתוֹרַת הָאֱלֹהִים מְפֹרָשׁ *in libro legis Domini quod expoſitum erat* vel *qui expoſitus erat*, ſive *expanſus* & *apertus*, ut intellexit Syrus Interpres. Additur etiam ſenſum ejus percepiſſe auditores, advertendo lectioni mentem. Poſtea verſ. 9. *Dixit Nehemias ipſe, Tirſata & Eſdras ſacerdos, ſcriba, & Levitæ facientes attendere populum, populo: Dies ſanctus eſt Domino Deo noſtro, ne lugeatis, & ne fleatis; nam omnis populus flebat cum audiret verba legis. & dixit eis: Ite, comedite. &c.* In tota hæc narratione ne unum quidem verbum expoſitionis diverſa lingua factæ, & linguæ Chaldaicæ nulla mentio; imo ſummaria deſcriptio docet Eſdram in lege indeſinenter legiſſe a mane ad meridiem, tunc dimiſiſſe populum ad prandium. Si qua etiam expoſitio facta fuiſſet, neceſſario feciſſent illam Levitæ, de quibus poſtea fit mentio; at quis credat Levitas coram Eſdra & Nehemia prophetis explicaſſe legem, quam contentus Eſdras fuerat legiſſe. ſic enim lector hic fuiſſet, ii vero doctores.

5. Non tantum linguam Ebræam conservare sartam tectam ecclesiæ suæ semper curavit Deus; sed & illa, ut individua sinceræ religionis comes agnosceretur, desertores fidei illico deseruit. Exemplo sunt Israelitæ, qui deficientes a Salomonis successoribus novum statum condiderunt; atque ab avita religione sensim deflexerunt, & paulo post linguam sanctam etiam amiserunt. Sane Israelitæ illi defectores anno circiter 250 a defectione sua in horrendam ab Assyriis abducti sunt servitutem, & in varias regiones dispersi sunt, in quibus nullæ Ebrææ linguæ cernuntur reliquiæ, licet totus viatoribus pervius orbis omnium, quæ in usu sunt, linguarum luculentam notitiam exhibeat. Ut autem manifestius pateret proprium sinceræ ecclesiæ linguam illam esse peculium, cœpit ab eo tempore nomen mutare, & Judaica dicta est, quia Judæorum propria evasit: hinc Rabsake minis tentans terrere Hierosolymitanos eosque in potestatem Assyriorum etiam redigere, rogatur ab Eliakim, & cæteris proceribus: *Loquere quæso* אֲרָמִית, *Chaldaice*, *&* *non* יְהוּדִית, *Judaice*, 2 Reg. 18—26. Sic 2 Chron. 32-18. legati Babylonii referuntur alta voce inclamasse יְהוּדִית, *Judaice*, contra populum stantem in muro ad illum propugnandum. Denique ipsissimi illi Judæi, qui toties inter alienigenas suam S. linguam conservaverant, & sancta fidei mysteria hac lingua addiscere solebant, illam etiam amiserunt, cum a sincera veritate deficientes totam humanis traditionibus mentem manciparunt, & religionem innumeris superstitionibus contaminarunt. Quemadmodum enim ipsæ Israelitarum reliquiæ paternam suam linguam in patria amiserunt, & Cuthæis permixti Cuthæam seu Samaritanam usurparunt, unde opus habuerunt versione Samaritana, ut legem intelligerent, & ipsum textum Ebræum literis Samaritanis discribi, ut illum legere possent; similiter Judæi in patria linguam suam sensim exolescere siverunt, & admissis vicinarum gentium idiomatibus & vocabulis ita corruperunt, ut deinceps illam non intelligerent. Quare in ipsis Synagogis versionibus uti coacti fuerunt: alii scilicet Chaldaicam paraphrasin, alii Græcam τῶν LXX versionem adhibuerunt, paucissimisque Ebraismi & primævæ linguæ dignitas innotuit.

6. Has mutationes frustra non accidisse, & individuam religionis comitem inter Israelitas linguam Ebræam desertores illius dumtaxat deseruisse, confirmatur illustri oraculo per prophetam Sophoniam 3--9. edito circa futuram extremis temporibus omnium gentium conversionem, quandoquidem tunc Israelitis restituendam linguam Ebræam,

aut

aut ſaltem illius linguæ veris Iſraelitis propriæ ſermonem a priſtinis impietatibus purum his verbis Deus non obſcure pollicetur: כִּי־אָז אֶהְפֹּךְ אֶל־עַמִּים שָׂפָה בְרוּרָה לִקְרֹא כֻלָּם בְּשֵׁם יְהוָה לְעָבְדוֹ שְׁכֶם אֶחָד. *Tunc reverti faciam ad populos linguam electam* aut *puram, ut invocent omnes nomen Domini, ſerviendo ipſi humero uno*, ſive *unitis viribus*. S. Hieronymus in comment. refert quod Judæi volunt id tempore Meſſiæ adimplendum, & *ſicut ante ædificationem turris fuit, quoniam una lingua omnes populi loquebantur; ita converſis omnibus ad cultum veri Dei loquuturos Ebraice & totum orbem Domino ſerviturum.* Et poſt varias obſervationes prophetiam myſtice explicantes concludit, quod felici illo tempore, & converſis divina gratia animis, *abjectiſque lateribus & bitumine, quæ habebamus pro lapidibus, & luto, quibus erroris noſtri ſuperbiam extruebamus contra Dominum, recipiamus linguam, quam ante perdidimus.* Linguamque illam convenienter inſtitutis ſuis reſtituendam dicit, cum in cælo beatos ea uſuros arbitretur. Sapientes Ebræorum recentiores veſtigiis antiquorum inſiſtunt. ſic enim R. David Kimchi in illum Sophoniæ locum: העמים ששארו אחר מלחמת גוג שפתם הראשונה אהפוך אותה עליהם בשפה ברורה שלא יוציאו בשפתם אלהים אחרים אל כלם יקראו בשם ה׳ זהוא שפה ברורה כמו שאמר נביא זכריה ביום ההוא יהיה ה׳ אחד ושמו אחד׳ והחכם רבי אברהם אבן עזרה ז״ל פירוש׳ יתהפכו לעבוד ה׳ לבדו בשפה ברורה היא לשון הקדש שבה לבדה נקרא השם הנכבד: *Populi, qui ſuperſtites remanebunt poſt bellum Gogi, linguam nativam commutabunt in ipſis in linguam puram, ne imposterum lingua ſua proferant Deos alienos; ſed omnes invocabunt nomen Domini, id eſt, lingua pura, ſicut ait propheta Zacharias, In die illa erit Deus unus, & nomen ejus unum.* (14. 9.) *Sapiens autem R. Aben Ezra b. m. interpretatur, convertendos populos ad unum Deum colendum in lingua pura, id eſt, lingua ſancta, quia in ea ſola invocatur nomen Dei glorioſum.* Expedit ipſum propriis verbis loquentem audire, quia inſuper R. Moſis auctoritate ſuam corroborat ſententiam. ſcribit autem: על דעת רבי משה על בית שנית יתהפכו לעבוד השם לבדו בשפה ברורה היא לשון הקדש שבה נקרא השם הנכבד. *Secundum ſententiam R. Moſis ad domum ſecundam convertendi fuerunt, ut ſerviant Deo ſoli lingua pura, quia in ea ſola invocatur nomen Dei glorioſum.* Nomen יְהוָה procul dubio intelligit nomine illo glorioſo, quod proprium eſt linguæ Ebrææ &

im-

in aliam non transfertur; imo vix poteſt rite explicari, & ita eſſentiale Deo exiſtimatur a Judæis, ut ſuper omnia alia nomina ſit & omnino ineffabile. Sic nomen illud novam ſuppeditat Ebrææ linguæ commendationem, neque ſinit dubitare, quin ejus ſumma dignitas ſuffecerit ad liberandam linguam, quam nobilitavit, a prophano gentium abuſu. Addam Cabbaliſtas ex ipſo textu evincere, lingua illa *pura* aut *electa* Ebræam eſſe intelligendam: obſervant enim, quod שפה ברורה eundem numerum conficiat ac בלשון הקרש, nempe 797. quod arithmeticæ ratiocinationis genus magnum inter eos pondus habet. Neque videtur dubitandum, linguam Ebræam præ cæteris *electæ* aut *puræ* elogium mereri, cum revera electa fuerit ad ſpem primæ gratiæ faciendam, legis divinæ promulgationem, oraculorum propheticorum evulgationem, divinarumque laudum celebrationem, atque pura fuerit ab innumeris fœdis expreſſionibus, quæ cæteras linguas contaminarunt: illa etiam ſola ab omnibus gentibus poſt rebellionem Babylonicam amiſſa ipſis reſtitui poteſt in plena omnium gentium ad Dei cognitionem vocatione, ut iiſdem canticis certatim gratias agant, & poſt peractum vitæ totius curriculum debitis illum officiis per totam æternitatem proſequantur.

Verum enim vero vix adverſæ ſententiæ fautores ſeſe continent, & validiſſima exiſtimantes argumenta ſua volunt illa promere. Audiamus igitur illos, antequam totam argumentorum noſtrorum ſeriem evolvamus, ne aſſenſum lectorum artificioſa præoccupatione, & adverſarum rationum ſuppreſſione præripere videamur.

Summi illi viri, quibuſcum agimus, in primam aciem agminatim educunt innumera nomina, quæ Abrahamus primo Ebræus dictus in Chananitide invenit, quæque viris, gentibus, montibus, urbibus, pagis etiam, & fluminibus impoſita fuerant, antequam cælitus in eam regionem advocaretur; unde colligunt Ebraice Chananæos loquutos, quia probabile non eſt eum emiſiſſe præcurſores, qui hæc nomina imponerent. Sane vix ipſe ad id miſer advena exiſtens inter gentes ſuperbas ſuffeciſſet, quanto minus ſervi ejus. Sponte fateor, id per Abrahami emiſſarios minime peractum, neque tamen his nominibus mea ſententia ullo modo læditur. Quid vetat enim per πρόληψιν, & a futuris eventibus ſic denominari plurima loca? Sane Abraham legitur Gen. 13—3. tentorium fixiſſe ante *Bethel*: conſtat autem hoc nomen illi loco

loco impositum fuisse a Jacobo multis post seculis, cum Deus ipsi apparuisset, ut refertur Gen. 28-19. Sic nomen *Tsohar* extat Gen. 13-10, licet hæc urbs illud ob parvitatem a Lotho, quando ejus conservationem obtinuit, acceperit, Gen. 19-22. Invenimus similiter Gen. 14-7. *Hen-miscpat, fontem judicii*, licet nomen illud demum obtinuerit post aliquot secula ob severum Dei in Mosem & Aaronem judicium Num. 20-12. Gen. 11-3. fit mentio urbis dictæ *Ur Chasdim*, *Ur Chaldæorum*. nondum autem *Chasdim* existebant: nuncupantur enim a *Chesed* filio Nachoris fratris Abrahæ nondum nato Gen. 22-22. Præterea fit mentio Amalecitarum Gen. 14-7. diu ante natum Isaacum Amaleci hujus gentis auctoris abavum. Agar vagatur per desertum *Beer-sebagn* Gen. 21-14. puteus autem ille, a quo & juramento ob ipsum præstito, desertum denominatur, nondum revera erat *puteus juramenti* sive *Beer-sebagn.* Plura ejusmodi exempla superaddi possent, nisi hæc abunde sufficerent ad probandum eandem cæterorum, quæ objici possunt, esse rationem, Mosemque usitata ævo suo nomina a Patriarchis imposita usurpasse, ne vetera & a Chananæis olim imposita usurpando suas inquinaret libros, cum forsitan prophana essent & ab idolis petita. Quemadmodum Ægyptus dicta *Chemia* a Chamo quem Ægyptii coluerunt, ut & Thebæ Ægyptiacæ dictæ a prophetis *No-Hammon*, id est, *habitatio Hammonis*, sive נא *no* fuerit Ægyptia vox, sive ex נָוֶה, *nave.* i. e. *mansio* & *habitatio* formetur. Quidquid sit, LXX reddunt Διόσπολιν. Mitto *Hermopolin*, *Aphroditopolin*, *Panopolin*, *Antinoæam*, sive *Antinoi urbem*, & innumera similia exempla, quibus insistentes Chananæi vel etiam præeuntes potuerunt superstitiosa nomina diversis locis aut rebus imponere; Patriarchæ autem, ut aversos ab idololatria animos testarentur, illa immutarunt. Moses autem majorem habuit rationem pii illius majorum suorum instituti, quam Chananæorum abusus. Quin ipsi Chananæi auctoritate Patriarcharum & nominum illorum, quæ totidem erant insignium eventuum monumenta, moti illa forsitan admiserunt, ita ut prisca Mosis ævo prorsus fuerint exoleta.

Si quis dubitet probabilibus his conjecturis suffragari, addam adhuc probabiliorem impositionis horum nominum rationem. Scilicet paucissimi sunt, qui dubitent incoli cœpisse ab ipso statim mundi exordio Chananitidem Euphratis & Tigris Edenem alluentium vicinam: quare multis abundavit incolis lingua primæva utentibus, qui plurima nomi-

na procul dubio urbibus & aliis locis imposuerunt, quorum omnem linguarum confusio non potuit abolere memoriam, quæ continuo usu renovabatur, & ipsis Chananæis etiam potuit communicari ab iis qui superstites remanserunt, cum illi has sedes occuparunt. Sane Judæi uno ore clamant, primos parentes ex Edene ejectos statim habitasse in illa regione, quam a notiori nomine Chananitidem nuncupabimus, (unde in ea urbes de nomine dictæ *Adami* Jos. 19-33. *Adama*, 36. *Adam*, ad quam conglobatæ aquæ Jordanis, sup. 3-16. & aliæ forsan, licet nollem contendere diversam scripturam non sufficere ad diversas urbes constituendas) obiisse etiam, & tandem sepultos fuisse eos Chebrone. Hinc R. Salomo Jarchi in Gen. 23-2. observat Chebronem dici קִרְיַת אַרְבַּע, *Kiriath-arba, civitatem quatuor parium*, עַל שם ד׳ זוגות שנקברו שם איש ואשתו אדם וחוה אברהם ושרה יצחק ורבק יעקב ולאה *ob quatuor paria quæ in ea sunt sepulta, scilicet Adam & Eva, Abrahamus & Sara, Isaac & Rebecca, Jacob & Lea.* Cui traditioni antiquius additur suffragium in Beres. rab. sect. 58. & ipse S. Hieronymus suum etiam libenter concessit sic ad Eustochium de Paula scribendo: *Ascendit Chebron. hæc est Cariath-arbe, id est, oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Jacob, & Adam magni, quem ibi conditum juxta librum Jesu* Nave (cap. 14-15.) *Ebræi autumant; licet plerique Caleb quartum putent, cujus ex latere memoria monstratur. &c.* & in Matth. 27. *Adam vero sepultum juxta Hebron & Arbe in Jesu filii Nave volumine legimus.* Illo autem Josuæ loco tantum habetur, quod *Arbe*, a quo hæc urbs denominatur, fuerit *Adam Magnus*; sed dubitatur, an *Adam* sit ibi nomen proprium primi hominis, ut quidam volunt, unde caret ה præfixo; an appellativum, ut alii probabilius judicant. Unde plurimi Patres vixisse quidem Adamum in Chananitide volunt, at in monte Calvariæ prope Hierosolymam sepultum fuisse affirmant. Sic S. Hieronymus in Matth. tractat. 35. *Venit ad me*, inquit, *traditio quædam talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, ubi crucifixus est Christus. &c.* Tertullianus etiam advers. Marcionem his versibus lib. 2.

Golgotha locus est, capitis Calvaria quondam
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit.
Hic medium terræ est, hic est victoria signum:
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum:
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum:

Hic

Hic patitur Christus, pia sanguine terra madescit,
Pulvis Adæ ut possit veteris cum sanguine Christi
Commixtus stillantis aquæ virtute lavari.

Hæc mysteria magnam Patrum catervam post se traxerunt: in iis S. Athanasius de passione & cruce Domini, S. Cyrillus in Esaiam, S. Cyprianus de resurrect. Christi: *Cujus sanguine*, inquit, *conspersa creditur Adam calvaria, qui sub loco, quo crux fixa est, humatus, traditur ab antiquis.* S. Athanasius quæst. ad Antiochum resp. ad quæst. 47. quæ supponebat Paradisum fuisse Hierosolymis. Respondet autem, id falsum esse, ut testatur *Adam qui in Calvariæ monte jacet: constat autem in Paradiso non sepultum, sed ejectum.* Sic S. Augustinus serm. de temp. 71. S.Chrysostomus in Joan. 19-17. Theophylactus in eundem locum expresse scribens, quod traditio est ecclesiastica, ipsum incoluisse Judæam, postquam ejectus est e Paradiso; & S. Epiphanius advers. Hæres. 46. §. 5. testatur ab auctoribus didicisse, Adamum in monte Calvariæ esse sepultum. Quidquid constituatur de sepulchro Adami, saltem debet constare præclarum Adami monumentum in Chananitide conservatum, quoniam Josua 3-16. urbem cognominem referat, scribatque aquas Jordani in cumulum elatas substitisse in urbe Adam ad ejus ripas sitam, cum illum Israelitæ ex Ægypto reduces siccis pedibus transierunt. Refert insuper S. Hieronymus lib. 8. comment. in Ezech. ad cap.27. ex Ebræorum traditionibus Abelem in agro Damasceno fuisse a Caino occisum, & inde nomen illud ipsi impositum. Scilicet דַּמֶּשֶׂק, *Dammesech, Damascus*, dicitur quasi דָם מַשְׁקֶה, *dam maske sanguinem bibens*, secundum illa Dei verba ad Cainum, *Terra aperuit os suum, ut susciperet sanguinem fratris tui de manu tua* Gen. 4—11. Non longe autem abesse debuit Adamus cæteraque ejus familia, cum præfuerit sacrificio, quod innocenter atroci huic facinori præbuit occasionem.

Præterea Moses Bar-cepha Syrus Episcopus de Paradiso part. 1. cap. 14. post Jacobum Oraitam refert, Noachum distribuisse liberis Adami ossa deferenda in regiones ipsis assignandas, Calvariam autem cessisse Semo, qui in Judæam portionem suam detulit: quodque in primis ad institutum nostrum pertinet, ipsum Noachum in eadem illa regione *habitasse, atque in Sodomorum regione plantasse cedros, ex quibus arcam construxit. &c.* illam itaque Chananitidem ante diluvium incolebat, & ante natum Chanaan.

 Mit-

Mitto eos, qui asserunt in ea etiam deinceps habitasse tres ejus filios, Japhetumque condidisse Jopen, Chamum Hebronem, & Semum Salem, quod arrisisse Judæis testatur Isidorus Hispalensis Episcopus Origin. lib. 15. cap. 1. saltem de Salem & Semo. quod sufficit, ut multa nomina Ebræa Chananitidi imponerentur, quandoquidem addit Semum illum alio nomine dictum Melchisedecum, in eaque regnasse. hæc ejus sunt verba: *Judæi aßerunt Semum filium Noæ, quem dicunt Melchisedec, primum post diluvium in Syria condidisse urbem Salem, in qua fuit regnum ejus.*

Denique declarat S. Epiphanius in Ancorato §. 114. & advers. Hæres. hæres. 66. §. 83. & 84. Noachum divisisse totum terrarum orbem inter tres suos liberos, & omnes regiones a Rhinocoruris orientem versus cessisse in partem Semi, & consequenter etiam Chananitidem: juramentoque eos adegisse, ne ullus eorum partem alterius invaderet, sed Chanaan fœdifragum paulo post usurpasse Chananitidem, & ei suum indidisse nomen, atque inde ortum Chedor-lahomeri & sociorum in Chananæos bellum. Reges illi quippe avitum jus conservare satagebant, sed reservatum est illud decus Israelitis inter Semi posteros illustrissimis, qui illam regionem ad proprios hæredes reducere ipsamque sibi vindicare divinitus obtinuerunt: quare hanc Dei justitiam Manichæi frustra carpere tentarunt.

Itaque concludendum ante Chananæorum invasionem legitimos hujus regionis dominos a primo ad postremum lingua Ebræa usos, & consequenter nomina Ebræa plurimis locis potuisse imponere, quæ sub Chananæorum tyrrannide conservari potuerunt, cum nonnulli etiam legitimorum possessorum superstitites potuerint permanere, secundum Veterum sententiam.

Nemo est, qui ignoret hodiernam Francorum gentem esse recentem, multumque differre eorum linguam ab antiqua veterum Gallorum lingua; nihilominus innumera supersunt ex antiqua hac lingua in Gallia nomina, quæ ridiculum arguerent eum, qui ex iis novam Francicam linguam cum veteri Gallica confundere satageret.

Licet tamen existimare absque ulla veri specie supponi Chananitidem incolas quosdam habuisse ante dispersionem opera confusionis linguarum factam, quoniam illa linguarum confusio divinitus instituta est ad dispergendos homines, & ad totum terrarum orbem inter ipsos dividendum,

dum. At id non ſuppoſuimus, ſed graviſſimis præſtantiſſimorum auctorum teſtimoniis probavimus. Præterea minime veriſimile eſt, per integrum ſeculum omnes in exigua Sinharis convalle homines accumulatos permanſiſſe. Jam enim in numerum ingentem excreverant, quoniam quarta Noachi nepotum progenies jam florebat. Procul dubio vel vicinæ regiones occupabantur, vel ſaltem liberis diſcurſionibus patebant, & quibusvis licebat ſedes in iis ſibi conſtituere, ut ſuis commodis omnes conſulerent. Neque obſtant hæc verba Geneſis 11-4. *Celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras. &c.* Potuerunt enim indiviſi permanentes circumpoſitas provincias occupare, colonias habere, ex iisque fructus percipere; potuerunt etiam in vicinas terras dividi, antequam in remotiſſimas & univerſas dividerentur. Hinc non tantum in Chananitide & Babylonia, ſed in Arabia etiam & in Ægypto multa obſervantur nomina Ebræa, quæ antiquiſſimorum temporum, & priſtini cum Ebræis commercii totidem ſunt monumenta, utiliſſimumque præſtant auxilium ingenioſis auctoribus, qui antiquiſſimas rerum origines ex profundo ignorantiæ barathro eruere conantur. Cum autem priſca illa nomina inter Chananæos, Phœnices, Ægyptios, Arabes, & Chaldæos æque reperiantur, colligendum eſt, neque ad hos neque ad illos ea pertinere, ſed a lingua cæteris antiquiore & omnium matrice ſuam ducere originem. Chananiticam tamen linguam propius ad Ebræam acceſſiſſe exiſtimavit S. Hieronymus in Jeſ. 14. ſcribendo de lingua Chananitide: *Inter Ægyptiam & Ebræam media eſt, & Ebrææ magna ex parte confinis.* Ut pateat hanc ab utrisque diverſam, ſed cum Chananæa majorem habuiſſe affinitatem. In Sophoniæ cap. 3. autem affinitatem illam declarat minime a parilitate cæterarum linguarum Chananæam eximere, cum omnes nulla excepta ſuum decus ab ea mutuari aſſerat, dicatque abſolute, *linguam Ebraicam omnium linguarum eſſe matricem.* ſic enim Chananææ matrix, ut cæterarum, erit, neque ſuam dignitatem cum ea communicabit. Origenes lib. 3. contra Celſum manifeſte declarat nullam ipſi fuiſſe ſuſpicionem, quod lingua Ebræa cum Chananæa haberi poſſet eadem. Arguit enim adverſarium ſuum, qui propugnabat Ebręos fuiſſe origine Ægyptios, & per ſeditionem patrias ſedes deſeruiſſe, novamque conſtituiſſe gentem. Oſtendit autem gentem Ægyptiam non potuiſſe ſtatim transmutari in gentem diverſæ linguæ, atque addit, quod, etiamſi id fieri potuiſſet, ſal-

tem necesse fuisset, ut linguis obviis atque in regione, quam occupassent illi transfugæ, usitatis assuescerent. *Sed detur hoc quoque* (inquit) *eis, relicta Ægypto subiisse linguæ etiam nativæ tædium; qui factum est igitur, ut non Syrorum potius, Phœnicumve linguam assumpserint, sed Ebræam differentem ab utraque? Quibus omnibus rationibus colligitur, falso credi olim quosdam Ægyptii generis secessisse in Palæstinam a cæteris Ægyptiis, indeque natam coloniam, quæ nunc Judæa dicitur: nam Ebræi suam patriam linguam habebant, priusquam in Ægyptum descenderent; & Ebraicæ literæ diversæ erant ab Ægyptiacis. &c.* Præcipuam quidem argumenti sui vim in Ægyptios, & linguam Ægyptiam intendit Origenes, sed eo ipso quod supponit, ut constantissimum, Israelitas non assumpsisse linguam Phœniciam, sed Ebræam, ostendit evidenter has linguas diversas. Si enim similes fuissent, Celso concessisset optatam victoriam, quoniam fatetur convenisse, ut, si nativæ linguæ tædium eos cepisset, debuissent saltem vicinam linguam eligere; nullas autem viciniores fuisse Syra aut Phœnicia, quam non distinxit a Chananæa. Testimonium autem ejus eo est majoris momenti, quod maximam studiorum suorum partem in rebus Ebræorum illustrandis, & in textu Ebræo exponendo posuerit.

Quamobrem convenit existimare, eandem fere fuisse rationem linguarum Chananææ, Phœniciæ, Chaldaicæ, Arabicæ, & forsan etiam Ægyptiacæ, in primo mutationis exordio, atque tantam cum Ebræa conservasse similitudinem, ut Ebræi cum gentibus quæ iis utebantur, potuerint agere, & utilia habere colloquia, providentia divina id permittente, ut ecclesia ejus inter ipsas aliquandiu hospitaretur. Unde Chananæa præ cæteris visa est diuque revera etiam fuit magis affinis, quia Chananæi Ebræis permixti frequentiora & utiliora ipsis exhibuerunt officia, commerciisque suis eos adjuvarunt plusquam cæteri simul. Sane Abraham cum Pharaone Ægyptiorum rege agit, & loquitur Gen. 12-15. & uxor ejus utitur Agare serva Ægyptia Gen. 16-1. Josephus servitio Potipharis addictus ejus negotia cum Ægyptiis curat, & feliciter tractat. 39. imo paulo post cum aulicis Pharaonis & cum ipso Pharaone frequentia habet colloquia, primisque regni honoribus fruitur. Fratres Josephi similiter cum Ægyptiis colloquuntur. 42, & licet Josephus ibidem dicatur opera interpretis usus, id non erat necessarium; sed alienum se fingebat, ne a fratribus agnosceretur, & quo

omnem

omnem affinitatis ſuſpicionem amoveret, ipſis Ægyptiis alieniorem ſe exhibuit. Cum tempore vero & ob aliena commercia majus diſcrimen irrepſit: unde Ægyptius ſermo vocatur *peregrinus* Pſ. 81-6. & Ægyptii *populus ignoti ſermonis.* Ad Chaldaicam linguam quod ſpectat, illa obtinebat in Meſopotamia, ubi Abrahami conſanguinei habitabant, & ita ad Ebræam accedebat, ut domeſticus ſervus Abrahami colloquatur cum Rebecca Gen. 24-17. & de nuptiis ejus agat cum tota ejus familia Syra, verſibus ſeq. Jacobus etiam cum Labane & Rachele familiarem diuturnamque conſuetudinem habuit, & tandem pactis conſtitutis ſeparantur. Sed licet communia quædam vocabula hæ linguæ habuerint, & qui unam perfecte noverat, potuerit alteram confuſe intelligere, nihilominus poſtea ſtudio & ſolertia opus fuit ad utramque diſtincte atque ornate uſurpandam. Hinc Nebucadnetzar Ebræos pueros curat inſtituendos in literis & lingua Chaldæorum Dan. 1-4. & Jerem. 5-15. Deus vocat Chaldæos gentem, cujus Ebræi linguam ignorabant: & proceres Judæorum rogabant Rabſake, ut Chaldaice loqueretur, quia Chaldaicam linguam intelligebant; non vero Ebraice, ne circumfuſa plebs ſermones ejus intelligeret. Hæc enim & ſimilia loca dumtaxat docent, non facile & expedite agnitam & explicatam fuiſſe linguam Chaldaicam ab Ebræis ab omni ejus uſu alienis. Quæcunque enim illius ſunt reliquiæ in ſacris voluminibus, manifeſte declarant in multis conveniſſe cum Ebræa, habuiſſe vocabula multa communia, & iiſdem fere modis verborum ſuorum modos & tempora diſpoſuiſſe, ita ut una alteram viciſſim valeat illuſtrare. Quæ non impediunt, quo minus diverſa haberet vocabula phraſesque differentes, cum jam ævo Patriarcharum Laban vocaret monumentum יְגַר שָׂהֲדוּתָא, quod Jacob Ebraice dixerat גַּלְעֵד Gen. 31-47. Simile judicium de Chananæa ferendum: illam enim intelligere, & imitari aliquatenus poterat Abrahamus, ut ſecum deduceret in prælium regulos quoſdam Chananæos, & cum aliis de ſpoliis victoriæ partis ageret Gen. 14. Sic cap. 21. in colloquium Abimeleci admiſſus varios abſque interprete ſermones inter ſe habent. Cap. 23. de ſepulchro cum Chananæis poſt amicas contentiones paciſcitur. Lothus cum Sodomæis ſimiliter diſſerit cap. 19. Hæc tamen & plurima alia exempla non impediunt, quo minus lingua Chananæa fuerit ab Ebræa diſſimilis, quoniam Nehem. 13-23. reprehenduntur Judæi ob quædam cum Asdotidis, Hammonitidis, & Moabitidis mulieribus con-

connubia, atque refertur liberos ex his connubiis ſuſceptos linguam Judaicam non locutos, ſed Aſdodæam; Aſdod autem una fuit e quinque præfecturis Philiſthæorum inter Chananæos præcipuorum, ut refertur Joſ. 13—3. atque in confeſſo eſt apud omnes. Unde ad debilitandam hujus argumenti vim quidam recurrunt ad Ægypti viciniam, & volunt ab illa corruptum Aſdodæorum ſermonem, ita ut a Judaico ſive Ebræo magis diſcreparet. Quaſi vero Chananææ gentes undique Aſdodum cingentes majorem vim non habuiſſent ad conſervandam patrii ſermonis puritatem, quam Ægyptii unum ejus latus vix reſpicientes ad illam corrumpendam. Verum non una urbs aut regio a lingua Ebræa adeo receſſit, etiam Moabitæ & Ammonitæ a pietate Iſraelitica ad prophanos Chananæorum ritus deficientes ejusdem vitii arguuntur, licet ab Ægypto ſat remoti, neque minus diſſiti ab Aſdodo. quod argumentum eſt non ab Ægypto, ſed ab ipſo Chananææ linguæ genio diſcrimen illud ortum fuiſſe; maxime cum Moabitæ & Ammonitæ ex Ebræa proſapia orti linguam cum Chananæa ex frequenti cum vicinis Chananæis commercio commutaverint, adeo ut ſimiles fuerint ipſis Aſdoditis. Nempe Ammonitas & Moabitas ex fœdo inceſtu prognatos puduit, cum Patriarchis & legitima eorum poſteritate intimam alere ſocietatem; quamobrem deflexerunt ad Chananæos, durante inprimis Ægyptiaca ſervitute, & omnem Ebrææ linguæ uſum amiſerunt. Hinc Moabitæ gigantes vocabant *Emæos*, & Ammonitæ *Zamzumæos*, quos Ebræi *Rephaimos* nuncuparunt, ut obſervatur Deut. 2—11. & 20. & Gen. 14—15. ubi per prolepſin his jam nominibus deſignantur, vel a Chananæis illa potius mutuantur nomina, quæ poſtea ad Lothi poſteros degeneres tranſierunt.

His propugnaculis deſtituti adverſarii ad ſacram anchoram confugiunt, & in cauſæ ſubſidium divinorum oraculorum objiciunt auctoritatem, nempe Jeſaias 19--18. expreſſis verbis ſcribit: *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes linguam Chanaan.* Quænam autem illa eſt lingua Chanaan? procul dubio Ebræa eſt, & tota textus ſacri ſeries evidenter demonſtrat agi de vocatione gentium ad fidem Iſraeliticam, & converſione ſincera, quæ ipſis eandem mentem atque eundem ſermonem ingeneraret; & conſequenter lingua Chananæa eadem erat cum Ebræa, cum ad illam ſignificandam adhibeatur. Poſſumus convenienter Jeſaiæ verbis linguam Chananæam ejus ævi

ean-

eandem cum Ebræa existimare: Ebræi enim a Josuæ tempore per nongentos circiter annos armis partam Chananitidem occupabant, servosque sibi addixerant Chananæos. Non dubitandum igitur linguam Ebræam in tota Chananitide obtinuisse; Chananæa tamen eo sensu potuit dici, si quæ veteris Chananææ supererant reliquiæ confusæ, aut ignotæ latebant in infimæ plebis rudi loquela, sed non poterant pristinum nomen sibi arrogare. Sic Italica, Gallica, Hispanica, & Anglica dicuntur linguæ, quæ veteres Italorum, Gallorum, Hispanorum, Anglorumque linguas propriis sedibus expulerunt, ac in earum loco florere cœperunt. Sane non est inauditum victores a debellatis hostibus nuncupari, & quemadmodum Scipiones Africani & Asiatici dicti, ita linguæ etiam victrices oppressarum elogia sibi æquo jure vindicare possunt. Objicitur tamen, id quidem non improbabiliter affirmari de linguis ab omni usu remotis, (hæ enim pereundo exuvias suas abjiciunt, quas induere superstites possunt.) at Chananæa florere non desiit, & saltem inter Phœnices conservata est, imo in Africam deducta, ut novo splendore Carthagini & subditis regionibus indesinenter imperaret. Non adeo facile forsitan probaretur linguas veteres omnino extinctas fuisse, antequam novæ nomen & sedes earum occuparent. Quin sunt qui existiment, neque veterem Britannicam, neque Gallicam ab omni usu esse exclusas; attamen mallem adversarios industriam suam collocare in demonstrando antiquæ Chananææ usu tempore Jesaiæ. Verum enimvero non sufficiet linguæ Punicæ usum celebrare, aut Phœnicum famam, (nam nondum constat linguam Phœniciam fuisse cum Chananæa plane eandem, & statim dicemus gravissimas dubitandi esse rationes) sed constare debet Pœnos non integram conservavisse Phœniciam linguam, & *nonnulla ex parte* immutasse secundum S. Hieronymum procem. in lib. 2. comment super epist. ad Gal. & pars illa superstite major esse debuit. Nam S. Augustinus Pœnus ipse, & felici pollens ingenio, varia insuper eruditione præditus, atque incredibili linguam Ebræam intelligendi desiderio flagrans, licet linguam suam Punicam optime nosceret, & consequenter Chananæam & Ebræam, si revera eædem fuissent, ingenue tamen fatetur, quod si ad eum Moses *Ebræa voce loqueretur, frustra pulsaret sensum suum, nec inde mentem suam quicquam tangeret.* Confess. lib. 11. c. 3. & epist. 131. fatetur se ignorare linguam Ebræam, vixque inter innumeras Punicas voces pauca vocabula Ebræa

 agno-

agnovisse ejus scripta testantur. An cæteris Pœnis major esse potuit solertia? Minime. Potuerunt quidem traditione didicisse se e Phœnicia oriundos, sed cum Phœnicia quædam verba usurpabant, vix ea potuerunt distinguere ab innumeris aliis, quæ a vicinis gentibus acceperant, aut ipsi effinxerant. Ne autem temere, & sine auctoritate interpretari Prophetam videamur, producam in medium S. Hieronymum, qui illum quidem mystice intelligit, sed mysterium fundat in manifesto linguæ Chananææ ab Ebræa discrimine: siquidem vult linguam Ægyptiam impura sensuum dictamina designare. sic visus rem alienam proponens concupiscendam, sit sermo Ægyptius. Contra linguam Chananæam docet sanctificatam esse, quia sanctæ genti tota erat mancipata; hinc cum oculis convertit se ad cælestia, aures intelligunt vocem domini, odoratus currit post fragrantiam unguentorum Christi, tactus palpat verbum vitæ, gustusque gustat quam suavis est Deus. Dicit eos loqui lingua Chananæa, & tandem addit: *Quæramus, quare non lingua Ebræa, sed lingua Chananitide loquantur quinque Ægypti civitates? Ad quod ita respondere conabimur:* עִבְרִי *i.e. Ebræus* περάτην *transitorem sonat, qui de loco transit ad locum. ergo & nos licet sancti, quamdiu in Ægypto sumus & istius mundi versamur in tenebris, non possumus loqui lingua Ebræa; sed lingua Chananitide, quæ inter Ægyptiam & Ebræam media est, & Ebræa magna ex parte confinis.* כנען interpretatur *quasi commotio*, sive *quasi respondens: Quando igitur ab Ægypto recedimus, & exire volumus de potestate Pharaonis, ita ut terra nostra & confessio sic formidolosa Ægypto, tunc movemur, & quasi respondemus domini voluntati; & tamen, quia adhuc in præsenti seculo sumus, lingua Ebræa necdum loqui possumus. &c.* Sic quantum a terra cœlum evehitur, tantum lingua Ebræa, quæ patriæ propria, & eorum qui peractis suis peregrinationibus illam obtinuerunt, superat Chananæam quæ ad peregrinantes dumtaxat spectat. Observandum etiam ipsum, dum ita sejungere satagit has linguas, adhibere verba ab adversariis supra objecta de lingua Chananæa: *Inter Ægyptiam & Ebræam media est, & Ebræa magna ex parte confinis*, & consequenter contra ejus intentionem adhiberi ad probandum vix differre, cum velit dumtaxat unam succedere alteri, & unam esse alteri confinem, ut Germania est confinis Galliæ, hacque versus orientem peragrata, occurrit; unde nulla similitudo potest colligi. S. Ambrosius in symbolum Apostol. cap. 16. sive alius hujus libri auctor, mystice etiam de quinque

sens-

ſenſibus interpretatur Prophetam, & videtur S. Hieronymo viam ſtraviſſe. Audiamus Ebræos ſenſui literali addictiores. R. Aben Eſra in h. l. ſcribit : מזה נלמוד כי הכנענים בלשון הקדש היו מדברים, *hinc diſcitur, quod Chananæi loquebantur linguam ſanctam.* Videtur exiſtimare Chananæos ſuperſtites de quibus Jud. 3—1, 2. & 3. uſos fuiſſe eadem lingua cum Iſraelitis. Quod pati non potuit R. Iſaac Abrabanel, & linguæ S. gravem inferri exiſtimavit injuriam, ſi communis crederetur Iſraelitis & his Chananæis ſingulari Dei beneficio conſervatis. Ita ille in h.l. עדוד שקר הוא כי לא אמר על לשון הכנענים כי אם על שפת בני יהודה שהיו יושבים בארץ כנען ואין הכוונת בחמשה ערים שיהיה זה בחמש ערים בלבד ולא בשאר הערים אבל ענין הכתוב שבכל ארץ מצרים כל חמשה ערים יתאחדו זו עם זו כמו שיתאחדו חמש אצבעות שביד ותה יה התאחדותם לדבר שפת כנען כמו שבתחלה היו מצרים וכנען בני אב אחד ובעלי שפת אחת: *Teſtimonium hoc* (nempe R. Abrahami Aben Eſræ, quod ante retulerat) *eſt falſum. non enim loquitur de lingua Chananæorum, ſed de lingua Judæorum, qui habitabant in terra Chanaan : neque etiam intentio eſt, cum ſit mentio quinque urbium, in iis dumtaxat ſolis id eventurum, ſed vult ſignificare ſcriptura, quod in tota Ægypto omnes urbes catervatim ſive quinque ſimul inter ſe unirentur, ut quinque digiti in manu uniuntur, & unio earum tenderet ad loquendam linguam Chananæam, eo modo quo olim Ægyptii & Chananæi erant filii ejuſdem patris, & loquebantur eamdem linguam.* Mens ejus eſt, converſionem Ægyptiorum ad fidem deſcribi illo ſermone Chananæo, quia proprius erat Judæorum veram eccleſiam conſtituentium; & obſervat fieri Chananæorum mentionem, quia affines erant, imo conſanguinei Ægyptiorum, & fratres ab uno patre prognati, & eadem lingua inſtituti, ut in integrum utrique reſtituti viderentur. Sic videtur ſupponere Chananæos ipſos ſuperſtites in eamdem fidem & ſocietatem a Judæis admiſſos communia habituros jura, & cum fratribus Ægyptiis communicaturos. Silentio autem minime prætereunda eſt ejus de quinario numero obſervatio : S. Scripturæ uſui enim convenit, & hic numerus definitus pro indefinito paſſim uſurpatur. ſic Paulus mavult *quinque verba* in eccleſia intelligibiliter proferre, quam decem millia ignota proferre : *ante quinque* fugere debent Iſraelitæ Jeſ. 30—16. *quinque menſium* ſpatium ad homines cruciandos conceditur Apoc. 9-5.

 & in

& in bonis idem numerus frequens: *quinque* lapillis instructus David aggreditur Goliathum 1. Sam. 17-4. portio eduliorum Benjamini *quinquies* major; miraculum etiam *quinque* panum Mat. 14-19. mysterium *quinque* virginum sapientum Mat. 25-2. & *quinque* millia die pentecostes Apostolorum concione ad fidem deducta Act. 4-4. omnibus nota sunt. R. David Kimchi pedibus descendit totus in eamdem sententiam, observatque ob miraculosam de Sancheribo victoriam ab Ezechiá relatam metu & admiratione perculsos fuisse Ægyptios, qui plurimi erant in profligato illo exercitu. Unde postquam liberi dimissi sunt ab Ezechia, portenta in illius gratiam cœlitus edita ubique celebrarunt, atque plurimos gentilium suorum ad fidem Judaicam adduxerunt, ita ut votis, sacrificiis,& iisdem precibus Deum colerent. Scribit enim in hunc locum: באמ׳ יהיו חמש ערים בארץ מצרים מדברות שפת כנען ר״ל שפת ארץ ישראל שהוא לשון עברי לפי שהיו הולכים ושבים לארץ ישראל ולומדים מעשיהם ולשונם ואמר כנען לפי שמצרים וכנען היו אחים בניהם ונפלה ארץ כנען לישראל לנחלה ושבה ארץ כנען כנכרים למצרים ועתה ישובו אליה כאלו היא לכנען אחיהם כי יחשבו ישראל אחים׃ *Dicendo, Erunt quinque urbes in terra Ægypti loquentes linguam Chanaan, vult dicere linguam terræ Israeliticæ, quæ est lingua Ebræa, quoniam ibant & redibant sæpe in illam Israelis terram, discebantque egregia eorum facinora, & linguam eorum. Vocat autem illam Chananæam, quia Chanaan & Mitseraim fratres erant, utpote Chami filii.* (Gen. 10-6.) *Cum autem cecidit terra Chanaan in possessionem Israelitarum, mutata est in terram alienam respectu Ægyptiorum a Mitseraim ortorum; sed nunc illam frequentant non secus ac si ad Chananæos adhuc pertineret, quia reputant Israelitas fratres suos, &c.* Sic *Chanaan* novæ spiritualisque fraternitatis designandæ gratia adhibetur, quia fraternitatis carnalis antea fundamentum fuerat, ut pateret gratiam imitari naturam. Seder gnolam rabba cap. 23. eodem fere modo hanc interpretatur prophetiam, vultque sermone Chananæo cultum & religionem Judaicam intelligendam, Ægyptiosque ex clade Assyriaca superstites Deo in media Ægypto altare extruxisse, atque oblationes consecrasse. Sic etiam R. Salomo Jarchi: qui præterea addit quosdam Rabinos hujus prophetiæ complementum referre ad Oniæ templum revera in Ægypto non multo post conditum, de quo videndus

dus Joſephus de bello Jud. lib. 7. cap. penultimo. Sed dignum obſervatione accurata ad ſententiæ hujus confirmationem, dicere Joſephum, quod templum illud conditum eſt in tractu Ægyptio, qui dicebatur Ηλιοπολίτης a *Sole*, cui urbs metropolis erat dicata; id enim egregiam affert lucem verſui ſequenti Prophetæ, qui vix intelligitur. In eo enim legimus, unam illarum quinque urbium dicendam הֶרֶס, *Heres*, quæ vox *deſtructionem* ſignificat, & ſic vertitur a Junio & Tremellio; urbem autem hujus nominis non invenimus in Ægypto, neque etiam ejuſmodi nomen cum pia converſione quadrat. unde opus eſt exponere per antiphraſin, quod expoſitionis genus incommodum. Mallem ex Syrorum uſu interpretari: Caſtellus enim in Lexico obſervat ſignificare ܗܪܣ *heres*, *redemtionem* & *ſalutem*. Sed cum *Mars* antiquiſſimo nomine Ἄρης dicatur, & a deſolatione etiam dicatur, nos quaſi manu deducimur ad vocabulum illud antiquum Ebræorum a deſolatione etiam formatum, ut Deum Ægyptium deſignet, cujus cultus rejectus eſt, ut veri Dei cultus ipſi ſubſtitueretur. Cum autem ſæpe diverſa gentium numina ſoleant inter ſe nomina permutare, & validis argumentis probet Macrobius omnia numina referri ad Solem & Martem inprimis Saturn. lib. 1. cap. 17. exiſtimamus ipſum revera deſignari hac voce, quæ ardores ejus ſæpe Ægyptiis pernicioſos potuit ſignificare. Sane omne dubium amovet S. Hieronymus lib. 5. comment. in Jeſaiam ad cap. 19. הֶרֶס, *Heres*, inquit, *verbum ambiguum & teſta dicitur, & Sol, eo quod utrumque areat. &c.* Quin Salmaſius de Annis climact. p. 596. obſervat in Lexico Ægyptio Ἄρης Ægyptiace vocari Μολόχ: *Molocho* autem Solem deſignari conſtare debet, & ipſa nomina nonnullam etiam habuiſſe affinitatem colligere licet ex Feſto de Verb. ſignif. qui ſcribit: *Heres apud antiquos pro domino ponebatur.* Etſi enim vocabula Latina recenſeat, inter ea tamen quædam ex ejus matrice poſſunt inveniri, & *moloch dominum* & *regem* ſignificare in comperto eſt apud omnes. Quidquid ſit, S. Hieronymus, & poſt eum Vulgata pro *Heres* habent *civitatem Solis*, ut Symmachus interpres Græcus πόλιν ἡλίου. Arabs etiam, qui habet quidem عين شمس i. *fons ſolis*, ſed ſuſpicor legendum eſſe عير i. *urbs* pro عين i. *fons*, levi mutatione in poſtrema parte unius literæ. Chaldæus etiam Paraphraſtes habet קִרְתָּא בֵּית־שֶׁמֶשׁ, *urbs bethſchemes*,

ſchemes, ſive *domus ſolis*: addit tamen, רַשְׁתִּידָא לְמֶחֱרַב *quæ deſtruenda eſt*, utramque ejuſdem vocis ſignificationem conjungens, ut pateat ex diverſis paraphraſibus coaluiſſe. Soli LXX interpretes hanc ignotam vocem difficiliori exponunt, nempe *ἀσεδὲκ*. Non dubito tamen, quin cæterorum interpretum veſtigiis inſiſtant, & aliquem Ebræum ſequantur expoſitorem qui habuit הַצֶּדֶק, *ἀσεδὲκ*, quoniam quam ſtellam Phariſæi vocabant בַּעַל־כּוֹכָב *Baalis ſtellam*, alii כּוֹכַב צֶדֶק, *ſtellam Jovis* dicebant, & utraque Sol potuit intelligi, ſicque conjectura de templo Heliopolitano videtur confirmari, etſi conſtare debeat ejus plenum ſub Euangelio complementum extitiſſe.

Concludere nunc licet, multos auctores graviſſimos & validas rationes obſtare, ne lingua Chananæa in Jeſaiæ prophetia intelligamus veterem Chananæorum linguam obſoletam, ſed convenire, ut intelligamus Ebræam tunc, & a multis ſeculis in Chananitide obtinentem, a legitimiſque ejus dominis dumtaxat uſurpatam, atque in eam debellatam ab iis jure ac merito introductam. Minime autem mirum eſt in Ægyptum antea, aut poſtea in Babylonem non fuiſſe hanc linguam ſimiliter introductam, ſiquidem precarium Iſraelitis præbuit Ægyptus hoſpitium, Babylon vero eos gravi mulctavit exilio: exulum autem aut hoſpitum non eſt ſuam in dominorum dominiis conſtituere linguam, dominorum & imperantium mos eſt hoc jus exercere in ſubditas armis ſuis regiones. Sic per magnam orientis partem Græci ſucceſſores Alexandri linguam Græcam pulſis aliis florere & regnare fecerunt: Romani poſtea ſimiliter linguam Latinam ad ultimos imperii ſui limites extendere ſategerunt jura Latine reddendo, & legationes ſupplicationesque ea ſola lingua editas admittendo, atque munera ea utentibus dumtaxat conferendo, denique ſacris convenientem eam indicando. quod unum ſuffecit ad illam in eccleſia Romana ad noſtra uſque tempora conſervandam, & cum ipſa nonnullum in eccleſiam ipſam imperium prorogandum. Quamobrem Iſraelitæ in Ægypto ſupplices, & captivi Babylone ad Ebraicæ linguæ uſum Ægyptios non potuerunt adigere; verum poſt debellatam armis ſuis Chananitidem idem jus tandem adepti ſunt, & neceſſitatem ſubditis Chananæis impoſuerunt ſuam linguam etiam abjiciendi, & ad Ebræam illam accommodandi. Jure igitur ac merito lingua Ebræa in Chananitide regnans, *Chananæa* dici potuit, & revera dicta eſt, ut Ægyptii Chananæorum fratres eorum exem-

exemplo illam lubentius admitterent, ejuſque opera in eandem coaleſcerent ſocietatem, cum præſertim religionem Judaicam optarent admittere, ejuſque beneficio eadem jura ad illam linguam pietatis comitem individuam aſſequerentur. Idque ad commodum ac decus populi cui numen favebat, etiam ſpectavit; ut ad juſtitiam Dei ſpectavit, poſtea illam amovere linguam, & linguis alienigenis & prophanis ſubjicere Judæos rebelles & fœdifragos. Quemadmodum igitur ſua ſacra exilio Babylonico interdici, ſic linguæ illius uſum etiam ceſſare permiſit, ut Judæi extremum exitium ob ſcelera ſua ſibi imminere agnoſcerent. Dei tamen miſericordia tempore præfixo ſe exeruit, & exilio finem optatum imponens ſacra linguamque in integrum reſtituit, atque in ipſa etiam captivitate viros pios excitavit, qui linguæ iſtius ſacræ conſervationi ſedulo ſtuderent, & præcipuis religionis officiis ſimul fungerentur. Hinc ab Eſdra lex lecta fuit coram tota multitudine, ejus ſenſum adhuc capiente, etſi forſan non multi eſſent, qui Ebraice poſſent expedite loqui; & quamdiu aliquo religionis ſenſu affecti ſunt Judæi, amore ſimul ſacræ illius linguæ incenſi illam ſibi conſervare ſategerunt, ſicque eodem paſſu lingua Ebræa & religio Iſraelitica inceſſerunt. Hinc Thalmudici: בני יהודה שהקפידו על לשונם נתקיימה תורתם בידם בני גליל שלא הקפידו על לשונם נתקיימה תורתם בידם. *Filiis Judæ, qui ſedulam operam linguæ ſuæ impenderunt, lex ſtabilita fuit in eorum manibus; Galilæis vero, qui negligentes fuerunt linguæ ſuæ, in manibus eorum lex non eſt ſtabilita.* Nempe alienigenæ Galilæis permixti fuerunt, & inprimis vicini Phœnices, cum in hac regione Salomo Hiramo viginti civitates dederit ob ſubſidia ad templi ædificationem ab ipſo præſtita 1 Reg. 9-11. Hinc Petrus Galilæus ex impuro ſermone agnoſcitur Mat. 26-73. Forſitan etiam ex occulto hic notantur Chriſtiani paſſim dicti in contemptum *Galilæi.* Nihilominus ex hoc ſaltem loco licet colligere Judæos conſtanter tenuiſſe, legis ſtudium cum ſtudio linguæ conjunctiſſimum fuiſſe. & revera ad Euangelium, quo linguæ omnium gentium cultui divino S. Spiritus opera conſecratæ ſunt, pii omnes hanc impenſe excoluerunt linguam, quam comparare poſſumus cum φωσφόρῳ primam poſtremamque lucem exhibente, quia prima eccleſiæ Iſraeliticæ exordia, & ultimum ejus occaſum illuſtravit.

CAPUT XII.

De lingua Phœnicia.



Lingua Phœnicia tandem producitur in aciem, & in Chananææ subsidium non contemnenda suppeditat argumenta. Hujus enim linguæ plurima supersunt monumenta, quæ docti Ebrææ linguæ opera ingeniose explicant, & consequenter probant Ebrææ linguæ fuisse dialectum, vixque ab illa discrepasse, quod imprimis patere volunt Plautinis versibus viri doctissimi. Jamvero Phœniciam linguam fuisse unam & eamdem cum Chananæa non dubitandum autumant, cum *Sidon* & *Tyrus* præcipuæ Phœnicum urbes fuerint; *Sidon* autem denominetur a *Sidone* Chanaanis primogenito, *Tyrus* vero dicatur *filia Sidonis i. e.* colonia Jes. 33. 12. Non contendam Phœniciam linguam proxime non accessisse ad Ebræam, neque satagam arguere ingeniosas reliquiarum Punicarum expositiones ex lingua Ebræa a viris doctissimis erutas; sufficiet observasse non semper convenire inter se, atque multa in his vocibus mutare vocabula atque etiam dividere, & pro lubitu cum aliis conjungere, ut pateat vocabula Ebræa sponte non occurrere in Pœnis, & hyperbolem esse in his S. Augustini contra literas Petiliani lib. 2. cap. 104. verbis: *Ebræi dicunt Messiam, quod verbum Punicæ linguæ consonum est, sicut alia Ebræa permulta, & pæne omnia. &c.* Plurima enim supersunt nomina Punica, quibus nulla Ebræa respondent, & ingenue omnes agnoscunt ipsa Ebræa a Pœnis magnopere fuisse immutata: unde ipse S. Augustinus in Psal. 136. observat eos vocasse sanguinem *edom*, quem Ebræi דָם *dam* nuncupabant. Imo ipsa Phœnicia vocabula inter ipsos Pœnos immutata, ut hoc ipsum nomen testatur: ex Phœnicibus enim facti *Pœni quasi Phœni sermone corrupto*, inquit S. Hieronymus in Jeremiæ cap. 25. Plures super hac re observationes non requirit institutum nostrum, & magnam convenientiam cum lingua Phœnicia habuisse Ebræam ultro agnoscimus, modo discrepasse in multis nobis concedatur. Verum contendimus nihil gloriæ in Chananæam linguam exinde redundare, cum a Phœnicia, ut ab Ebræa discrepaverit.

Itaque

Itaque non possum inficiari me longissime abesse a viris clarissimis, qui Phœnices cum Chananæis confundunt, eamdemque gentem a Chanaane ortam eos composuisse arbitrantur. Temere autem a recepta hactenus sententia non secedo, sed ob validas, ut quidem mihi videtur, rationes, quas lectoris judicio submittam. 1. Phœnices nunquam commemorantur inter Chami, aut Chanaanis nepotes, licet nominatim enarrentur omnes Gen. 10. & passim deinceps eorum fiat mentio. 2. Tota Chananitis כָּל־אֶרֶץ כְּנַעַן promittitur Abrahamo in possessionem Gen. 17—8. & antea 15—19. decem gentes promissam terram occupantes enumeraverat, inter quas Phœnices non reperiuntur; neque numerantur etiam cum septem gentibus, ad quas decem illæ solent revocari, ut Deut. 7-1. fit quidem mentio Sidonis in partitione Chananitidis, sed ut ad fines sitæ, non vero intra eam comprehensæ; quemadmodum etiam Tyri, quæ ne quidem ad continentem ante Alexandrum Magnum pertinebat. Quamobrem per illas urbes debemus intelligere earum ditiones Jos. 19—28. Hinc ut de civitatibus prophanarum gentium Christus loquitur, easque Judaicis opponit Matth. 11—21. 3. Phœnicum regio nunquam ab Israelitis occupata, neque ex ea pulsi Phœnices; attamen expresso Dei mandato Deut. 7-1. jubentur Israelitæ penitus exterminare septem Chananæorum gentes, gravissimisque minis prohibentur fœdera cum ipsis percutere, aut matrimonia inire; quin Josua legitur totam illam terram debellasse, atque occupavisse, sicut dixerat Deus Mosi Jos. 11-23. ac ne unum quidem hostem restitisse 21-42. Et licet cap. 13. videantur juxta limites loca quædam licet debellata & occupata ab Israelitis antea, nihilominus aliquandiu ob Israelitarum paucitatem devictarum gentium arbitrio remansisse, in iis Phœnicia non potest annumerari, sed manifeste exclusa perhibetur. Sic leges in Chananæos latæ in Phœnices nunquam fuerunt observatæ, nec Josua, nec duces cæteri, neque ipsi reges David & Salomon qui regni fines longe lateque promoverunt, neque Machabæi duces Phœnices oppugnarunt, vel occupare sategerunt. Immo cum Persici Imperatores Judæis in patriam reductis plurima contulerunt beneficia, nullum in Phœnicen jus ipsis concesserunt, sed contenti fuerunt scribere ad præfectos suos Phœniciæ, ut ad restaurationem urbis & templi ligna e Libano concederent, secundum auctorem libri tertii Esdræ: qui cap. 2-27. tamen e literis Artaxerxis refert quosdam reges Israeliticos ex

Phœnicia exegiſſe tributa; ſed ejus auctoritas levior eſt, ut hoc abſque ullo teſte perſuadeat, cum apud ipſos Judæos ſit inauditum, neque minimum in geſtis eorum habeat fundamentum. Mirandum etiam non eſſet, ſi Artaxerxes Judaicæ hiſtoriæ ignarus Phœnicen regionibus Judæorum tributariis incaute adjunxiſſet. Conſtat inſuper Davidem piiſſimum regem fœdus percuſſiſſe cum Hiramo rege Phœnicio: unde legationes inter eos, ut inter confœderatos, frequentes 2 Sam. 5-11. & 1. Chron. 14-1. Unde *amicus* Davidis nuncupatur 1. Reg. 5-10. eoque nomine eo mortuo legatos etiam miſit ad Salomonem, & cum ipſo Salomo fœdus habuiſſe expreſſe refertur 1. Reg. 5-12. *Et fuit pax inter Hiram, & inter Salomonem* וַיִּכְרְתוּ בְּרִית שְׁנֵיהֶם. *& percuſſerunt ambo fœdus.* An ſapientiſſimus ille mortalium legem a Deo latam ignoravit? an ſciens illam violavit? an inaudita temeritate poſt Davidem patrem colere perennem amicitiam & ſacrum fœdus cum Chananæo excidiis devoto habere potuit, abſque ulla Dei interdicentis indignatione? Cojugia ſimiliter contracta oſtendit Hiram induſtrius ille artifex, qui pretioſiſſima templi vaſa affabre fecit: patrem enim Tyrium habuit, & matrem Iſraeliticam e tribu Nephthali, ut refertur 1 Reg. 7-14. Cum autem Deut. 7-2. extet hæc lex: *Non inibis fœdus cum eis, neque te junges affinitate; filiam tuam non dabis filio ejus, & filiam ejus non capies filio tuo; quia recedere faceret filium tuum a me, & ſervirent diis alienis, & furor meus in te accenderetur, teque penitus deſtrueret. &c.* An veriſimile eſt tantis minis non fuiſſe deterritos pios Iſraelitas a fœderibus & conjugiis Chananæorum? Quare Chananæis annumerandos non eſſe Phœnices exiſtimandum, cum reges præſtantiſſimi fœdera cum iis inierint, & viri pii etiam matrimonia contraxerint cum Phœnicibus. Quis credat fœdifragum admiſſum fuiſſe a Deo ad ſacra ſanctuarii ſui opera, & donis ad illud opus fuiſſe cælitus ornatum? Licebit objicere Judam Patriarcham duxiſſe in uxorem Suah Chananitidem Gen. 38-2. quod fecerat antea Eſau Gen. 27-1. & Loth ipſe, qui filias Sodomitis deſponderat, imo ſecundum quoſdam ejuſdem regionis uxorem duxerat. Sed hæc exempla non ſunt ad rem, cum legem præcedant, licet Iſaac S. Spiritu actus jam talia matrimonia horreret Gen. 27-48. Magis ad rem igitur erit matrimonium Rahab Jerichuntinæ poſt legem contractum, & Ruthæ Moabitidis etiam, a quibus ortus David & Meſſias ipſe: ſed natalia ſua & patriam ejurarunt, cum proſelytæ factæ ſunt, &

nihil

nihil commune cum Chananæis conservaverunt; neque amplius alienigenæ dici potuerunt, quia divina regeneratione insitæ Israelitarum genti omnes ejus prærogativas obtinuerunt. Quamobrem supersunt sola conjugia Jud. 3-5. sed cum illi qui ea contraxerunt, dicantur idola etiam Chananæorum coluisse, eorumque impietas manifeste redarguatur, non possunt in patrocinium adduci.

4. Tantum abest, ut Israelitæ sategerint occupare aliquam Phœniciæ partem, ut contra Salomo dederit urbes Chananitidis suæ viginti possidendas Hiramo 1 Reg. 7-11. quæ urbes sitæ fuerunt in *Galilæa gentium* ab iis Phœnicibus præcipue sic dicta; licet ob situm mari proximum continuo alienigenarum concursui semper obnoxia fuerit. Unde reges gentium, de quibus Gen. 14-1. & Judic. 12-23. Jamvero quis poterit in suum inducere animum, Salomonem, qui apprime noverat sui officii esse Chananæorum gentem a Chananitide exstirpare, Phœnicibus concessurum tot urbes, si pro Chananæis habuisset? Quis credat Pontifices, Prophetas, & cæteros populi duces tantam & tam manifestam in Deum rebellionem pati potuisse?

5. Phœnices etiam mihi videntur non contemnendam veri Dei, & fœderis ejus cognitionem habuisse. Salomoni enim Hiram verbis his benedicit: *Benedictus sit Deus Israelis, qui fecit cœlos & terram; propterea quod filium sapientem regi Davidi dedit, qui ædificaturus est Deo templum*, 2 Chron. 2-12. Discernit scilicet Deum Israelis a cæteris aliis, ipsi insuper tribuit totius mundi opificium, providentiamque rebus humanis incumbentem, ita ut filios sapientes ab ipso concedi existimet. Sane Jesaias in fine cap. 23. de Tyro a Sancheribo delenda, prædicit, quod Deus illam visitaret, & in pristinum statum illam restitueret, ita ut omnia ad ipsam pertinentia Deo sancta essent. Quod adimpletum vult R. Isaac Abrabanel diebus Ezechiæ, & Tyrios tunc dona misisse Deo offerenda in templum Hierosolymitanum, atque sinceram & ברית אחים, *fœdus fraternum*, cum Judæis coluisse. Hinc Phœnices circumcisi fuerunt testibus Josepho contra Apionem lib. 1. & Herodoto lib. 2. §. 104. Fateor hunc scribere, quod Φοίνικες καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. *Phœnices & Syri Palæstinam incolentes ipsi confitentur se illam ab Ægyptiis accepisse circumcisionem.* Verum id refutant Syri illi Palæstini, qui Israelitæ sunt: testature nim S Scriptura primum illam accepisse a Deo Abrahamum gentis suæ aucto

rem. Quamobrem cum Celſo & aliis ſcriptoribus prophanis pūtavit Iſraelitas ex Ægypto oriundos, utpote qui didicit eorum ex Ægypto egreſſum, & ignoravit præcedentem ingreſſum; & idem judicium tulit de Phœnicibus ob proximas Phœniciæ colonias Ægyptiacas. Mox veram eorum originem demonſtrabimus.

5. Non ſilentio prætermittendum *Hirami* nomen, quo non tantum induſtrius ille artifex, de quo ſupra, & *Hiram* inter generoſos Davidis duces celebris 2 Sam. 24—38. ſed & reges Syri ſoliti ſunt nuncupari. Cum *Hiramo* habuit fœdus David; & *Hiramus* ſimiliter dictus ille, cum quo fœdus percuſſit Salomo, ſive idem fuerit ſive ſucceſſor ejus; *Hiramum* etiam ſive Εἴρωμον, ut ſcribere ſolet hoc nomen Joſephus, habemus tempore Cyri regnantem Tyri lib. 1. contra Appionem. Jamvero nomen illud quaſi nos manu deducit ad Eſavi liberos, inter quos dux *Hiram* celebratur Gen. 36—42. Nomina autem in prima gentium diviſione non raro peculiaria fuerunt unicuique genti, atque illam agnoſcendam præbent: quin ab Aſſure poſteri omnes dicti Aſſyrii, ab Ebero Ebræi, ab Aramo Aramæi Syri. &c. Vix opus eſt obſervare, primam literam eſſe leviter diverſam: nam dux Edomæus ſcribitur cum ע & rex Tyri cum ח, quia literæ illæ ejuſdem organi paſſim permutantur, & ſonus earum ſolet confundi.

6. Argumentum a nomine generali petitum non exiguam præcedenti vim ſuperaddet: varii varias hujus nominis *Phœnix* reddunt rationes. 1. Legimus in Etymologico magno: Φοίνιξ παρὰ τὸ φόνος· φόνιοι γὰρ οἱ Φοίνικες, καὶ λῃστρικοὶ τὸν τρόπον. *Phœnix a cæde ſic dicitur: Phœnices enim homicidæ & latrones moribus erant.* Sic Ariſtoteles de audit. mirabil. Τοὺς Φοίνικας ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων φασί τινες προσαγορευθῆναι, διὰ τὸ πρώτους πλέοντας τὴν θάλασσαν, ᾗ ἂν ἀποβαίησαν, πάντας ἀποκτείνειν. καὶ γλῶσσαν δ' ἐστὶ τὴν Περῥαιβῶν τὸ αἱμάξαι, φοινίξαι. *Phœnices a Græcis appellatos quidam dicunt, quod primi navigantes, quocunque appellerent, omnes necarent. & revera Perræbeorum lingua phœniſſare ſignificat trucidare.* Addit Etymologicum magnum: Δύναται δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ φυτοῦ λαμβάνεσθαι, διὰ τὴν τῶν στελεχῶν ὀξύτητα· αἱμάσσουσι γὰρ καὶ φοινίσσουσι τοὺς ἁπτομένους αὐτῶν. *poteſt etiam nomen illud ab arbore palma ſumi ob acutos caudices, qui apprehendentes cruentant & ſanguine inficiunt.* Stephanus de Urbib. vero vult a Phœnice dici: ὁ δὲ Φοῖνιξ ἦν Ἀγήνορος παῖς. *Phœnix autem ille fuit Agenoris filius. &c.* Verum hic Agenoris filius nomen ſuum

ſuum ab antiquiore Phœnicia potius obtinuit: palmaque a terra illa, quæ matris inſtar illam copioſe & præſtantiſſime procreat, probabilius dici debuit, ut Calliſthenes docebat apud Ariſtotelem de mirab. audit. A cædibus vero denominare illos inimici potuiſſent, ſed infame illud nomen ipſi non admiſiſſent, nec ſuæ patriæ impoſuiſſent; conſtat autem eos libenter eo uſos, ut fragmenta hiſtoriarum eorum reſidua teſtantur. Quamobrem expedit præferre origines, quas lingua Phœnicia aut vicina Ebræa poteſt ſuppeditare. Benedict. Arias Montanus, & ejus veſtigia premens Fullerus, volunt formari a פָּנַק, *deliciari*, quia omnigenis terræ marisque deliciis hæc gens abundabat, & plurimas etiam e remotiſſimis regionibus opera ſuorum nautarum ſibi comparabat. Nihilominus Sybaritæ contendiſſent cum ipſis de hujus nominis jure, & ſuffragio omnium auctorum viciſſent, cum eorum deliciæ in proverbium abierint; Phœnices vero lucri cupiditate, & indefeſſis navigationibus, & incomparabili induſtria innotuerint. Quamobrem a nomine proprio פִּינְחָס, quod duo pontifices Iſraelitici celebre reddiderunt, Scaliger deducere maluit hoc gentilitium nomen. Sed ipſi adverſatur ſolita hujus nominis ſcriptura, quæ *Phœnicen* פִּינִיק exhibet cum ק: *Pinchas* autem habet ח literam diſſimillimam. Propterea Clariſſ. Bochartus ad novam confugit conjecturam, & Phœnices quaſi בְּנֵי־אֲנָק, *phne-anak*, *filii Anaki* ipſi videntur dici: *b* quidem mutat in *ph*, ſed literæ ſunt ejuſdem organi, & conſequenter permutabiles. Omnia igitur quadrarent, ſi filios Anaki incoluiſſe Phœniciam pateret, aut Phœnices giganteæ molis inſignes fuiſſent. Nam עֲנָק *Anak*, de quo Num. 13—23. gigas habetur, & filii ejus Achiman, Sceſcai, atque Thalmai *filii gigantum* בְּנֵי גִבָּרָיא, quaſi *Anak* non tantum eſſet nomen gigantis, ſed giganteam ejus molem proprie deſignaret. Arabs Erpenianus idem nomen retinuit, ſed qui editus eſt in bibliis Londinenſibus habet الاجفان *eminentes ſupra cæteros atque proceriſſimos*, ab Ebræo גַּב. *i.e. eminentia & altitudo.* quod obſervandum fuit, quia hæc vox neque in Golii, neque in Caſtelli lexicis invenitur. Deut. 1—29. etiam patet Anak gentis giganteæ patrem, & 2-21. ubi præterea additur illam deletam a Deo, & penitus deſtructam, ita ut vix liceat exiſtimare celeberrimos Phœnices ab illa ortos fuiſſe.

Itaque probabilius mihi videtur proprium Phœnicum nomen primitus quidem Ebræum fuiſſe, ſed ob frequentiſſima cum Græcis com-

mercia in Græcum ſecundum ejus ſignificationem converſum. Quid autem ſignificet φοίνιξ declarat Etymologicum magnum his verbis: Φοινικοῦν, ἐρυθρὸν, πυῤῥόν. *Phœniceus color. i.e. ruber, igneus.* & Φοινίξω, αἱμάξω, βάψω, πυῤῥώσω. *Phœnicio. i. e. cruento, tingo, ignis colorem do.* ſic Heſychius: Φοινικοῦν, πυῤῥὸν, κόκκινον, αἱματῶδες. *Phœnicium, coccineum, & ſanguineum colorem referens.* &, Φοίνικι, ἐρυθρῷ βάμματι. &, Φοινικήϊον, πυῤῥόν. &, Φοινίκης, ὅπλον ἐρυθρόν. Denique, Φοίνιξ τὸ δένδρον φοίνικος, νέον ἔρνος, καὶ ὁ καρπὸς, ἢ ὁ πυῤῥὸς τῷ χρώματι. *Phœnix, palmæ arbor, novum germen, & fructus ejus, atque colore igneus.* Nempe a rubedine ea omnia dicuntur: rubet enim palmula ſive palmæ fructus, rubent exorientia ejus germina. Et quo de iſtis germinibus, fructuque, & phœniceo colore magis conſtet, audiendi Phavorinus philoſophus, & M. Fronto vir conſularis diſſerentes apud A. Gellium lib. 2. cap. 26. Ille queritur de inopia linguæ Latinæ in deſignandis coloribus; hic probat multiplices tamen Latinos deſignare rubri, quod in exemplum produxerat, ſpecies; imo etiam ejuſdem ſpeciei diverſa nomina habere. *Nam* (inquit) *phœniceus, quem tu Græce φοίνικα dixiſti, noſter eſt, & rutilus, & ſpadix phœnicei συνώνυμα, qui factus Græce noſter eſt. exuberantiam ſplendoremque ſignificat ruboris; quales ſunt fructus palmæ arboris non admodum ſole incocti, unde ſpadicis & phœnicei nomen eſt. ſpadica enim Dorici vocant avulſum e palma termitem cum fructu.* Ob eumdem colorem Phœnix avis denominatur: conſpicuus eſt quidem *auri fulgore circa colla, cætera purpureus*, inquit Plinius Nat. hiſt. lib. 10. cap. 2. Quare ad hoc nomen ipſi obtinendum ſaltem concurrit cum rediviva facultate, quam cuidam palmæ tribuit idem Plinius lib. 13. cap. 4. his verbis: *Mirumque de ea accepimus, cum Phœnice ave, quæ putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepiſſe, iterum mori, ac renaſci ex ſeipſa, (quod erat prius) pomis refertam.* Sic *Phœnicopterus* avis ingens ob *rubras alas* dictus eſt.

Jamvero cum φοίνιξ, *phœniceus*, ſit *ruber*, ἐρυθρὸς & ἐρυθραῖος, neque hæc nomina differant; debent convenire cum Ebræo nomine אֱדוֹם iis penitus reſpondente. אֱדוֹם, *Edom* autem eſt nomen Eſavi, ſic dicti quia אַדְמוֹנִי, *Admoni*, Græcis LXX πυῤῥάκης, Vulgatæ *rufus. Rufus autem color*, inquit Phavorinus loco citato ex lib. 2. A. Gellii, *ex rubore quidem appellatus eſt: ſed cum aliter rubeat ignis, aliter ſanguis, aliter oſtrum, aliter crocus; has ſingulas rufi varietates Latina oratio ſingulis pro-*

propriisque vocabulis non demonſtrat, omniaque iſta ſignificat una ruboris appellatione. &c. Et conſequenter *rufus*, πυῤῥάκης, igneum ruborem atque phœniceum colorem ex æquo comprehendit. Eſavus igitur primo הוּא אֱדוֹם, *ipſe eſt Edom*, teſte ſacro textu Gen. 36—1. ſecundo עֵשָׂו אֲבִי אֱדוֹם, *Eſau eſt pater Edom*, ſive ut Onkelos, דַאֲדוּמָאֵי *Idumæorum*. ſic Syrus. at Arabs bibliorum Londinenſium habet convenienter nominis ſignificationi ابي الاحمرين, *i.e. pater ruforum*, Sic Idumæi ſunt Edomi ſive Eſavi liberi, iidemque ſecundum nominis ſignificationem ſunt *rufi*, & Græce φοίνικες, vel ἐρυθραῖοι. Sic gentis originem & convenientiſſimam nominis Phœnicum rationem habemus; expedit tamen exemplo ſimili utramque confirmare. Cuivis notum eſt, quod *mare rubrum* Arabes ab Ægyptiis dividens Græcis dicitur Ἐρυθρὰ θάλασσα, & Ἐρυθραῖον πέλαγος. Ridicule enim illam ab hoc diſtinguit Stephanus, hocque ἀπὸ Ἐρυθραίου τινὸς βασιλέως, illam vero ἀπὸ Ἐρυθροῦ βασιλέως, deducit, nomina ſecundum diverſam terminationem multiplicans. Mitto unum poſt mortem projectum in mare illud dici, alterum vero ejus aquis ſuffocatum; mitto montes rubros atque σκιὰν ἐρυθρὰν, *umbram rubram*, quam emittere in mare & ejus aquas rubore inficere referuntur, quæ prolixius referuntur cum antiquis auctoribus ea probantibus ab Euſtathio Scholiaſte ad verſ. 38. Dionyſio Perieg. Pomp. Mela, Strabone, Plinio, aliis innumeris. Neque mirum, cum ficta illa nomina, & diverſorum colorum terræ, ſolita ſint ſciolorum ignorantiam agnoſcere neſcientium aſyla. Apage tamen inania illa regum omnibus hiſtoricis ignotorum ſpectra, apage umbras ſplendore ſuo ſubjecta tingentes maria: utque veritas ex denſa illa caligine valeat emergere, agnoſcamus in rege Erythra vel Erythræo *Edom* ſive *Eſavum* multorum principum patrem, quoniam *Edom* ſignificat Ἐρυθρὸν & Ἐρυθραῖον ſive *Rufum*; & in montibus ἐρυθροῖς σκιὰν ἐρυθρὰν, *umbram rubram in mare immittentibus*, montes Idumæorum, quia Idumæi revera ἐρυθροὶ & φοίνικες ſive rubri aut rufi ſunt, atque cum umbra etiam revera conferunt mari cognomen rubri, faciuntque ut ob viciniam mare Idumæum ſive ἐρυθρὸν, & φοινικοῦν, atque *rubrum* jure ac merito nuncupetur. Nihil videtur amplius requirendum ad probandum, quod hæc nomina ſunt perfecte ſynonyma, & *Phœnices* Græcis dicuntur, qui Ebræis erant *Edomæi* vel *Idumæi*, quandoquidem ab Eſavo *Edomo* ſive *rufo* ducebant.

bant originem. Sane adeo ſingularis fuit natalis illa Eſavi conſtitutio, adeoque inauditum infantem pilis rufis horrentem naſci, ut merito inde debuerit in rei extraordinariæ memoriam denominari; attamen ut celebris illa denominatio firmior eſſet, duplici jure ſtabilita eſt, atque monſtroſæ nativitatis portento etiam acceſſit effrænata ingluvies, quæ pro rufo lenticulæ cibo ſacrum primogenituræ ſuæ jus proſtituit, & Moſe ipſo teſte Edomi ſive Rufi nomen ipſi meruit Geneſ. 25—30. *Fac ut comedam*, inquit Eſau, מִן הָאָדֹם הָאָדֹם, *ex rufo, rufo hoc, quia laſſus ſum.* LXX ἐψήματος τοῦ πυῤῥοῦ vel πυῤῥοῦ τούτου, ut alia exemplaria habent, quæ debent conjungi, ut in textu. *i.e. ex cocto rufo, rufo hoc.* עַל־כֵּן קָרָא שְׁמוֹ אֱדוֹם, *propterea vocavit nomen ejus Edom.* Quod obſervavit Stephanus ſcribendo: Ἰδουμαῖοι, ἔθνος Ἑβραίων, ἀπὸ Ἀδόμου· ἄδομα γὰρ οἱ Ἰουδαῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσι, ὅτι ξανθὸν βρῶμα δοὺς τῷ ἀδελφῷ τὰ πρωτεῖα εἰλήφει. *Idumæi gens Ebræorum ab Adomo. Adoma enim Judæi rubrum vocant, quia cibum rufum fratri dans obtinuit principatum*, ſive ut LXX πρωτοτόκια, *primogenituræ jus.* Non male autem Ebræorum gentem dixit Idumæos, cum ad Abrahamum patrem Edomi redacti, fuiſſent Ebræi. Hanc maris rubri denominationem ex parte vidit Boxus Perſa, ſed ad ſuam gentem ejus originem transferre conatus eſt, ut obſervat Agatharchides apud Photium Cod. 250. cap. 2. qui ejus veſtigia premens refutat montes ſolaribus radiis rutilos, & rubentes arenas, & Perſei Argivi filium Erythram, figmentaque eſſe demonſtrat; ac docet Erythram quemdam urbem ad mare illud condidiſſe, illudque navigationibus ſuis pervium reddidiſſe, atque tantum decus ex ſuis egregiis facinoribus ſibi comparaviſſe, ut ex nomine ſuo mare dictum fuerit, ab illo tempore ad noſtrum uſque. Unde mallet dici *Erythræ* mare quam mare *Erythrum* vel *Erythræum*, cum illa expreſſione regem denominationis auctorem deſignari cuivis pateat; hac vero mare ipſum rubedine infectum ſignificetur, cum tamen conſtet ejus aquas cæteris omnium marium aquis eſſe concolores, neque ullatenus ab iis differre, teſtibus illis omnibus qui illas unquam conſideraverunt.

Denique ipſi Rabini noſtris conjecturis non obſcure ſuffragantur: nam R. Iſaac Abrabanel in Jeſ. 22. queſt. 3. expreſſe ſcribit הנה צור לא היה מארץ כנען *Ecce Tyrus non erat ex terra Chanaan*, idem R. David Kimchi ad verſum 13. הן ארץ כשרים *Ecce terra Chaldæorum*: obſervat quoſdam interpretes exponere de Tyro כלומר ואת העיר ארץ כשרים.

כשרים היא כי זה העם לא בנה אותה אלא אשור יסדה לספינה:
Quasi diceret, Hæc urbs est terra Chaldæorum & populus hic non ædificavit illam, sed olim Aßur, ut navale ipsi esset. &c. Chaldæi autem orti sunt & denominantur a *Chesed* Chasdim Gen. 22-22. sic nepotes sunt Nachoris, & Israelitarum affines, ut cæteri Syri qui Assyriorum nomen etiam passim obtinent.

Concludendum igitur, quod Idumæi littus maris mediterranei incolentes dici potuerunt Phœnices a Græcis quasi *Rubri*, quia Edom gentis & nominis auctor *rubrum* significat. Quemadmodum ob eamdem rationem mare quod ab ipso Idumæum dictum est, iidem Græci ἐρυθρὸν & ἐρυθραῖον, id est, *rubrum* dixerunt.

Verum enimvero dubitabit forsitan aliquis mare *rubrum* adeo fuisse vicinum Idumææ, ut ab ipsa aut ejus domino Edomo potuerit denominari. Id nobis itaque considerandum, ne felicem argumentorum nostrorum cursum ulla remora impediat. & nullo negotio præstabitur: nam legimus 1. Reg. 9—26. & 2. Chron. 8-29. Salomonem adornasse classem in Esion-gheber, quæ cum Eloth erat עַל שְׂפַת יַם־סוּף בְּאֶרֶץ אֱדוֹם *juxta littus maris algosi in terra Edom.* Urbs autem Esion-gheber ad Esavum pertinuisse, & montem Seir eidem mari imminentem ex capite 2. Deuter. colligitur. Et observavit S. Hieronymus insuper illam urbem dici suo tempore Essiam, de locis Ebraic. ad lit. *g.* Mare autem illud ab *alga* sic dictum ipsissimum est mare ἐρυθραῖον, & in Vulgata etiam diserte *rubrum* nuncupatur, & passim etiam a LXX redditur ἐρυθρὰ θάλασσα, atque adeo graphice describitur, ut a quovis facile agnoscatur. Sic Psal. 106-7. queritur propheta de rebellione Israelitarum בְּיַם־סוּף *in mari Souph*, sive *algæ* vel *junci*. LXX ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. Vulg. reddit *mare rubrum*, & Arabs interpres; neque aliud mare potest intelligi, cum illud unum peragrarint Israelitæ. vers. 9. & 22. repetitur idem nomen, & manifestius adhuc declaratur mare rubrum esse intelligendum. Sic Ps. 136-13. celebratur Deus, quod illud *mare Souf* diviserit, & vers. 15 quod in illo oppresserit Pharaonem, & utrobique LXX ἐρυθρὰν θάλασσαν habent. Frustra in congerendis aliis argumentis tempus tereretur. Nonnullam tamen parit difficultatem prior locus, cui innititur præcipuum argumentum, quia iidem LXX reddunt littus τῆς ἐσχάτης θαλάσσης, *ultimi maris*; non patet autem, cur *ultimum mare* dicatur Rubrum. Revera hæc denominatio videtur aliena, & ex errore etiam

fluxit: interpres enim hic legit סוף *finem & terminum ultimum*, cum ut alias semper LXX soleant legere סוף, & *rubrum* vertere. Unde obiter observandum ex variis auctoribus collectam versionem Græcam, cum sibi non constet. Quin revera terminus fuit regni Israelitici mare rubrum, & ultima ejus pars, ita ut diversitas illa sit parvi momenti; sufficiatque, quod mare illud *Souf* sit inter Idumæam & Ægyptum. Unde R. Benjamin in Itinerario: ים סוף רחוק מהר סני דרך יום. *mare Souf abest a monte Sinai unius diei itinere.* Quidquid sit, סוף *souf* herba marina & aquatilis, sive *juncus*, sive *alga* proprie convenit Ægypto & ejus aquis: unde Moses a matre deponitur בסוף, εἰς τὸ ἕλος secundum LXX, & secundum Vulgatum interpretem *in carecto.* Imo ab illa herba videtur dicta urbs Σιοῦφ natalis regis Amasis, de qua Herodotus lib. 2. §. 172. nisi ipsa judicetur denominationis ipsius maris causa. Addam tamen algam a rubidine non esse alienam, quandoquidem Ponticæ cujusdam algæ meminit, quæ tingendis pannis idonea est, eximiamque purpuram præstat: sic Plinius lib. 13. cap. 25. qui observat magis ad fruticem quam ad herbam accedere illam algam, quam Græci vocant φῦκος, unde Latinis *fucus.* qui quidem pro quovis colore usurpatur passim; proprie tamen rubrum designat, quo pallidiores utebantur ad labra & genas tingendas. Itaque non inepte ipsum marinæ illius algæ nomen per rubedinem reddiderunt, & quod mare Ebræi algosum vocabant, LXX dixerunt ἐρυθρὸν, & consequenter mare Erythræum rubrumque juxta ditionem Esavi sive Edomi fuit, cum Salomo navale suum constituerit in Esion-gheber & Eloth juxta littus maris algosi in terra Edom. Nempe David totam Idumæam armis subegerat 2 Sam. 8-14. & 1 Reg. 11-15. & tanta strage vastaverat, ut pauci mares fuga sibi consulere potuerint; sicque ab Edom principe bellicosissimo ditio ejus dici debuit Edomæa vel Idumæa, quia primus illam in ordinem redegit, & armis partam rexit, atque jus supremum in proximum mare exercendo, Edomæum sive Idumæum, ἐρυθρὸν, rubrumque similiter fecit. Notus Geographis harum urbium ad hoc mare situs: de Eloth enim Plinius agit lib. 6. cap. 28. eamque *Ælanam* vocat, & ab ea sinum maris rubri *Ælaniticum* dictum commemorat, quem etiam ibi & cap. 11. lib. 5. *Lalaniticum* vocat. Ptolemæus etiam lib. 5. cap. 17. *Elanam* & sinum *Elanitem* describit, atque Strabo lib. 16. ubi de Syria. Geographus Nubiensis ايلة, *Aila*, quinta parte climatis tertii etiam nuncupat & describit.

7. De-

7. Denique argumentum suppeditat historia, constanter declarans Phœnices ex Idumæa, sive ex maris Idumæi vel rubri vicinia originem ducere. Audiamus antiquissimum Herodotum, historiæ suæ initio: Περσέων μὲν νῦν οἱ λόγοι Φοίνικας φασὶ γενέσθαι τῆν διαφορῆς αἰτίους. τούτους γὰρ ἀπὸ τῆς ἐρυθρῆς καλεομένης θαλάσσης ἀπικομένους ἐπὶ τήνδε τὴν θάλασσαν, καὶ οἰκήσαντας τοῦτον τὸν χῶρον, τὸν καὶ νῦν οἰκέουσιν, αὐτίκα ναυτιλίῃσι μακρῇσιν ἐπιθέσθαι. *Persarum sermones memorant Phœnices extitisse dissensionis auctores; quia a mari, quod rubrum dicitur, in hóc nostrum divertentes, & occupantes hanc regionem, quam etiam nunc incolunt, longinquis navigationibus continuo incubuerunt. &c.* Sic Solinus cap. 26. *Tyrii, Phœnicum pars nobilis, a rubro profecti mari Erythræam, Pœni lingua sua Gadir. i. e. sepem nominarunt. &c.* nempe insulam ad extremam Hispaniæ oram sitam Gades. Plinius etiam lib. 5. cap. 22. licet cum Erythia videatur confundere. scribit enim: *Nostri Tarteßon appellant, quam Pœni quondam Gadira; nam Gadira punica lingua septum significat. Erythia dicta est,* (sed lego *Erythraa*, ut verba sequentia docent) *quoniam Tyrii ab origine eorum orti ab Erythræo mari ferebantur. &c.* Stephanus Bysantinus in Azoto testatur, quod ταύτην ἔκτισεν εἷς τῶν ἐπανελθόντων ἀπ' ἐρυθρᾶς θαλάσσης φυγάδων. *eam ædificavit aliquis ex profugis a mari rubro venientibus.* Dionysiusque Periegetes vers. 905.

Οἱ δ' ἁλὸς ἐγγύς ἔοντες ἐπωνυμίην Φοίνικες,
Τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς οἱ Ἐρυθραῖοι γεγάασιν.

Alii autem prope mare sunt cognomento Phœnices, eorum hominum ex genere, qui Erythræi, sive maris rubri accolæ fuerunt. &c. Strabo denique lib. 1. Geographiæ suæ de Phœnicum origine sic scribit: Οἱ μὲν καὶ τοὺς Φοίνικας καὶ τοὺς Σιδονίους τοὺς καθ' ἡμᾶς ἀποίκους εἶναι τῶν ἐν τῷ ὠκεανῷ φασι, προστιθέντες, καὶ διὰ τί Φοίνικες ἐκαλοῦντο, ὅτι καὶ ἡ θάλασσα ἐρυθρά· οἱ δ' ἐκείνους τούτων. *Sunt qui Phœnices & Sidonios nostros dicunt esse colonos emissos ab iis, quorum sedes versus Oceanum, addentes insuper Phœnices dici, quod mare illud sit rubrum: alii vero istos nostrorum esse colonos. &c.* Quamobrem R. Salomo Jarchi in Jes. 27. exponens Leviathan maris scribit: הוא צור שהוא ראש לבני עשו. *Tyrus est, quæ caput est filiorum Esavi;* sic enim intima Phœniciorum cum Idumæis societas patet. Agmen claudat auctor brevium Scholiorum in Homerum qui ad Odyss. lib. 4. vers. 84. ubi inter Æthiopes, Arabes, & Libycas

 gen-

gentes medii constituuntur Sidonii, scribit: Σιδονίους τοὺς παρὰ τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ λέγει, ὅθεν μετῴκησαν οἱ Φοίνικες. *Sidonios mare rubrum accolentes refert; inde enim originem habent Phœnices. &c.* Attamen mirum poterit videri hos maris rubri accolas non occupasse viciniores Philisthæorum præfecturas, & iis prætermissis in Phœniciam remotiorem concessisse; sed potuerunt scire totam Chananæam Israelitis fratribus destinatam, & inscios etiam potuit divina providentia ab illius occupatione arcere. His & pluribus suffragiis similibus, quæ addi possent, evidenter declaratur ex Idumæa & rubri maris vicina regione ortos Phœnices; Phœnicesque & Idumæos saltem originem communem habuisse, & consequenter utrosque esse a Chananæis distinguendos. Quin in ipsa Arabia Φοινίκων κώμην, *Phœnicum pagum*, commemorat Ptolemæus lib. 6. cap. 7. Geograph.

Ingenue tamen agnoscere debemus nonnullas occurrere difficultates, quæ pronam ad assensum mentem valent remorari: prima est, quod primogenitus Chanaanis filius dicatur *Sidon* Gen. 10—15. & ab eo condita & denominata videatur urbs *Sidon*, quæ inter Phœnicias urbes illustrissima fuit. Neque sufficeret respondere hanc urbem Chananæam revera fuisse, sed ultimam in illa regione, & propter viciniam Phœniciæ attribui potuisse: unde Gen. 10-19. terminus Chananæorum a Sidone Geraram versus constituitur, & sæpe alias Sidon describitur etiam ut terminus ditionis Israeliticæ, ita ut aut ad Chananæos minime pertinuerit, aut saltem ultima fuerit urbium Chananiticarum, & quæ ulterius conditæ fuerint, in Phœnicum ditione remanserint. Tyrus ipsa Phœnicum regia, & præcipuum decus Jes. 23-12. dicitur *filia Sidonis*, quia a Sidoniis condita, hacque ratione æque ad Chananæos pertinuit. Multa tamen sponte ad hanc objectionem solvendam sese offerunt. Licet enim probabile sit a Sidone Chananęo urbem Sidonem fuisse conditam, & Josephus lib. 1. cap. 7. suarum Antiquitatum id affirmet: licet etiam plurimi Tyrum velint esse Sidoniorum coloniam, utraque tamen urbs potuit tandem in Idumæorum sive Phœnicum, antequam Israelitæ ex Ægypto egrederentur, potestatem venire, quod impedire potuit ne Israelitæ illas oppugnarent, quia prohibuit Deus Israelitis ne cum illis hostiliter agerent, sed fraternam colerent benevolentiam Deut. 22—7. Sane etsi Esau cesserit Israeli Chananitidem, potuit circum-

cumjacentes regiones, quas Chananæi inique, ut antea obſervatum, occupaverant, ſibi vere vendicare. Præterea quid impedit, quo minus ſponte datas dicamus Eſavo a Chananæis in dotem uxorum quas ab illis obtinuit Gen. 27—1. & ceſſiſſe in hæreditatem alicui e principibus ex his conjugiis natis? Sane legimus Pharaonem filiæ ſuæ Salomonis uxori urbem ſimiliter dediſſe, quam a Chananæis eripuerat 1. Reg. 9—16. Attamen jure poſſumus dubitare Sidonem a Chananæis revera fuiſſe conditam, & Tyrum filiam Sidonis deſignari, quoniam de ipſa Sidone agitur in eodem capite Jeſaiæ, quæ *filia Sidonis* dici poteſt, ut Sion paſſim dicitur *filia Sionis*, figura ſolita S. Scripturæ, qua urbes florentes & nondum jugum paſſæ virginibus liberis aſſimilantur. Sane apud Juſtinum lib. 18. cap. 3. legimus, quod *Tyriorum gens condita a Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati relicto patriæ ſolo, Aſſyrium ſtagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piſcium ubertate Sidona appellaverunt. nam piſcem Phœnices Sidon vocant. Poſt multos deinde annos a rege Aſcaloniorum expugnati navibus appulſi Tyron urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt.* Quin Otacillæ nummus apud Goltſium teſtatur metropolim habitam Tyrum ab ipſis Sidoniis, cum hæc ſit ejus inſcriptio: ΣΙΔΩΝ ΚΟΛ. ΤΥΡ. ΜΗΤΡΟ. *Sidon colon. Tyrus Metropolis.* Unde mox diſcemus a Strabone, in contentionem de illa prærogativa veniſſe cum Tyro Sidonem: quare poſt hanc ſuperatam illi totum jus tandem ceſſiſſe videtur probabile. Videatur de illarum antiquitate & ſplendore Jeſaias 23--7. Sic non ſola Tyrus, ſed Sidon etiam eximetur ab infami Chananæorum proſapia, & ratio petita a nomine primogeniti Chanaanis ſignificationi propriæ ejuſdem nominis tenebitur cedere, cum revera צידון, *Sidon*, denominari poſſit a ציד, *ſaid. i.e. piſcatio, & venatio.* Vidimus ſupra Tyrios Sidonioſque ex mari rubro ortos, & non in genere dumtaxat Phœnices. Stephanus Geographus: Τύρος νῆσος ἐν Φοινίκῃ ἀπὸ Τύρου τοῦ Φοίνικος, *Tyrus inſula in Phœnicia, a Tyro Phœnice.* Non itaque Sidon Chananæus illam condidit, ſed vir Phœnicius, ſive Erythræus, i. e. Edomæus. Unde hic auctor addit fuiſſe in mari rubro inſulam cognominem hujus originis luculentam teſtem. Quin vetuſtiſſimus Phœniciarum originum auctor Sanchoniathon apud Euſebium meminit Nymphæ dictæ *Sidon*, ſcribendo: Ἀπὸ δὲ τοῦ πόντου γίνεται Σιδών. *ex ponto naſcitur Sidon, quæ propter canoræ vocis præſtantiam prima canere hymnum invenit, &c.*

Ab illa non minus probabile est Sidonem maritimam dici, quam a Sidone Chananæo, licet fabulæ involucro natalia Nymphæ obnubilentur. Sane adeo compertum fuit Straboni extra Phœniciam non esse quærendam Sidonis originem, ut quærat rationem, cur post Phœnices, Sidonii qui iidem sunt, nominentur; & non habet aliam quam reddat præter ingens Sidoniorum decus, quod non patiebatur, ut generali nomine comprehenderentur, lib. 1. Geog. Quin minorum Scholiorum in Homerum auctor pro iisdem omnino habet: nam in Odyss. ν. vers. 285. ut explicaret Σιδονίην, scribit esse τὴν τῆς Σιδόνος χῶραν, τὴν Φοινίκην, *Sidonis regionem* sive *Phœniciam.* & supra ipsum audivimus docentem, Sidonios mari rubro advenas esse; & Iliad. ψ. ad vers. 743. Σιδόνες οἱ Φοίνικες· Σιδὼν γὰρ πόλις Φοινίκης. *Sidones sunt Phœnices; Sidon enim urbs est Phœniciæ.* At de Tyro altum in toto opere Homeri silentium; attamen non est exinde colligendum eam ejus ævo esse recentiorem, cum Tyrus celebris esset, & terminum cum ipsa Sidone tribui Asceris jam constitueret (Josuæ 19-28, & 29.) diebus Josuæ aliquot seculis Trojano excidio vetustioris; sed tunc passa est ejus gloria aliquod deliquium. Unde patet, Josephum & Eusebium, qui Tyrum ducentis & quadraginta annis ante templum Salomonis dumtaxat extructam volunt, agere de illius restauratione, aut de Tyro diversa ab antiquiore; plurimæ enim fuerunt, & apud eumdem Josephum Antiq. lib. 12. cap. 5. Hircanus castrum munitissimum & amænissimum dictum Tyrum extruxisse refertur. Revera Cedrenus in suo historiarum compendio refert Tyrum conditam ab Agenore Beli fratre, & ab uxoris nomine illam nuncupasse, quod circa Patriarcharum tempora fieri debuit, cum Inachus hujus Agenoris avus putetur Abrahami coætaneus, atque tantum abest, ut Tyrus conveniente filiæ obsequio Sidonem quasi matrem coluerit, ut contra de primatu non erubuerit contendere teste Strabone lib. 16. Ἀμφότεραι δ' οὖν ἔνδοξοι καὶ λαμπραὶ, καὶ πάλαι καὶ νῦν. ὁποτέραν δ' ἄν τις εἴποι μητρόπολιν Φοινίκων, ἔρις ἐν ἀμφοτέραις ἐστίν. *Ambæ igitur & antiquitus & nunc claræ illustresque sunt; controversumque manet inter eas, utra Phœnicum metropolis dici debeat.* Quin R. Isaac Abrabanel in Jes. 23. generalem illius scopum exponens scribit: לפי שצור היה עיקר המלכות היה נקרא מלך צור חירם. *Propterea quod Tyrus erat fundamentum regni, Chiram nuncupabatur Tyri rex*; & Sidonii postea ejus subditi dicuntur. Itaque Chananæorum in Tyrum jus a Sidone mutuatum debet haberi nullum;

lum; neque validius est illud quod in ipsam Sidonem ex Sidone Chanaanis primogenito arcessitur, cum aliunde potuerit denominari, & revera secundum productos testes denominata fuerit, suamque originem non debeat Chananæis.

Iterum insurgunt adversarii nova objectione muniti & in labentis causæ subsidium disertam S. Scripturæ auctoritatem jactant, quia in ea Phœnicum & Chananæorum nomen promiscue usurpatur; nam Matth. 15-22. mulier Χαναναία, *Chananæa* dicitur, quam Marcus 7-26. Συροφοίνισσαν *Syrophœnissam* nuncupat. At ea promiscue non usurpantur, quæ diversissimo respectu uni & eidem personæ conveniunt; gentilis enim illa mulier erat ob prosapiam *Chananæa*, sed ob habitationem *Phœnissa*, quia in Tyri & Sidonis confiniis habitabat. Unde in Æthiopica versione non dicitur *Syrophœnissa*, sed *uxor viri Syrophœnissi*. Sic Gen. 37—25. *Ismaelitæ* dicuntur mercatores, quibus venditus Joseph; at vers. 28. *Madianitæ*, quia cum Madianitæ essent, cum Ismaelitis habitabant. Sic quidam Israelitæ dicuntur 2. Sam. 9-4. *Cerethæi*, quia in Cerethæorum regionem bello partam missi fuerant; sic Achimelecus *Chittæus* 1. Sam. 26-6. & Urias etiam *Chittæus*, maritus Bathsebæ 2 Sam. 11-3. qui tamen Israelitæ ob religionem & habitationem habendi sunt. Sic 2. Sam. 15-19. Itthajus dicitur *Gitthæus*, quia ab urbe bello capta, quam regebat ille Israelita, denominationem accepit. Similiter mulier Chananæa inter Phœnices degens merito dicitur Syrophœnissa, & duplici hoc cognomine designatur, ut pateret in ea pravam Phœnicum libidini & voluptati deditorum institutionem ad maledictam Chananæorum originem accessisse, ut invicta gratiæ illam sanctificantis virtus clarius eluceret. Urget doctiss. Grotius in Matth. 15-22. & addit, Phœnices Tyrum & Sidonem incolentes vocari peculiariter Chananæos in his verbis Num. 13-30. *Chananæus habitat ad mare & ad ripam Jordanis*. Verum non video his Tyrios aut Sidonios esse intelligendos: habitarunt enim ad mare mediterranæum hi Phœnices, sed non habitarunt ad ripam Jordanis. Liceret etiam mari illo Jordanis socio intelligere mare mortuum, aut mare Tiberiadis, ut Chananæi planiciem ad illorum littora sitam incolentes opponantur montana incolentibus. Non tamen opus est huc recurrere: constat enim Philisthæos Chananæos ad mare mediterraneum sitos maximam illius littoris partem tenuisse, atque Chananæos maritimos convenienter dici.

Cum

Cum majori verisimilitudinis specie ibidem producitur Jud. 1-31. quia ibi incolæ Sidonis annumerantur iis, quos a sua ditione tribus Ascer non expulit; nihilominus non adversatur sententiæ nostræ ille textus, quia non agit de ipsa Sidone urbe (quæ Zabulonis terminus dicitur Gen. 49-13. & Asceris Jos. 19-28. nulla autem tribus præter has ad Sidonem accedit) sed de ejus incolis, qui in vicinis Chananæorum oppidis domos, & in agris villas habere potuerunt, quas licebat Israelitis occupare.

Initium capitis tertii Judicum etiam opponi posse videtur: diserte enim testatur Sidonios Chananæosque & alios populos excidio devotos remansisse inter Israelitas, ut illos exercerent. quod videtur significare, omnes illas gentes ejusdem fuisse conditionis. Verum consequentia illa sponte labascit: eo ipso enim quod Sidonii adduntur Chananæis, ab ipsis diversi constituuntur. unde antea Chananæi illi superstites tributa solvisse referuntur, & nil tale affirmatur de Sidoniis. Constat præterea gentes diversas potuisse diversimode conservari, ut certatim exercerent Israelitas.

Præcipuum tamen robur collocatur in Jes. 23-8. ubi *diserte Tyri cives Chananæos vocat Propheta*, inquit Grotius. Fatentes nunc habebit adversarios, sed hæc confessio ejus causæ nullum afferet emolumentum: duplices enim sunt Chananæi, alii secundum prosapiam a Chanaane ductam, quæ suum nomen hæreditario jure confert, & genuinos Chananæos constituit, quales fuerunt illi quorum terras occuparunt Israelitæ: alii nomine tenus, & secundum vocis sensum. tales fuisse Tyrios declarat Jesaias, & omnes mercatores Chananæos dicere licet, nempe כְּנַעֲנִי, *Chanaanis filius* est aut *mercator*, & utrumque indiscriminatim hæc vox significat. Prima significatio in comperto est omnibus, altera his exemplis patebit. Job. 40-25. agitur de Leviathane, & petit Deus a Jobo, an socii ejus auderent vendere illum, & dividere בֵּין כְּנַעֲנִים. Chaldæus reddit בֵּין תַּגָּרַיָּא, *inter mercatores*: Vulgata *negotiatores*, ut sensus evidenter postulat. sic Zachar. 14-21. *non erit in domo mea* כְּנַעֲנִי. Chald. עָבֵיד תַּגְרָא *faciens mercaturam.* Vulgata *mercator*: sic Aquila interpres Græcus, teste S. Hieronymo in h. l. qui ipsum sequitur. Quin Gen. 38-2. ubi Judas legitur in uxorem duxisse filiam Chananæi, Onkelos reddit filiam תַּגָּרָא & Ben Uziel תַּגַּר *mercatoris*, & constat etiam mercaturam כְּנָעָה *chenaan* dici. Ut autem ad locum propositum

redea-

redeamus, luce meridiana clarius eſt, *Chenaan* ibi non pro Chananæo, ſed pro mercatore adhiberi. Hæc ſunt ſacri textus verba de Syro: סֹחֲרֶיהָ שָׂרִים כִּנְעָנֶיהָ נִכְבַּדֵּי־אָרֶץ. *Negotiatores ejus principes, & ejus Chinanei inclyti terræ.* Sponte patet nullum eſſe ſenſum, ſi Chananæos ejus vertamus; nam non habebat ſecundum adverſarios peculiare genus Chananæorum, ut hi ejus Chananæi ſic illuſtrarentur. Præſupponunt inſuper omnes Tyrios fuiſſe Chananæos, & idcirco non potuerunt diſcrete dici Chananæi illi, qui inter ejus cives habebantur mediocres, & inter cæteras gentes ut principes inclyti fulgebant. Præterea patet manifeſte bis idem dici, pro more ſacræ ſcripturæ, ut ſuperbia Tyriorum magis graphice deſcribatur, & Chananæos dici, qui prius negotiatores nuncupati fuerant, & conſequenter Chananæos etiam mercatores deſignare. Quamobrem utramque illam expreſſionem unica hac reddiderunt Interpretes Græci: Οἱ ἔμποροι αὐτῆς ἔνδοξοι ἄρχοντες τῆς γῆς, *mercatores ejus glorioſi principes terræ.* Vulgata autem bene ſingula verba reddidit: *Cujus negotiatores principes, inſtitores ejus inclyti terræ.* Chaldæus vero quia conſueto ad deſignandos mercatores vocabulo תַּגָּרָהָא uſus fuerat in prima hujus verſiculi parte, in altera adhibet שִׁלְטוֹנָאָה, *dominatores*, ad declarandum quendam in populo Tyrio gradum, non vero Chananæam gentem hoc vocabulo deſignari. Aquila autem vertit *negotiatores* teſte S. Hieronymo in h. l. & quod præcipuum eſt, Grotius ipſe, qui in Matthæum ex hoc loco Tyrios eſſe e Chananææ gentis proſapia ſatagit probare, hæc Jeſaiæ verba eodem modo interpretatur, & Chananæi vocabulo mercatorem ſignificari ingenue teſtatur hac annotatione: *Inſtitores] in Ebræo, mercatores; nam* כנען *pro mercatore ſumitur, quia maximus & antiquiſſimus mercatus penes Phœnices.* Φοίνικες ἔμποροι, *Ælianus* 4. 20. *Strabo* 16. ἐμπορικοὺς ὡς Φοίνικας. *Sophocles*:

Ὠνὴν ἔθου καὶ πρᾶσιν ὡς Φοῖνιξ ἀνήρ.

Omnia hæc hucuſque obſervat magnus ille Heros: & Phœnices revera erant celeberrimi mercatores, iiſque comparantur ii qui mercimoniis emundis & vendundis intentiores fuerunt. Quamobrem nomen ambignum ipſis tributum merito accipitur in eo ſenſu, qui mercimonia importat. Addam viciſſim ipſum *Phœnicum* nomen uſurpari ad mercatores deſignandos, ſic Job. 40-20. pro *negotiatoribus* (ut vidimus antea) LXX habent Φοινίκων ἔθνη, *Phœnicum gentes*; atque Phœnicum nomen, ob eorum mores & inſtituta, cum Chananæorum nomine ſecundum ejus

 ſigni-

significationem adeo convenit, ut LXX Græci Interpretes ea permutaverint Exod. 16-35. Textus enim Ebræus testatur manna durasse usque ad primum limitem terræ כְּנַעַן, *Chanaan.* Interpretes Græci vero dicunt *εἰς μέρος τῆς Φοινίκης, usque ad partes Phœniciæ.* Constat autem totam Chananitidis latitudinem diremisse Phœniciam a loco, in quo defecit manna juxta Jordanis ripas Jos. 5-11. Imo versu 1. hujus Josuæ capitis leguntur reges Amorrhæorum & reges Chananæorum ad mare habitantium habuisse cor metu percussum ob Israelitas; pro Chananæis illis in versione Græca sunt *οἱ βασιλεῖς τῆς Φοινίκης.* Sed nihil inde potest colligi ad communem utrique populo originem assignandam, quoniam consanguinei diversissima nomina plerumque habent, & contra alienigenæ nonnunquam similia, saltem significationis respectu, ut supra ipso Sidonis nomine demonstratum: a piscatione enim urbi datum, & ob diversam rationem Chanaanis filio. Unde ficulneo fundamento argumenta a solo nomine deducta innituntur.

Urget tamen adhuc acrius Vir doctiss. & Stephani Geographi Sanchoniatonisque auctoritatem exhibet. Scribit ille: *Χνᾶ, οὕτως ἡ Φοινίκη καλεῖται. Chna, sic Phœnicia vocatur. Chna,* inquit, *est* כנע, *litera n omissa.* Hic vero apud Eusebium: *Ἀδελφὸς Χνᾶ τοῦ πρώτου μετονομασθέντος Φοίνικος. Chna frater primi, qui dictus est Phœnix.* Sed cum præter solam nominis convenientiam hæc testimonia nihil habeant, præcedens distinctio eorum solutioni sufficiet, dicemusque Chanaanis nomen designare Chanaanem Noachi nepotem & prosapiam ejus, atque sic non convenire Phœnicibus; at insuper significare mercatorem, quo sensu Phœniciæ & Phœnicibus convenientissimum est, cum hæc regio fuerit celeberrimum totius orbis emporium, & incolæ toti vacarent mercaturæ. Addam præterea *n* ex Chanaanis nomine non frustra ablatum, cum illud proprie formet, & tres literæ superstites demissionem & humiliationem notant. unde passim vocabulum illud per *ταπεινόω, humilio,* a LXX redditur, & consequenter aptius est ad designandam Phœniciam juxta littus maris humiliter jacentem, quam Chananitidem plurimis montibus superbam, cum qua nihil habet commune. Verbum illud a propria humiliationis significatione paulolum recedens ad affinem illius incurvationem extenditur, quia humiles incurvantur reverentiæ exhibendæ gratia; incurvata autem, & in sinus innumeros redacta ubique cernitur, ut insultans mare humillime excipiat, & suis commodis semper

favens

favens conservet. Quo referri possunt hæc verba Stephani Geographi de Phœnicia: ἐκαλεῖτο πρότερον Ῥαβώτη, καὶ Κολπῖτις. *Vocabatur prius Rabbothe, & Colpitis.* Observat enim Bochartus noster in Chanaan sive de coloniis Phœnicum, utrumque nomen a *sinu* factum; legit enim pro *Rabbothe* רַבחוֹצֶן, *Rabboten*, vel quod idem est, *Rabbotsen. i. e. magnus sinus. Colpitis* autem sinuosam regionem Græcis significat, quibus κόλπος sinus est. Quin Ebraice etiam *Colpitis* potest exponi eodem fere sensu: ablata enim terminatione Græca remanebit חוֹל־פִּי, *col-pi, os arenæ.* nempe oris instar aperitur modice sinus, & affluentes fluctus sorbere videtur; ex arenis autem ora Phœniciæ multiplicibus sinibus insignis constat. Præterea nihil impedit, quo minus fuerit aliquis Χνᾶ, *Chna* dictus, qui fuerit frater primi illius Edomæi, qui Φοίνιξ dictus est a Græcis Edomæi nomen in suam linguam transferentibus. Verum absurdum est existimare illum fuisse Chanaanem Noachi nepotem, & Chananæorum parentem; quandoquidem hic longe antiquior est ipsis Græcis & Græcorum in Phœniciam & Phœnicum in Græciam navigationibus. Unde optime Stephanus: Χνᾶ ἡ Φοινίκη, καὶ τὸ ἐθνικὸν ταύτης Χνάος, *Phœnicia dicta est Chna, & gentile illius nomen Chnaus. Chnaus* autem valde differt a *Chananæus*, qui Chananitidis est incola. Denique etsi gratis concederetur Esavum dici Φοίνικα quasi Edomæum & rubrum, fratremque nuncupari Chanaanis ob contracta cum illa gente diversa connubia; atque ob viciniam Phœniciam dictam Chananitidem, & Phœnices etiam nomine Chananæorum nuncupatos (sane Philo lib. de vita Mosis scribit eum coloniam misisse εἰς Φοινίκην, καὶ Συρίαν τὴν κοίλην, καὶ Παλαιστίνην ἣ τότε προσηγορεύετο Χαναναίων. *in Phœniciam, Cœlesyriam, Palæstinamque, quæ regio tunc communi nomine Chananæorum nuncupabatur.*) nondum tamen liceret colligere, Phœnices genuinos a Chananæis oriundos esse, quia possent iisdem argumentis evincere Chananæos & totius Syriæ incolas originem a Phœnicibus e contra duxisse; *Syri* enim passim nuncupantur quasi *Tyrii.* Pridem enim docti observarunt a nomine צור, *Tsur*, Tyrios & Syros dici, quia צ sive *ts* alii per simplex *t*, alii per simplex *s*, efferunt, ut Arabes qui صور, *Sur*, scribunt. Unde, *Quæ nunc Tyros, olim Sarra vocabatur*, inquit Servius ad Virgil. Georg. lib. 2. ad hunc versum: *Ut gemma bibat, & Sarrano dormiat auro. i. e.* ipso interprete, *Tyria purpura*; additque nomen illud factum *a pisce quodam*,

qui illic abundat, quem lingua sua Sar appellant. &c. Sic variæ rationes certatim concurrunt ad ipsum Phœniciorum nomen a colore mutuandum, cum purpura ipsis peculiaris non Tyrum solam, sed etiam totam provinciam Φοινικίην sive *purpuream* aut *Sarram* Phœnicio sermone potuerit denominare. Tyrii autem partem Phœnicum præstantissimam constituerunt, unde non est mirum, si vicinæ gentes Græcis & aliis populis minus notæ eorum nomine innotuerint. Hinc Stephanus: Σύροι ὄνομα πολλῶν ἐθνῶν. *Syri, nomen multarum gentium. &c.* Plinius lib. 5. cap. 12. *Syria littus occupat, quondam terrarum maxima: namque Palæstina vocabatur, qua contingit Arabas; & Judæa; & Cale; & qua recedit intus, Damascena; ac magis etiamnum meridiana, Babylonia. &c.* paulo post: *Qui subtilius dividunt, circum Euphratem Syriam, Phœnicem volunt esse oram maritimam Syriæ, cujus pars sit Idumæa & Judæa. &c.* Sic Strabo lib. 16. Imo is adhuc amplificat magis Syriæ limites.

Itaque concludendum est sola nomina non sufficere ad veras gentium origines probandas, cum sæpe idem nomen diversis gentibus ob viciniam soleat tribui, & æquivoce etiam nonnunquam tribuatur, ut *Tsidonis* nomen ob rationem ignotam tributum est filio Chanaanis, & postea ob copiosam piscationem urbi. Quemadmodum etiam probatum est, ab illo Chanaane dictam Chananæorum gentem; Phœnices vero ob mercimonia Chananæos etiam dictos. Claudat hanc controversiam supra citatus ex Stephano locus, quo observavit Phœniciam prius dictam *Raboten & Colpiten*: ille unus enim sufficeret ad probandum, Phœniciam dictam non fuisse a Phœnice Chanaanis fratre. Licet enim talis supponeretur contra genealogiarum in sacro textu contentarum fidem, nondum tamen sequeretur illum cum hac provincia nomen suum communicasse, quoniam hoc nomen illius primum fuisset, quia Chanaan fuit inter primos orbis terrarum partitores. At videmus duo diversa nomina prius habuisse, & revera habere debuit, quandoquidem vicinæ gentes omnes linguas Ebrææ proximas loquebantur. Ab illis enim nomen his linguis affine certe obtinuit, antequam Græcum Phœniciæ nomen multis post seculis obtineret, cum non statim ab initio potuerit suas condere urbes, & classes ad negotiationem adornare, & consequenter recentius illud Phœnicum nomen non potuit originem habere ab antiquissimo Phœnice Chanaanis fratre, Græcis ob illam antiquitatem ignoto; neque etiam potuit nomen Græcum habere ante linguam Græcam natam Cha-

mi filius. Sed nihil impedit, quo minus antiquum Edomæorum nomen Græci in Phœnicum recentius permutarent, quando illius significationem perfecte potuerunt agnoſcere.

Quamobrem noſtra argumenta, oppoſitis ſic dilutis, perſtant, & propoſitum aſſequuntur; propter eaque Phœnicia lingua merito Ebrææ habetur præ cæteris affinis, quia Phœnices ab Eſavo orti fratres illius beneficio fuerunt Iſraelitarum ab Jacobo prognatorum, & eamdem linguam in domo Abrami & Iſaaci initio didicerant.

Attamen certo certius eſt, quod Idumæi crebra ſua conſuetudine cum affinibus Chananæis, Arabibus etiam, & Ægyptiis, ac imprimis Phœnices in colonias longinquas inter Chananæos emiſſi, atque ob commercia ſua cum Græcis & aliis gentibus Europæis Aſiaticiſque permixti linguam Ebræam puram conſervare non potuerunt. Hinc viri ſolertes & ingenioſiſſimi, qui reſidua Punicæ Phœniciæque fragmenta ope linguæ Ebrææ tentarunt exponere, licet effrænem licentiam quaſdam literas addendi, aut amovendi, etiamque permutandi uſurpent, vix ac ne vix quidem commodos ſenſus aſſequuntur, niſi aliunde pateant, & nunquam inter ſe conveniunt, ut Punica Plauti a Seldeno, Petito, & Bocharto etiam diverſimode expoſita oſtendunt. Quin teſtatur unanimus doctorum conſenſus plurima Phœnicum vocabula remanere inexplicabilia, atque nullam cum Ebræis originibus habere convenientiam. Imo ipſe textus ſacer declarat unum & eumdem montem variis deſignaſſe nominibus Ebræos, Phœnices, & Emorrhæos. Quem enim montem Ebræi vocabant חֶרְמוֹן, *Ermonem*, Sidonii dixerunt שִׂרְיֹן, *Sarionem*, & Emorrhæi שְׂנִיר *Scenirem*, Deuter. 3—9. Habemus etiam in Anthologia lib. 3. epigramma in Meleagrum, ubi diverſitas illa manifeſte exponitur his verbis:

—— *Εἰ μὲν Σύρος ἐσσί, Σαλὰμ· εἰ δ' οὖν σύγε Φοίνιξ,*
Ναίδιος· εἰ δ' Ἕλλην, Χαῖρε. ——

Si quidem Syrus es (tu hoſpes qui meum ſepulchrum intras) *Salam.* i. e. *pax tibi ſit*: eo enim nomine fauſta quæque precabantur olim & etiamnum Chaldæi, Arabes, Syri, & Ebræi precantur, cujus moris innumera ſunt in S. Scriptura exempla. *Si vero tu Phœnix*, Ναίδιος. *ſi autem Græcus*, Χαῖρε. *i. e. Gaude.* Notum hanc ſalutationem Græcis fuiſſe ordinariam. Verum Phœnicia ut diverſiſſima, ſic ignotiſſima eſt, & ipſa

terminatio ab Ebraicis nominum & verborum terminationibus diversa, cum tamen nihil sit facilius quam ludere in verbis. Licet observare, quod הֲדַס, *ades*, Chaldæis significat *subsilire* & *saltitare*, a quo secundum normam Ebræorum potuit formari niphal נֶהְדַּס, *needas*; imo נֶהְדּוֹס, *needos*. sunt enim hujus formæ quædam exempla. Significabit autem *gaudio perfusum esse*; quod conveniebat mortui proposito. optabat enim viatoribus prospera, ut prospera vicissim ipsi precarentur, quod longe aberat ab Ebræorum consuetudine. Dixi Pœnos a linguæ Ebrææ puritate longius abfuisse quam Phœnices, quod ipsorum nomen ab hac deductum, & Latinis literis, quæ aspirationi illi exprimendæ initio non erant idoneæ, expressum sat clare demonstrat, ut opus non sit in his diutius immorari. Addam dumtaxat, ad labascentem Phœnicum a Chananæis originem statuminandam frustra jactari suffragium quorumdam Pœnorum dicentium, se Chananæos esse, aut fugisse a conspectu Josuæ, quoniam plurimi revera Chananæi Phœnicibus permixti transfretarunt tunc in Africam. Licet enim Idumæis & Phœnicibus bellum non inferrent Israelitæ, eos tamen exterruerunt: atque timore perculsi cum fugatis Chananæis fugam similiter arripuerunt, & in Africam trajecerunt. Legimus enim Exod. 15-15. perturbatos fuisse principes Edom, & Chananæos pavore obriguisse ob portenta in Israelitarum gratiam divinitus edita.

Non debet huic capiti finis imponi absque aliquo argumento affinitatis linguæ Ebrææ cum Phœnicia, & utilitatis, quæ ex hac orietur, si majorem illius cognitionem haberemus. Jes. 38-14. duo vocabula maximam interpretibus molestiam creant סוּס עָגוּר ad exprimendam clamoris sui mæstitiam. redduntur ab Aquila, ὡς ἵππος ἀγὼρ, nullo sensu: ab Hieronymo *pullus hirundinis*, vix meliori, cum pullo equum intellexerit ad significandas aviculas inepto: a LXX, ὡς χελιδὼν, *ut hirundo*, secunda voce prætermissa: sic & ab Arabe. ab Theodotione vero, ὡς χελιδὼν ἀγὼρ, altera voce inexplicata: explicaverit vero utramque Chaldæus & Symmachus reddentes *hirundinem captam & inclusam*, sed videntur mutasse עָגוּר in סָגוּר, quod non licet. melius Syrus, qui *hirundinem garrientem* reddidit. Sed Jeremias 8-7. utrasque voces simul jungit cum copula וְ *&*, docetque duas aves esse intelligendas, quarum una est ex consensu omnium *hirundo*, altera *grus* a nomine Ebræo evidenter dicta. ע enim & ג sæpe eumdem sonum habere perhibentur, ut in עֲמֹרָה,

quæ

quæ a Græcis & Latinis *Gomorra* redditur. Sic facile ex *gagur*, *grus* facta est, & utraque vocatur a strepenti clamore, quod nos docent Phœnices apud Athenæum lib. 4. cap. 23. scribentem: Ὀνομάζονται γὰρ οἱ αὐλοὶ γίγγροι ὑπὸ τῶν Φοινίκων ἀπὸ τῶν περὶ Ἄδωνιν θρήνων, ob lamentationes flebiles, quibus Phœnices colunt Adonim, tibias vocant *giggros*. Sic *giggur* vel *gaggur* stridorem gruum clamori similem debuit apud Phœnices significare. Unde etiam Græci, qui Phœnicibus suas literas & primam eruditionem debent, ab iis etiam habuerunt γίγγραν *flebilem tibiam* teste Polluce lib. 4. cap. 10. & αὔλημα carmen lugubre his tibiis accommodatum, de quo Hesychius. Imo verbum γιγγραίνω, quod ad Latinos etiam pervenit teste Festo scribente: *Gingrire vocis anserum proprium, unde genus quoddam tibiarum exiguarum gingrina.* Magis tamen ad linguam Latinam & Latinum gruis nomen accedit *gruire*, quo utitur Philomelæ carminis auctor, *Grus gruit. &c.* Gruitus autem ille tristis: unde apud Smyrnæum Nereides morte Achillis afflictæ κλαγγηδὸν κραιπνῇσιν ἐειδόμεναι γεράνοισιν, deplorant eum *cum clangore velocibus gruibus similes.* Unde ob lugubres ejulatus etiam ipsum Adonim dictum legimus apud Athenæum. Sic vox Phœnicia Ebræam feliciter illustrat. A סוס autem est *zinzilare.*

CAPUT XIII.

De insignibus linguæ Ebrææ prærogativis, quæ primatum ipsi antea assertum stabiliunt.



OBicibus ex itinere nostro amotis pergendum ad cætera argumenta, quæ linguam Ebræam fuisse primigeniam evidenter demonstrant. Gravissimum arbitramur illud, quod petitur a plurimis cæterarum linguarum vocabulis, quæ ex Ebræa suam arcessere originem comperiuntur, & utilissimam viris eruditis & solertibus præbent ansam ad eruenda e profundis ignorantiæ tenebris plurima venerandæ antiquitatis monumenta, cum cæteri quantumvis docti & solertes ingeniosique, qui ex aliis linguis eadem subsidia obtinere satagunt, tempus & operam perdant:

opta-

optatum enim ſucceſſum nequeunt aſſequi, & ſpe ſua excidentes temerarii & imprudentis doctorum judicio conatus pœnas ſemper luunt. Sane neminem latet, quam proſperæ atque felices fuerint obſervationes Voſſii, Seldeni, Bocharti, & eorum omnium qui ſolida linguæ Ebrææ cognitione probe inſtructi expoſitionem deorum gentilium atque antiquorum monumentorum aggreſſi ſunt. Ex inſtructiſſimo enim Ebræorum penu inæſtimabiles opes hauſerunt, inprimiſque lucem admirabilem ad inexplicabiles difficultates explicandas & illuſtrandas. Contra qui ex quavis alia lingua aut rerum priſcas origines, aut vocabulorum obſoletorum ſenſum, aut quævis monumenta exponere ſategerunt, licet ingenio, induſtria, & varia eruditione pollerent, omnibus literatis ſemper ludibrio fuerunt. Nemo neſcit quam inutiles & infelices fuerint quos in Belgicæ linguæ gratiam labores Goropius Beccanus ſuſcepit. Conſtat etiam Boxhornium non exiguam famæ ſuæ jacturam feciſſe, cum Scythiciſmum doctæ antiquitatis interpretem conſtituere ſategit, & linguam Scytharum ſupra cæteras conatus eſt efferre, atque ab ipſa acceptas gentium, urbium, ac deaſtrorum ignariſſimis Scythis nunquam cognitorum denominationes retulit. Quamvis certiſſimum ſit linguam illam in cæteras omnes revera penetraſſe, quia Scythæ totum fere terrarum orbem inundarunt, & Americam ipſam tamdiu nobis incognitam & inacceſſam invaſerunt. Verum enimvero ad nova rebus imponenda nomina, atque fundamenta permanſuris conſuetudinibus ſternenda, opus eſt eruditione, ingenio, & majeſtate quadam, quæ Scythiæ ſemper defuerunt, Ebræos vero eorumque linguam inter cæteras gentes ſemper commendarunt, atque ipſis debitum nemine reclamante obtinuerunt nobiliſſimæ antiquitatis meritum. Et jure quidem optimo, quippe quæ ſola primas omnium gentium origines, & ipſa rerum ipſiuſque univerſi primordia fideliter exhibet. De Deo etiam, & religionis officiis ſapienter agit. Abſolutiſſimum legum humanis ſocietatibus convenientiſſimarum corpus continet, & ſingularem in nominibus expreſſionibuſque ſuis prudentiam demonſtrat. Adeo ut qui primam illam non crederent eſſe, primatum tamen mereri tenerentur agnoſcere, neque præſtantiorem ſcaturiginem dari, ex qua cætera, quæ ipſis deſunt, haurirent.

Itaque non dubitabo provocare cujuſvis linguæ fautores ad diſquirendam in ea vel gentis ipſius, quæ ea utitur, nominis rationem, vel primam

mam suam prosapiam, cum Ebræi nullo negotio suæ gentis auctores, nomina eorum, & nominum rationes exponant, siquidem primi orbis Monarchæ *Assyrii* auctorem suum Assurem ab Ebræis discant, & intelligant dictum ab אָשַׁר, *assur*, *i.e. beatus*, & *felix*, quia regionem temperatissimam, atque bonis omnibus affluentem sortitus est. *Aramæi* sive Syri eadem magistra norunt *Aramum* suum patrem & Abrahami pronepotem secundum Græcos interpretes: nam illum πατέρα Σύρων, *patrem Syrorum*, nuncupant Gen. 22—21. & Vulgata *auctorem*, multosque alios in sententiam suam traxerunt. Potuit autem sic dici, quod רָם *ram*, *sublimis* & *excelsus* fuerit, atque in regione amænissima, quæ inter vicinas, ut אַרְמוֹן *armon*, *palatium* excellebat. Sabæi Arabes ab eadem origine habent suum *Sebam* a שָׁבָא *saba*, *in servitutem redegit*, quia Saba eorum pater natus est Abrahamo ex Ketura serva; vel, ut mavult Bochartus, ex eodem verbo significante inter Arabas *eminere*, quod eorum metropolis in loco eminenti sita fuerit, ipsi etiam eximia corporum statura eminuerint, imo etiam dignitate, numero, & potentia excelluerint. Quod revocari non potest in dubium, si in unam gentem quatuor illorum, qui Sabæ nomine referuntur a Mose, posteros convenisse existimemus. Ab eodem Saba non inepte forsan etiam deducetur Abassenorum gens, cum in notis ad Stephanum observaverimus Abassenos suas a sinistra manu ad dextram, ut nos & cæteri occidentales, exarare literas; Arabes vero & fere omnes orientales contra a dextra ad sinistram, & consequenter qui Arabibus fuit *Saba*, Abassenis fuit *Abas*. Denique ne cæteros tœdiose percurram, Iones suum Ionem, sive ut Ebræi scribunt יָוָן, *Javan*, a sacra lingua acceperunt, & ejus significationem possunt etiam habere; nempe יַיִן *vinum* est, & vini generosissimi feracissima est Græcia. Hinc Bacchus Thebis in Græcia conceptus & natus perhibetur: *pergræcari* etiam significat affatim se vino ingurgitare, sive ut aliter ajunt, *Græco more bibere*, & qui proprie Iones dicebantur, præ cæteris Græcis intemperantes fuisse docent γέλως Ἰωνικὸς, *risus Ionicus*, Ionica saltatio, & corollæ atque unguenta inter compotationes quæ Ionum inventa fuerunt. Qui plura cupit, adeat clariss. Bochartum in Phaleg.

Si ipsa regionum nomina accurate examinemus, plurima inveniemus similiter a lingua Ebræa petita. Sane lingua Arabica omnium copiosissima ne sui quidem nominis expositionem dare potest, & ab Ebræa

discere cogitur, eo gentem diversarum nationum permixtione coalescentem diversisque alborum Syrorum & nigrorum Æthiopum coloribus confuse infectam designari; עָרַב, *Arab* enim *permiscere*, & *res diversas confuse conjungere* significat. Unde עֶרֶב, *vespera*, ex residua diei fugientis parte, & parte adventantis noctis composita dicitur.

Ægyptus antiquitatis suæ fastu superba, & sapientes suos tanti faciens, ut Græcos omnes sapientes pro pueris dumtaxat habuerit; unde sic dicatur, tamdiu ignorabit, quamdiu Ebræos consulere dedignabitur. Assequetur forsitan quadam suspicione hoc nomen nigredinem significare, quia se omnes nigredine infectos esse non possunt ignorare. Quamobrem apud Hesychium legimus αἰγυπτιῶσαι vel, ut mavult Salmasius, αἰγυπτῶσαι, μελαῖναι. *i.e. Ægyptium facere, est nigrum reddere.* Et apud Etymologicum magnum: Αἴγυπτος παρὰ τὸ αἴθω, τὸ καίω· οἱ γὰρ ἐν Αἰγύπτῳ ἄνθρωποι κεκαυμένοι εἰσὶν ἐκ τῆς σφοδρᾶς τοῦ ἡλίου φορᾶς. *Ægyptus ab eo quod significat uro: homines enim in Ægypto vehementi solis æstu aduruntur.* hinc Nilus ipse *Ægyptus* vocatur apud Stephanum, imo dicitur μέλας apud Eustathium in vers. 220. Dionysii. Perieg. & alios; Latine autem *Melo* apud Servium in 4. Georg. *i. e. niger*, ut Ebraice שִׁחוֹר *Sior*, secundum multos. Eo etiam trahunt Nili etymon, & volunt dici, quod νέαν ἰλὺν, *limum recentem & nigrum* semper trahat, & ut cum Virgilio loquar —— *viridem Ægyptum nigra fœcundet arena.* Verum totidem nugæ, nisi accedat Ebræorum auctoritas, & fundamentum substernat eorum lingua. Quis enim credat Ægyptios proprium nomen suum desumpsisse a Græcis, quos contemnebant, & pueriliter desipere arbitrabantur? Ebræi igitur docebunt Ægyptum esse dumtaxat Græcam primigenii nominis expositionem, & quemadmodum vidimus Idumæos secundum hujus denominationis sensum dictos a Græcis Phœnices; sic qui primo a parente suo Chamo dicti sunt *Chamii*, ut regio eorum ab eodem dicta est *Chemia*, a Græcis dicti sunt *Ægyptii*, & regio fluviusque *Ægyptus*, quia חָם, *Chamus*, nomen suum mutuatur a חוּם, *nigrum esse & adustum.* Videatur Gen. 30-32, 33, 35, & 40. Nempe Ægyptus Ps. 78-51. 105-22. & 27. dicitur terra חָם, *Chami*, & aspiratione sublata, atque ח in א literam ejusdem organi permutato אָמוֹן, *Amon* Ezech. 30-15. Unde LXX vertunt *Diospolin*, & Jupiter Ἄμμων sive *Hammonius*, id est, ipse Chamus in deorum numerum ab idololatris posteris relatus, de quo videatur Plutarchus de Iside & Osiride qui

insuper

insuper de Ægypto & ejus nomine scribit: *Τὴν Αἴγυπτον ἐν τοῖς μάλιστα μελάγγειον οὖσαν, ὥσπερ τὸ μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ, Χημία καλοῦσι. Ægyptum, quæ vel maxime terram nigram habet, tanquam nigram oculi partem, vocant Chemiam. &c.* Verissime: nam in lexico Coptico Kircheri *Ægyptus* dicitur Χημί. In quo linguæ sanctæ provida & divinitus indita vis cernitur, cum nomen Chami nigredinem criminis postea patrandi in Noachum patrem notam perpetuam comprehenderit. Non enim existimandum a climate accidere, cum plurimi homines albi, in America præcipue, ad æquatorem propius accedant. Merito etiam acrius in hos patriæ majestatis contemptores sol sævit, quia primi videntur solem ipsum læsisse idololatricis cultibus.

His regionum nominibus linguæ Ebrææ ope expositis nomen Idumæorum per Phœnicum vocabulum convenienter expositum & antea declaratum addi debet, & a pluribus similibus referendis abstinebimus, ne a proposito longius recedamus, idque abunde præstitit noster Bochartus.

Vix ulla est lingua adeo rudis & inepta, quæ vicinis suis quædam vocabula non communicaverit. At sunt nomina nonnulla adeo necessaria, ut iis nullæ linguæ carere possint, & e suo fundo orta a primo originis suæ initio ea habuisse debuerint. Talia sunt nomina deorum a gentibus illis cultorum, proximæ etiam consanguinitatis & affinitatis, atque rerum omnium quarum usus est frequens & communis. Non enim mirum est, si nova inventa, & res aliunde recenter delatæ nomina extranea recentiaque secum afferant. Nomina autem illa rerum absolute necessariarum, quæ continuo usu renovantur; difficulter etiam permutantur cum aliis. Jamvero quis potest in dubium revocare pleraque omnium fere gentium numina a lingua Ebræa habere sua nomina, & ab hominibus Ebræis esse mutuata, vel saltem ad eorum speciem conficta & transformata fuisse? Sane id innumeris exemplis & rationibus adeo luculenter probaverunt doctissimus Vossius in suis de Idololatria libris, celeberr. Seldenus in eximio de Diis Syris tractatu, nobiliss. Bochartus passim in Geog. sacr. & clariss. Huetius in præstantissima Demonstratione Euangelica, ut actum agere videremur, si huic argumento diutius inhæreremus. Sufficiat igitur observasse secundum Herodotum lib. 2. §. 5. Græcos sua numina mutuasse ab Ægyptiis: nihil autem manifestius esse, quam ab Ebræis & historiæ sacræ Ebraice de-

 scri-

ſcriptæ particulis quibuſdam in fabulas impie deformatis ſuam religionem compoſuiſſe Ægyptios. Quin id videtur evidenter probari de omnibus in genere gentibus hoc diſerto textu 1. Mach. 3—48. *Expanderunt libros legis, de quibus ſcrutabantur gentes ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum. &c.* Sic Vulgata convenienter Græco textui editionum præcipuarum, qui ſic ſe habet: Καὶ ἐξεπέτασαν τὸ βιβλίον τοῦ νόμου, περὶ ὧν ἐξηρεύνων τὰ ἔθνη τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν. *Et expanderunt librum legis, de quibus ſcrutabantur gentes ſimilitudines idolorum ſuorum.* Sic biblia Londinenſia, manuſcriptum vetus Alexandrinum, & plurima alia exemplaria. Quamobrem vix ullus contendendi locus iis relinquitur; iis inprimis qui, vulgatam Latinam cum concilio Tridentino habent authenticam. Ut ingenue tamen meam declarem ſententiam, fateor locum hunc mihi videri corruptum, neque convenire ſcopo Judæorum jejunio & orationi vacantium, ad divinam opem obtinendam. Quid enim ad hunc ſcopum pertinuit ineptus gentium zelus ſua idola e libris ſacris effingere ſatagens? Quare legendum puto cum editionibus Baſileenſibus, Aldinis, & Complutenſibus: Καὶ ἐξεπέτασαν τὸ βιβλίον τοῦ νόμου περὶ ὧν ἐξηρεύνων τὰ ἔθνη τοῦ ἐπιγράφειν ἐπ᾽ αὐτῶν τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν. *Et expanderunt librum legis, ob eos, quos perquiſiverant gentes, ut iis inſcriberent imagines idolorum ſuorum.* Scilicet ut his imaginibus polluerent eos, Judæiſque redderent prophanos. Quamobrem Judæi ſedulo librum, quo uti volebant, evolvebant, ne talis imago alicubi lateret, & cultum ſacrum contaminaret: libri enim ſic poluti ab uſu debuerunt penitus removeri. Huic expoſitioni ſuffragatur verſio Syriaca, quæ ſic reddit illum verſum: *Expanderunt librum legis coram ſancto, propter gentes, quæ in ſuam ſuperſtitionem eos allicere ſatagebant.* ſcilicet occultis illis artibus reos idololatriæ reddere ſperantes. Itaque non eſt urgendum hoc teſtimonium, quo in re manifeſta minime opus eſt.

Ad conſanguinitatis nomina me confero. Primum eſt πατὴρ, *pater*, & vulgarium linguarum vocabula ab iis formata, ab Ebræo אָב, *ab*, quo Chaldæi, Arabeſque, & Æthiopes, alii etiam orientales utuntur, ducunt originem, ut ipſa vox ſponte clamat. Nam monoſyllaba eſt, ſonoque omnibus faciliori conſtat, ſi quidem *a* ſponte erumpit ex ore, ſimul atque aperitur; & *b* proxime ſequens, quantum fieri poteſt, ejus imitatur facilitatem, & nulla eſt ſyllaba quæ manifeſtius ab ipſa natura doceatur. Chaldæi duplicarunt ſcribentes, אַבָּא, *abba*, ſed ſimplicius eſt

no-

nomen monosyllabicum & consequenter prius, & principium disyllabici, a quo tamen Græcum *πάππα*, & Latinum *papa* pro patre oriuntur: nempe infantes tremulis linguis loquentes easdem syllabas non raro repetunt, quo eas deinceps firmius pronuncient, & primam præcipue amant iterare, quia facilior, & ut prima productio etiam gratior. Affirmo autem ex אָב, *ab*, fieri *πατὴρ*, *pater*, quia *b* & *p* literæ sunt ejusdem organi, & propterea permutabiles. Præterea occidentales contrario orientalibus modo legentes *pa* pro *ab* legerunt: Græca autem terminatio *τὴρ* addita, sic formatur *πατὴρ*. Licet autem duæ illæ syllabæ *ba* & *pa* videantur ita similes, ut vix discernantur, (unde qui de rebus Turcicis scribunt, modo *Bachas*, modo *Pachas* vocant eorum præfectos, & eumdem fluvium Strabo *Bisurgim*, Mela *Visurgim*, hodierni *Weser* vocent) nihilominus æquus rerum æstimator facile judicabit antecedere *ab*, ob nativum literarum ordinem & ipsius naturæ dispositionem, quæ simplicem oris apertionem requirit ut rite pronuncietur, *ba* vero sequi & paulo firmiorem oris contractionem cum ejus apertione requirere; *pa* autem utraque illa voce distinctiorem sonum edere, eique consequenter organa usu & exercitio magis erudita exigere; unde multi sunt etiam grandiores *p* distincte pronunciare non valentes. Contra *b* adeo facile exprimitur, ut blæsi & balbi, & qui aliquo linguæ vitio laborant, illud pro aliis literis soleant pronunciare. Unde *βαβάζειν*, *βάβαξ*, *βάττος*. *&c.* Sic patet primam primi consanguinitatis gradus vocem esse Ebræam, & ab ea cæteras similes, quæ in aliis linguis obtinent, suam duxisse originem. Quod insuper observatione est dignissimum, neque Græci neque Latini probabilis sui patris origines dare possunt. Quis enim cum fastidio non rejiciat Græcas ab Etymologico magno undique sedulo collectas: Πατὴρ, inquit, *παρὰ τὸ πατεῖν ἐν τῇ συνεσίᾳ, ἢ παρὰ τὸ σπείρειν*, quasi *σπατὴρ*, *ἢ παρὰ τὸν ἦχον τὸν γινόμενον ἐν τῷ καταφιλεῖν τὰ παιδία*. Pudet eas vertere, adeo ineptæ sunt. Latinæ adhuc sunt absurdiores. Varro Romanorum doctissimus autumat patrem dici, *quod patefaciat omnia, & ipsum semen. &c.* contra Isidorus, eo *quod patratione peracta filium procreet*. Abuterer patientia lectorum, si plures referrem. Audiantur igitur Ebræi, qui patrem vocant אָב, *ab*, & deducunt ab אָבָה, *aba*, *cupivit* & *amavit*. nempe cupiditas & desiderium liberorum matrimonii est causa. Vult pater, qui scit se non posse semper vivere, vitam in se defecturam perennare in liberis. Quare liberorum

desiderio vehementi tenetur, & cum aliquem obtinuit, illum impense amat, & propria vita cariorem habet: ut innumeris exemplis probare possemus, sed sufficienter his versibus docet Sophocles in Electra:

Δεινὸν τὸ τίκτειν ἐστὶν, οὐδὲ γὰρ κακῶς
Πάσχοντι μῖσος ὧν τέκῃ προσγίγνεται.

Magna vis est procreationis: nam etiamsi mala
Patiatur aliquis, prolem a se editam odisse non potest.

Græci & Latini non sunt feliciores in originibus *matri*, *fratri*, & *sorori* assignandis. Quam ineptum enim est dicere *matrem* diei a *materia* quam præstat fœtui, cum materia minus simplex a matre potius dicenda esset; aut quasi *manus i.e. bonus?* Est itaque ab Ebræo אֵם, *em*, contrario modo lectum ab occidentalibus, ut supra *ba* pro *ab*. Sic factum μη, & cum terminatione Græca τὴρ, μήτηρ, Unde Dores fecerunt μάτηρ & ab iis *mater* Latinorum. Vocis autem origo, nisi ipsa origo sit erit verbum quod apud Arabes mansit ذمر *petivit* & *contendit aliquo*; quia *mater* est finis & scopus matrimonii ad sponsam constituendam matrem tendentis, ut liberos pariat, atque continuata prole homines hominibus indesinenter succedant ad ultimam mundi periodum. Ad partus quibus matres constituuntur, cuncta animalia similiter tendunt: tendit etiam divinum propositum hoc præcepto, *Crescite & multiplicamini*, explicatum, universaque rerum natura; quæ licet diversimode crescat & multiplicetur, attamen matrum nomine solet insignire res, quæ aliarum principia sunt atque primum inter eas locum occupant. Sic matres sunt arbores, & liberorum nomen rami earum in lingua sacra obtinent: via ipsa mater nuncupatur, cum in duas pluresve alias vias postea dividitur: urbs etiam primaria, quæ in alias inferiores colonias emisit, earum respectu *mater* est sive μητρόπολις. Atque principia quævis matres dicuntur.

Fratrum paulo diversa ratio, nam Ebraice אָח, *ach*, *frater* dicitur, & אָחוֹת, *achot*, *soror*. a verbo אָחָה, *achah*, *conjunxit* & *simul consuit*, ad significandam fratrum intimam conjunctionem. Unde אָחוּ, *achu*, *pratum* significat, quia herbæ in eo non tantum adhærent, sed insuper ex eodem fundo procedunt & aluntur, atque debitum fratrum officium mutua

mutua sua sustentatione, & singulis, quę aliter & seorsim stare nequirent, absolute necessaria videntur designare. Græcis in usu fuit φρητὴρ, unde Hesychius: Φρητὴρ, ἀδελφός. Atticis autem φράτηρ, ut observavit Eustathius, unde Latinorum *frater*. Illo autem nomine etiam designata fuit intima conjunctio, cum φρατρία ipsam conjunctionem & arctissimam societatem significet: arcta enim erat contribulum societas. Sed cum in tres φρατρίας dividerentur, ut ex Polluce lib. 8. constat, ipsæ arctiorem societatem adhuc designarunt inter φράτερας, vel φρατέρας contractam. Eadem fratrum ratio inter Romanos: sodales enim & collegas nuncuparunt *fratres*. unde fratres Arvales. Sic nos confratres dicimus; & Galli sodalitia religiosis quibusdam votis contracta *confrarias* vocant. Verum origo non est manifesta. Quidam φρατέρας dictos volunt ἀπὸ τῶν φρεάτων, a *puteis* qui inter vicinos communes erant. Sed convenientius est, ut putei communes fuerint inter consanguineos, qui paterna bona dividentes indivisum puteum inter se communem servabant, qui inde potius deberet denominari, quam denominationem imponere. Φράτηρ a πατὴρ, tenui mutata in aspiratam, diceretur; & convenienter, cum fratrum origo sint patres. Latinis doctioribus *frater* videtur dici, quasi *fere alter*, & Cicero fratrem propterea dixit *alterum se*. Sed utut aptissimæ sint illæ origines, videntur tamen ad rem magis accommodatæ quam genuinæ. Quamobrem Isidorus mavult fratres dictos fuisse, *eo quod sint ex eodem fructu, id est, ex eodem semine nati* lib. 9. Orig. cap. 6. Quod si ita est, lingua Ebræa Græcæ & Latinæ voci primam suppeditabit originem, & a פָּרָה, *para, fructificavit*, formabitur. Sane sacra historia testatur Josephum patriarcham primum familiæ suæ *fratrem* vocavisse *Ephraimum*, addita hac ratione, quia הִפְרַנִי, *hiphrani, fructificare me fecit Deus*, Gen. 41—52. & liberi etiam absolute פְּרִי *pri*, fructus dicuntur Psal. 21—11. & passim *fructus ventris*. Sic *fra* designabit fratrem, & terminatio *ter* Græco aut Latino more ipsum induet. Denique *soror* inepte dicitur, quasi *sola* in sorte agnationis, vel *seorsim* educanda; & si qua vera origo, ex Ebræo deducetur, diceturque a שָׁרַר, *inspexit & solicite observavit*, quia nimia non potest in asservandis virginibus adhiberi sedulitas. unde Phocylides inter alia ad vitam probe instituendam præcepta dat illud:

Παρθενικὴν δὲ φύλασσε πολυκλείστοις θαλάμοισι,
Μηδέ μιν ἄχρι γάμων πρὸ δόμων ὀφθῆναι ἐάσῃς.

Vir-

Virginem custodi bene clausis thalamis,
Nec eam usque ad nuptias ante domum conspici siveris.

Quod præceptum, ut plura alia ejusdem auctoris, cum Judæorum consuetudinibus quadrat. Hinc inclusæ virgines 2. Mac. 3—19. & nomen עַלְמָה, *alma, virgo. i. e. abscondita*, & sub maternis oculis *latens*, qui vix adhuc sufficiunt, quamvis centum luminibus cinctum caput ipsa haberet.

Dignitatum nomina proxime succedunt consanguinitatis titulis; nam naturæ ordo statim constituit primos honorum gradus. Attamen supremus auctoritatis & gloriæ apex in regia majestate superbe fulgens in primo rerum exordio non videtur constitutus, & probabile est modesto *principum* titulo dumtaxat qui rebus publicis præerant, contentos fuisse, atque dictos שָׂרִים, *sarim. i.e. principes.* Sane principes familiarum, tribuum etiam, atque urbium Israeliticarum sic nuncupabantur, & contumax ille Israelita, qui reprehensionem Mosis non tulit Exod. 2—14. superbe ipsi oggerit: Quis te שַׂר, *sar*, *principem* in nos constituit? & Zebul urbs שַׂר, *sar*, *princeps* nuncupatur Jud. 9-30. & שָׂרִים, *sarim*, *principes* Philisthæorum similiter dicebantur, cum quinque eorum principatus Jos. 13—3. dicantur ab iis סְרָנִים, *seranim*, ש levissima mutatione in ס degenerante. سر, *sar*, Persice etiam *princeps*, unde σουρήνας apud eos principatus nomen regiam dignitatem proxime sequens, sive ut loqui amat Am. Marcellinus lib. 24. post regem *promeritæ dignitatis*, cujus mentio apud Plutarchum in Crasso, Tacitum annal. lib. 6. cap. 42. & Appianum in Parth. horum autem principum fuisse regem diademate suo insignire. Inde etiam Gallorum *Sire* regum nunc proprius titulus, sed qui olim cum principibus viris fuit communis, imo cum ipsis ecclesiæ doctoribus, ut observavit Steph. Pasquier sedulus antiquitatum Galliæ indagator Recher. l. 7. c. 5. Inde etiam Anglorum *Sir.* Non equidem me latet has vulgares voces solere a Græco κύριος, *dominus*, derivari, qui derivatur a κῦρος, *i.e. auctoritas.* Verum forsitan utrumque etiam potest a שַׂר derivari. Notum enim literam ש, solere potestate comprehendere *s* cum *c* simul, unde modo durius, modo lenius pronunciatur. Quamobrem inventa sunt puncta διακριτικὰ, quæ ejus pronunciationem discriminant secundum dextrum aut sinistrum latus, quod ipsis assignatur. sic שׂ sonat leniter ut *s* simplex; & שׁ ut *sc.* At validis argumentis probare possu-

possumus puncta illa esse recentia. Idcirco pronum fuit extraneis modo præferre sonum simplicis *s*, modo ad durioris *c* propius deflectere, cum Ephraimitæ Judæi etiam non potuerint pronunciare שִׁבֹּלֶת, *scibolet*, sed cum simplici *s* סִבֹּלֶת, *sibolet*: unde tot millia eorum a Galaaditis occisa Jud. 12-6. ס autem & שׂ eædem prorsus literæ, unde שַׂר aut סַר princeps indifferenter scribitur. Quin observant *s* & *c* sive *k* in translationibus vocabulorum passim permutari, ut fit in verbis compositis ex propositione σὺν, quæ per *con* redduntur, ut συνβιόω, συμφέρω, *&c.* *convivo*, *confero*. *&c.* Duplex autem hæc literæ dubii sonus pronunciatio posset forsitan concedere, ut a *sar* etiam formetur *Cæsar*: hactenus enim paucis arriserunt ordinariæ origines, aut a *cæsarie* cum qua primus Cæsarum natus, aut a *cæso* matris utero, aut a *cæsiis* oculis ejus. Tales enim denominationes videntur ignobiliores, quam ut meruerint supremam dignitatem in posterum significare. Quare nihil impedit, quo minus *Csar* initio pronunciatum fuerit, & postea *Cæsar*. Quemadmodum tandem ex *Cæsar* contra factus est ordinarius Moscoviæ ducum titulus *Csar*. Unde vicini Tartari eum emollientes principem suum *Saro* nuncupant apud Thuanum lib. 67. Liceret tamen retinendo eamdem originem alia ratione exponere hoc nomen Cæsar, ut esset כְּשַׂר, *cæsar. i. e. quasi princeps*, quia Cæsaris nomen usurpatum ante tyrannidis usurpationem, & *similem* dumtaxat principibus supremis majestatem, quantum in libera republica licebat, tribuens videbatur eos dumtaxat æquare illis principibus, ut respublica utrisque superior supereminere.

Quin ipsum *principis* nomen ab Ebræis mutuatum videri potest, cum in affini Chaldæorum lingua conservetur. *Princeps* enim, & פַּרְנָס, *parnas*, iisdem fere literis constant; pro principe autem usurpatur in Paraphrasi Chaldaica Prov. 14—28. & Jes. 3—4. Oritur autem a פַּרְנֵס, *parnes. i. e. pascere*, unde Græcum πύρνος, τροφὴ, *cibus*. Quamobrem ad hanc origine ingeniose alludit Homerus vocando principem ποιμένα λαῶν, *pastorem populorum*: neque enim vox illa Græcis ignota, cum ab ea denominetur *Parnassus* ad pascendos greges amæno & suavi suo gramine optime constitutus, & pastores cum gregibus alliciens.

פַּרְנָס, *parnas*, sive princeps etiam invenitur Zach. 10—4. & explicat Ebraicam vocem נוֹגֵשׂ, quæ significat proprie eum, qui ex subdito populo tributa accipit, quæque Exod. 5—6. redditur per שִׁלְטָן, *sultanum*. ab ea autem supremus Abassænorum imperator nuncupatur *Negus*

Ei inſuper vocabulo alteram adhuc originem Ebræam inveniremus, converſo literarum ordine, qui noſtro ſimilis, ut jam obſervatum, Orientalium mori contrarius eſt; ſi quidem ita inveniretur שָׂגָן vel סְגַן, *ſagan*, *princeps*, *præfectusque*, & redditur per שִׁלְטָן, *ſultanum* Jeſ. 41--25. & per טוּרְנַיָּא, *tyrannos*, ſive reges. Nam initio odioſum non fuit tyranni elogium, & ingratum illud demum effecerunt ii, qui ſua auctoritate abuſi oppreſſerunt populos, coegeruntque in libertatem duro excuſſo illorum jugo ſe aſſerere. *Saganis* autem veſtigium ſupereſt in *ζωγάνη veſte regia* qua rex luſorius conſtituebatur Babylone in Feſto Sacæorum, qui regiis honoribus eo die potiebatur, & indutus illa *ſogana* thronum aſcendebat, regiaſque pellices in poteſtate habebat; ſed poſtea flagellatus ſuſpendebatur. Vid. Caſaub. in Athen. lib. 14. cap. 10.

Tyranni nomen ſic in oriente etiam occurrit, & ibidem poterit originem etiam convenientiorem habere quam inter Græcos aut Latinos; Græci enim, ut patet ex obſervatione Scholiaſtæ in Sophoclem præfixa ante Oedipum tyrannum, aut a *Tyrrhenis* latrocinantibus aut a *Tyriis* violentas incurſiones facientibus dictum volunt *tyrannum*, aut denique quaſi τεύων λαοὺς, καὶ ἀνίας ἐπιφέρων, *cruciet populos & moleſtias ipſis inferat*. Non felicior Iſidori obſervatio hæc lib. 9. cap. 3. *Fortes enim reges tyranni vocabantur: nam tiro fortis. &c.* Fortitudo enim immerito tribuitur tironi, id eſt, tenero, rudi, & inexperto militi, qui incipit ſe *terere* levioribus militiæ exercitiis. A turribus etiam derivare non melius, licet turritas arces aliquando occupent, ut vel *y* Græcum, & diverſæ literæ ſatis arguunt. Veriſimilius eſt igitur *tyranni* vocem Homero & Heſiodo inuſitatam, ut obſervavit ſupra laudatus Scholiaſtes, ſed poſtea a poetis eam regibus, qui bellum Trojanum præceſſerant, aſſignatam aliunde veniſſe in Græciam, atque tyrannum dictum טוּרָן, *turan*, a טְרָא *minari*. Unde R. Salomo Gallus exponit Gallice מינצייר, *menacer*, quia ſævitia & minacibus mandatis ſolent continuos terrores ſuis ſubditis incutere Tyranni: vel a טור, *mons*, quia ſuperbia elati cæteros, ut infimos, contemnunt; vel a vocabulo inter Syros conſervato ܛܪܘܢܐ *tarono*, *ſilex* & *rupes*, quod Marpeſia rupe duriores ſint; vel ab Ebræo טִירָה, *i.e. palatium* quod in magnificis palatiis habitent, ut ſplendore & magnificentia admirationem ſubditorum excitent, cum amorem non valeant ſibi conciliare. A ſplendidis illis palatiis

latiis itaque initio potuerunt absque ulla infamiæ nota dici, & postquam ad sævitiam & crudelitatem inclinare nisi sunt, cæterarum originum probra meruerunt. Quidquid sit, in Chaldaicis paraphrasibus, & Syriacis versionibus frequenter occurrunt טוּרָנִין, *turanim. i. e. tyranni*, & inprimis Satrapæ Philisthæorum sic dici solent Jos. 13—3. Jud. 3-3. 16-5. & passim; etiam frequens טִירוּנְיָא, *tirunia*, pro *tyrannide* & *sævitia*.

Rex denique proprium summæ majestatis elogium Isidoro lib. 9. c. 3. dictus a regendo videtur, secundum hoc vetus proverbium: *Rex eris, si recte facias; si non facias, non eris.* Sic per *regere* intelligit *recte agere*; quod moralitatem sapit. Aliis ab ἄρχω κατὰ μετάθεσιν. Verum *rex* simplicior vox potuit hæc verba formare, quia significant *regio more*, & cum auctoritate agere. Verum enimvero ipsissimam hanc vocem habemus Genes. 41-43. in præcone titulum a Pharaone Josepho concessum proclamante, nempe אַבְרֵךְ, *abrex. i.e. pater regis.* sic exponit hoc vocabulum Onkelos in sua paraph. Chald. : דֵּין אַבָּא לְמַלְכָּא, *Hic est pater regis.* iisdem verbis illud etiam Jonathan ben Uziel exposuit, & Targum Hierosolymitanum: יְחִי אָבוּי דְּמַלְכָּא, *Vivat pater regis.* sic etiam Interpres Persicus: Clamabant ante eum, *Pater regis.* Sacer ipse textus evidenter suffragatur Gen. 45-8. *Deus*, inquit Joseph suis fratribus, *posuit me* לְאָב, *in patrem Pharaoni,* לְפַרְעֹה, *& in dominum domus ejus universæ. &c.* Sic divinitus se constitutum declarat *regis patrem*, sive intimum & singularem consiliorum regiorum directorem, ut Aman dicitur in versione vulgata additionum ad Estheris historiam 13-6. secundus a rege, & patris loco ab ipso cultus. Quin רֵךְ, *rex*, Ægyptiis ipsis fuisse in usu licet colligere, ex eo quod Sol, cujus in cætera sydera imperium cuivis patet, communi nomine dictus est a vicinis Ægypti gentibus מלך & מַלְכָּם, *rex.* Cunctæ gentes etiam elogio βασιλέως regis frequenter eum ornant, ut Julianus Apostata orat. 4. de sole. Quamobrem cum Ægyptiis dicatur ῥῆς in Μοίρης regis Thebaidis nomine quod Eratosthenes interpretatur *Heliodorum*, ex *μοὶ donum* & *ῥῆς sol*, convenit ut *ῥῆς regem*, & consequenter solem significet. Neque sine aliqua rationis specie injicitur solis mentio, siquidem nullus dubito, quin ex אַבְרֵךְ, *abrec*, nomen mysticum solis ἀϐραξὰς effictum fuerit, sive a Valentinianis, Basilidianis, Marcosianisque, sive a veteribus idololatris. S. Hieronymus autem in Amos c. 4. ad Solem sive Mithram refert; & literis revera continet 365.

ſecundum dierum numerum quo ſol annuum peragit curſum, ſcilicet ϛ. 200. ϱ. 100. ξ. 60. β.2. & tria α α α. 3. ſed ut ad רַךְ, *rex*, redeam, R. Salomo Jarchi in Gen. 41-43. אברך' כתרגומו דין אבא למלך' רך בלשון ארמית מלך בהשותפין לא ריכא ולא בר ריכא וגו' *Abrec ſecundum interpretem Chaldæum, Hic eſt pater regis: nam* רַךְ *rex eſt in lingua Syriaca, ut hoc exemplo dupliciter probatur: Non eſt* (nempe Herodes) *rex neque filius regis. &c.* & gloſſa hujus Thalmudici loci: מאי רכא מלכותא, quid eſt? ריכא, *regnum.* quod probat his verbis 2. Sam. 3-39. quibus utitur David poſt mortem Abneri אָנֹכִי הַיּוֹם רַךְ וּמָשׁוּחַ מֶלֶךְ, *ego hodie rex, & unctus rex.*, & in confirmationem *abrec* noſtrum etiam producitur. Hac autem expoſitione admiſſa nullum ſupererit dubium. Originem quod ſpectat, ſatis eſt conveniens: Ebraice enim רַךְ, *rac*, *tenuis* & *delicatus* eſt, quod reges mollem & voluptuoſam ſolerent ducere vitam inter Orientales, & ducibus, conſiliariis, & cæteris miniſtris curas negotiorum committerent. Nomen illud *rex* Galli præ cæteris ſedulius conſervaſſe videntur. Unde Suidas: Ῥὴξ ῥηγὸς ὁ τῶν Φράγγων ἀρχηγός. *Rex regis, Francorum monarcha.* Revera in veteribus Gallorum principum nominibus certa veſtigia extant. *Ambiorix* enim, *Dumnorix*, *Orgetorix*, *Vercigentorix*, & ſi quæ alia in Cæſaris commentariis in *rix* deſinentia a regiis familiis ortos hos principes videntur declarare. Sic quæ in *rich* deſinunt, ut *Childerich*, *Chilperich*, & ſimilia, quæ ad terminationem Ebræam propius accedunt.

Obiter convenit obſervare, quod quemadmodum vulgaribus Ducibus, aut Marchionibus, & Comitibus minime liceret ſibi arrogare dignitates & prærogativas Comitum Palatinatus Rheni, aut Marchionum Brandeburgicorum, aut Ducum Moſcoviæ, cum hi ſuprema auctoritate polleant, illi ſubditi ſint & plerumque a præfectis provinciarum pendeant; ſic de hodierna regum majeſtate, ex prima & antiqua regii nominis dignitate judicandum non eſſe, cum ejus faſtigium ad ſummum imperatorii decoris apicem evexerint. Quare Suidæ teſtimonium Francis non favet, cum tunc regis titulus inferior eſſet titulo βασιλέως, & ejus ſæculo per contemptum dari a Græcis obſervaverit Meurſius in Gloſſario Græco-Barbaro. nunc autem non cederet, cum reges Galliæ ſupergreſſi auguſtiora nomina videantur.

Facillimum eſſet ingentem vocabulorum Ebræorum in omnibus aliis lin-

linguis superstitum acervum accumulare, & demonstrare ad linguam Ebræam ea revera pertinere, ex eorum cum illa lingua convenientia, ex originibus etiam in ea conservatis, sed id nos a proposito longius abstraheret. Sufficiat igitur monuisse J. G. Vossium in suis de Idolol. libris, Bochartum in sua Geographia & Historia de animalibus, Grotium, Seldenumque passim in suis operibus id sufficienter præstitisse: solent enim præcipuas origines plurimarum vocum antiquarum a Græcis & Latinis usurpatarum ex lingua Ebræa arcessere. Eumdem Vossium in Etymologico, Martinium in Lexico, & alios multa vocabula Latina ad eamdem scaturiginem referre videmus: Postellum etiam referre plurimas voces Latinis, Gallis, Græcis, Indisque cum Ebræis communes ab eadem lingua ortas.

Imo in ipsa America voces Ebraicas non raro occurrere historiæ testantur; quis enim potest inficiari, fluvium *Ganabara* a *de Lery* in suis Itineribus memoratum, sic dici ob amænissimas ripas, nempe גן *gan, hortus*, & עָבַר, *transit*, quia florentes hortos ab utroque latere habebat, secundum formam nominis בֵּית־עברה, *bethabara. i. e. domus transitus.* Sic dicebatur locus in quo baptisabat Joannes ad Jordanem Joan. 1-28. quia ibi Jordanem Israelitæ, ex Ægypto reduces, transierant, & conveniebat baptismo & œconomiæ ejus, quæ tendebant a lege ad vitam atque a servitute ad libertatem. Quin ipsi Caribæ, ferocissimi, qui literis & scriptura carent, voces Ebræas habere comperiuntur: discimus enim in dictionario ex quibusdam eorum vocibus conflato, eos vocare patres suos *baba* sive אב אב, & Deum *Cemim* sive *Chemim*. i. e. שָׁמַיִם, *cælos*, quo ipso nomine ab ipsis Ebræis nuncupatur Dan. 4-23. & 1. Marc. 3-18. Mitto *mammona* pro divitiis, & alia vocabula. Imo ipsum eorum nomen, quod ob mores eorum ferinos & sævitiam a חָרַב, *charab, vastare*, licet deducere. Qui plura cupiet, poterit consulere dictionarium & catechismum Raimundi Britonis Dominicani.

Etsi brevitati studentes per omnes percurrere linguas nolimus & specimina dumtaxat demus, etsi diversas observationes ex ipsa Ebræa supprimere cogamur; attamen prævaricaremur, & jus ejus præcipuum proderemus, si silentio prætermitteremus vocabula ante confusionem Babylonicam usurpata, & a Mose fideliter relata, quia merum Ebraismum sapiunt, & tantam cum rebus significatis convenientiam etiam habent, ut ipsissimæ linguæ primis parentibus a Deo inditæ excellen-

tiam native repræſentent. In ſacra autem illa hiſtoria omnigena nomina habentur, propria, appellativa; primitiva, derivata; ſubſtantiva, adjectiva. Illaque omnia ita inter ſe connectuntur, ut totum linguæ genium exponant oculis, vimque ipſam menti perſpectam penitus reddant, quia mirabilem inter ſe habent affinitatem, & cum primis ſuis originibus apprime cohæreant.

אָדָם, *Adam*, primus homo dicitur ab אֲדָמָה, *adama, terra rubra*, ex qua formatus Gen. 2-7. Unde Deus ad ipſum: Redibis אֶל הָאֲדָמָה *ad terram*, quia ex ea ſumptus & Gen. 3-19. Verba autem & nomina ſubſtantiva & adjectiva ex hoc nomine orta, & primum ſenſum conſervantia paſſim in libris Prophetarum occurrunt. Quin hoc nomen, utpote a Deo omnium eventuum præſcio profectum, ominoſum fuit: tribus enim literis ſuis tria hæc vocabula ab illis incipientia comprehendit אֵפֶר, *epher, pulvis*; דָם, *dam, ſanguis*; & מְרֵרָה, *merera, fel* aut *amaror*, ut pateat ejus ſummum decus peccato deletum, & nunc pulverem ſanguine delibutum & amaritudine infectum dumtaxat videri. adeo miſer eſt & ærumnoſus. Quod Græci cupientes imitari, in eodem illo nomine apud eos quadrilitero Ἀδὰμ quatuor orbis regiones invenerunt, ἄρκτον, δύσιν, ἀνατολὴν, μεσημβρίαν, *ſeptemtrionem*, *occidentem*, *orientem*, & *meridiem*; quaſi ex ſingulis mundi partibus pulverem ad ejus corpus componendum collegiſſet Deus; ut ſic terra ubique ejus cadaver, ut depoſitum ipſi reſtituendum, libenter exciperet. Si quid ſolidi eſt in illa obſervatione, ex abundanti linguæ Ebrææ efficacia in Græcam exundat.

חַוָּה *Eva* dicta eſt prima mulier, quia futura erat mater כָּל־חָי, *omnis viventis* Gen. 3--20. Nihil aptius, neque ad linguæ analogiam accomdatius.

אשה *Iſſa* eadem dicitur, quia deſumpta eſt ab אִישׁ, *Is. i.e. vir*, & Ebræi non temere obſervant, nomen Dei יָה his duobus nominibus admiſceri, ad declarandum benedictionem divinam totum matrimonii emolumentum efficere, quia abſque his duabus literis, quæ remanent, ſunt אֵשׁ *es. i.e. ignis*, ſignificans combuſtionem, ſive ardentes contentiones.

קַיִן *Cain* dictus eſt primogenitus utriuſque, quia ejus partu gaudens mater dixit קָנִיתִי, *canithi*, *acquiſivi* virum a Deo. Gen. 4-10.

הֶבֶל, *Abel*, dictus eſt filius alter quia, הֶבֶל, *abel, evanuit illico* a fratre interemptus, & nomen ejus ominoſum fuit, ut providentiæ divinæ eſſet teſtimonium.

שֵׁת *Seth* tertius, dictus est quasi *substitutus*, quia solatus est matrem nece Abelis contristatam. Unde dixit שָׁת, *sath*, substituit Deus mihi alium filium pro Abele, Gen. 4-25.

Sunt quædam nomina cum suis originibus non penitus eadem, sed litera nonnunquam subtrahenda est, ut in *Noacho*, cujus nomen נֹחַ, *Noach*, potuit formari a נוּחַ, *noach*, *quievit*. Verum Moses observavit formari a נִחֵם, *nichem*, *consolatur*: יְנַחֲמֵנוּ, *consolabitur nos*, inquit Prophetice pater ejus Gen. 5-29. Sic autem hac litera מ libere prætermissa docet, nos scrupulosiores esse in interpretandis quibusdam nominibus non convenire, quam fuit Propheta in hoc formando: potuisset enim filium suum מְנַחֵם, *Menachem*. *i. e. Consolatorem* nuncupare, si nomina ad exactam etymologiam essent revocanda. Ut plurimum tamen exacta sunt, ut ex ejus posteris liquet.

יֶפֶת, *Japhet*, ab פָּתָה *allicere*, & persuadendo adducere secundum votum propheticum Noachi: יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת. *alliciat Deus Japhethum in tabernaculum Semi*, sive in ecclesiam ex liberis Semi initio coalescentem Gen. 9—27.

שֵׁם, *Sem*, quasi *nomen*, ob celebritatem & gloriam quam ex pietate in Deum & patrem consequutus est. *nomen* enim inter Ebræos pro *fama* & *celebritate* usurpatur, unde viri celeberrimi dicuntur *viri nominis* Gen. 6-4. & ignobiles obscurique *sine nomine* Job. 39-8.

חָם, *Cham*, a nigredine inusta suæ maledictæ posteritati, ut supra probatum, dictus est.

כְּנַעַן, *Chenaan*, hujus Chami filius prophetice dicitur quasi יִכָּנַע, *ichana*, *ignominia afficietur*, addito dumtaxat נ formativo nominis; ignominiosa enim maledictione affectus ob ejus in patrem suum impudentiam Gen. 9-25. & perpetuæ etiam servituti addictus.

יְבוּס, *Jebus*, pater Jebusæorum propugnaculum Sionis occupantium sic nuncupatur quasi יָבוּס, *jabus*, *superbe conculcabit* & *fastuose spernet*. Hinc adeo omnes adversarios sprevit, & præ arrogantia parvifecit, ut arcis suæ custodiam cæcis & claudis commiserit, quasi ea proprio munimine satis propugnaretur. Ut Imperator Andronicus junior castrum a se prope Thessalonicam conditum denominari voluit γυναικόκαστρον, hoc superbo nomine declarans sat sponte munitum, ut ignavissimæ mulieres ad illius custodiam contra generosissimos, quos sic provocabat, oppugnatores sufficerent. Non enim dubito hanc præferre expositionem R. Salomo-

nis ſententiæ, licet ſuam ſpeciem habeat; exiſtimat enim Jebuſæos impoſuiſſe muris ſuis duas ſtatuas, unam Iſaaci præ ſenio cæci, alteram Jacobi ex pugna cum Angelo claudi, habentes in manibus inſtrumenta fœderum inter Patriarchas & Abimelecos Jebuſæorum majores ictorum Gen. 26-28. & 21-32. ut illa fœdera obſervaret David, & conſequenter arcem relinqueret intactam, aut ſi violaret, exſecrationes in his fœderibus adhibitas & Deum violatæ fidei vindicem experiretur. Sane cæci & claudi tantum in ſe Davidis odium non excitaſſent, ſi Patriarchas deſignaſſent. Nec per contumeliam ipſi fuiſſent hoc modo a Jebuſæis objecti; neque præmia iis qui illos amoverent, propoſuiſſet, aut cæcis & claudis arcis ingreſſum adeo ſevere in poſterum prohibuiſſet.

Cætera nomina non ſunt minus ſignificativa, aut ad rerum naturam minus accommodata: אֶרֶץ, *erets*, dicitur *terra*, quia vocabulum illud *rem infimam & abjectam* ſolet ſignificare. ſic Pſ. 139-15. formatus ſum in *partibus inferioribus terræ*; nempe in materno ſinu inter ſordes & excementa. Vel a רוץ, *routs*, *currere*, quod ſit omnium animalium curriculum. Poſſet etiam deduci a רָצַץ, *ratsats*, *terere*; qua ratione origo Ebræa in ipſo Latio fuiſſet conſervata. Varro enim vult *terram* dici, quod *teratur* pedibus. Verum cum priores origines ſint aptiores, præſtat Latinam vocem ab Ebræa deducere: quod facillimum, ſi ſecundum diverſam Orientalium & Occidentalium ſcribendi rationem, ut ſæpius antea monuimus, converſio ejus fiat, & ץ, *ts*, litera duplex in ſimplicem commutetur, ut ſolet fieri. Sic ex צָדוֹק, *tsadoc*, ſemper fit & redditur ab Interpretibus Græcis & Latinis Σαδὼκ & *Sadoc*. Sic ex צִידוֹן, *Tſidon* fit Sidon, ex צִיּוֹן, *Tſion*, Sion: alias contra in *t* ſimplex, ut ex צוּר, *Tſur* fit *Tyrus*, *Tyrius*. &c. ita ex צֹעַן, *Tſoan*, *Tanis* Ægypti regia tam in Græcis verſionibus, quam in Latinis. ita *ereſt*, ut indifferenter ſcribitur, vel *erets*, poſt reſolutionem duplicis in ſimplicem & converſionem, erit *tera*. Aſt ita unicum erit *r*. Tanto melius: obſervat enim Varro antiquitus ſic ſolitam ſcribi *teram* in augurum libris de lingua Lat. lib. 4. Alio nomine a Chaldæis conſervato terra dicitur אַרְעָא *ara* vel *era*, cui addi tantum debuit *t*. At hoc frequentiſſimum: unde Servius ad verſ. 331. Æneid. lib. 8. obſervat Tybrim ἀπὸ τῆς ὕβρεως *contumelia*, quaſi ὕβριν ob crebras injurias & contumelias, quas tranſeuntibus inferebat rex vetus in illa regione dominans; quia autem *t* defuiſſet, addit: *Amabant veteres*,

ubi

ubi aspiratio erat, θ ponere. aspiratio scilicet aspera; nam alias simplex τ apponebatur. Sic ab *ἀηδέω, tadeo*; *ἐρέβινθος, terebinthus*; *ἀκέων, tacite, taceo. &c.* Ultima litera ץ a Chaldæis emollita, dure exprimitur ab Arabibus dicentibus pro terra الأرض, *erd*, quod est ipsum Germanorum vocabulum. ad quod etiam vetus nomen a Beroso relatum proxime accedit: testatur enim terram ab Adamo dictam *aretiam.*

עֵדֶן, *Eden*, paradisus in quem Adamus post creationem statim a Deo translatus est, non potuit convenientiori nomine designari, quia omni deliciarum genere erat abunde refertus: עֵדֶן, *Eden*, enim sunt ipsissime *dilicia* & *amænitates*, & inde Græcis *ἡδονή*, *voluptas*; *ἡδύς*, *suavis*; *ἥδω*, *delecto*, & *deliciis afficio.* Quamobrem Theophilus patriarcha Antiochenus ad Autolycum lib. 2. Ἐδὲν ἢ ἑβραϊστὶ τὸ εἰρημένον ἑρμηνεύεται τρυφή. In meo exemplari Parisiis edito, & in editione etiam quam habeo bibliothecæ Patrum Græcorum, legitur mendose στροφή. unde versio: *dictio Eden, quæ Ebraica est, si transferatur in nostram linguam, versionem significat.* Debuit dicere *delicias*, & in textu pro στροφή legere τρυφήν. Quin tres urbes cognomines ob amænissimum situm celebrat Stephanus in Ἄδανα.

Fluminibus quatuor, sive duobus sese mutuo secantibus, & sic quatuor alveos aquis eorum repletos exhibentibus, quorum duo versus septemtrionem, duo versus austrum convertebantur, Eden irrigabatur. quorum nomina convenit etiam considerare. Primus dicebatur פְּרָת, *Pherat*, a *fertilitate*: פָּרָה, *phara* enim est *fructificavit*, unde in divina benedictione post creationem, פְּרוּ, *fructificate.* Et revera fæcundissimos campos alluit hic fluvius, & fæcunditatis eorum auctor habendus est, cum exundet ut Nilus: *Mesopotamiam* (inquit Cicero de Nat. deor. lib. 2. §. 130.) *fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis novos agros invehit.* Potuit etiam dici a פָּרַת, *disrupit*, & *divisit*, quod medium dividat & pertranseat Tigrim. Nullas hujus nominis origines dat Græcia, & Stephanus contentus est observasse, quod ab eo fluvio Εὐφρατησία Syria dicitur; sed convenit observare insuper Græcos nomen ejus corrupisse ei conjungendo pronomen הוּא, *ipse.* Scripsit Moses הוּא פְּרָת, *ou Phrat*, ipse est *Phrat.* Græci interpretes reddiderunt: Εὐφράτης Gen. 2-14. contra fidem textus, & exemplum cæterarum versionum orientalium. Sic articulus Arabum ال, *al*, plurimis nominibus superaddi-

tus manet, ut in vocibus القران *Alcoran*. i. e. *Coranus* liber religionem Mahumedanorum continens, sic dictus vel a *lectione* cui incumbere sedulo ejus sectatores tenentur; vel a *collectione* capitum ejus, quia per fragmenta & divisim a Muhamede datus est. sic *Algebra* a جبر *gebar*, cum articulo ال, *al*, id est, fractionum sive partium ad suum totum reductio. Itali, ut a simili errore sibi caverent, videntur similem syllabam ex *Alemannia* abstulisse, cum eam *Magnam* simpliciter dicant, licet *alle* significet *omnes*, & *mannen viros*, quæ voces simul junctæ designant variarum gentium colluviem, qualis visa est in Romanorum imperium insurgere eo tempore, quo hoc vocabulum cœpit admitti, Cluver German. lib. 1.

חִדֶּקֶל, *Chidekel*, ex חד, *chad. i.e. acutus*, & קל, *kal. i.e. celer*, quia angustiis alvei sui comprimitur & quasi acuitur, ut celeriter erumpat, neque ut Euphrates quasi in campo libero expatietur: hinc Græcis *Tigris* dicitur sive Τίγρις, ob similitudinem cum fera tigride, quæ incredibili velocitate & robore agili præstat. eam enim impetu & strepitu frementium aquarum videtur imitari. Unde Hesychius: *Τίγρις ποταμὸς Περσῶν, καὶ ὁ τοῦ ποταμοῦ ῥοῖζος. Tigris fluvius Persarum, & fluvii strepitus.* Syri, Chaldæi, Arabes, & Latini Ebræum nomen, sed ita deformatum & mutilatum, ut pateat eos illius vim non percepisse, & reliquias necessitatem recurrendi ad scaturiginem dumtaxat demonstrantes conservarunt. Chaldæus Onkelos vocat דִּיגְלַת & Arabs similiter دجلة, *Diglat*: Syrus vero ܕܩܠܬ *Deklat*. Utraque autem vox ex *Chidekel* prima syllaba omissa formatur, quia visa est præfixi ה speciem habere; unde integrum nomen Arabs Erpenianus oculatior retinuit. Josephus autem, qui ut illi mutilavit, ejus tamen integram significationem exhibuit lib. 1. Antiq. cap. 2. *Τίγρις δὲ Διγλάθ, ἐξ οὗ φράζεται τὸ μὲν στενὸν τῷ ὀξύ. Tigris autem Diglat, quod interpretatur angustus simul & velox. &c.* Paulo aliter Plinius lib. 6. cap. 27. vult enim nomen esse *ipsi qua tardior fluit, Diglito; unde concitatur, a celeritate incipit Tigris vocari: ita appellant Medi sagittam.* Videtur enim manifeste duobus illum nuncupare nominibus, quorum prius ipsi in planis agris fluenti conveniat, nempe *Diglito*; posterius demum, cum citato cursu per declivia fertur, nempe

nempe *Tigris*. At locus proculdubio mendosus, & mens Plinii est docere, quod in planicie scaturigini proxima lente fluat, sed deposita illa lentitudine ita illico incitet cursum, ut dici mereatur *Tigris*, & *Diglito*, id est, sagitta. quod optime quadraret, si revera *diglito* significaret sagittam; sed ut hoc fiat, animadvertendum ד sive *d* solere præponi nominibus Chaldaicis, ut Græci articuli solent, & sæpe etiam absque ullo significationis augmento. sic ex hoc vocabulo supererit *glito*, aut *klito*, quod indifferens est, cum פ & *k* sint literæ ejusdem organi, & viderimus alterutro modo ab interpretibus referri. Jamvero קְל vel קְלִת, *sagittam* possunt significare, quoniam Ezech. 21—21. קִלְקֵל, *kilkal*, a Chaldęo Interprete redditur per קְשַׁת, *sagittam emisit*, de rege Babylonis ad divinationes sagittas ex arcu emittente. Ex quibus evidenter patet ab Ebræis verum hujus fluvii nomen ortum, & a variis gentibus depravatum, non posse absque linguæ Ebrææ ope in integrum restitui.

פִּישׁוֹן, & גִּיחוֹן, *Pison*, & *Gichon* dicuntur duo alii fluvii, de quibus pauca referuntur, quia vix a duobus præcedentibus sese mutuo trajicientibus distinguuntur: prior a פּוּשׁ, *pus*, *auctus fuit*, quia solet crescendo in vicina arva exundare; alter a גּוּח, *guch*, *erumpendo effluere*; quia per iter difficile & impeditum violenter effluit, suam originem ducere, & peculiares dotes sic exprimere videntur.

נוֹד, *Nod*, terra Caini exilio destinata dicitur a נוּד, *noud*, *divagatus est*, quia in ea nullam quietem nancisci unquam potuit. Sed secundum sententiam a Deo Gen. 4—12. *profugus eris*, & נָד, *nad*, *vagus*. &c. latam vagus & inquies debuit indesinenter oberrare, inquit R. Aben Esra. R. Salomo Jarchi vult terram ipsam sub ejus pedibus etiam fuisse tremulam, ut invitus indesinenter nutaret, atque agitaretur. Sunt præterea qui existimant continua trepidatione fuisse vexatum, atque illam trepidationem fuisse signum a Deo illi inditum, ut omnes homines ab ipsius læsione arcerentur, quia unumquemque tanta calamitate, quæ nomine *nod* designatur, ad commiserationem commovebat.

אֲרָרָט, *Ararat*, mons in quem detulit arca Noachum familiamque, ut vitarent diluvii calamitatem quæ totam maledicti Caini prosapiam obruit, videtur dictus ab אָר, *ar*, *maledixit*, & רָט, *rat*, *declinavit*, quia sanctus ille vir cum familia sua obsequendo divinis mandatis calamitatem illam feliciter declinavit, & in fausto illo portu salutem adeptus est.

שִׁנְעָר, *Sinear*, denique & בָּבֶל, *Babel*, ut hæc nominum discussio forsitan prolixior finiatur, nomina sunt locis suis convenientissima: nam illud formari potuit ex שָׁנָה, *sina. i.e. varie mutavit*, & עָר, *ar, hostis*, quoniam Deus hostes in ipsum rebellantes varia linguarum mutatione mulctavit, & ita a se invicem eos hac diversitate sejunxit, ut affines & consanguinei a se invicem distracti in oppositas regiones abierint, sicque secundum Dei propositum inceperint totum terrarum orbem suis dispersionibus replere. alterum hanc ipsam confusionem significat, nam בָּלַל, *babal, confundit* & *perturbavit*, atque in conjugatione, quæ intensiorem actionem significat, habet pro more verborum quæ duas postremas radicales habent similes, בִּלְבֵּל, *bilbel*. inde *Babel* pro *Balbel. i.e.* confusio, ipso textu sacro indice: legimus enim Gen. 9—11. vocavit nomen urbis scilicet Deus, בָּבֶל כִּי שָׁם בָּלַל יְהוָה שְׂפָתָם. *Babel, quia ibi mutavit Deus sermonem.* Hinc non obscura hujus nominis vestigia in Græcorum βαβάζειν & βάβαξ, Latinorum *balbus* & *balbutire*, & Gallorum *babiller,&c.*

Hæc & similia nominum a primo rerum exordio impositorum, & in cæteris linguis a prima exortis superstitum exempla evidenter demonstrant linguam primævam fuisse Ebræam, cum Ebræa sint, & ejus genio accommodata, atque cum aliis linguis similem non habeant affinitatem, neque ab ulla alia lingna possint similiter exprimi.

Convenit insuper observare linguas orientales præ cæteris esse Ebrææ magis affines, & quo propius accedunt ad regionem, quam occupaverunt Ebræi, majorem similium nominum copiam conservare. quod manifestissimum est argumentum, nomina illa ab Ebræa scaturigine in vicinas illas linguas pro vicinitatis proportione emanasse. Præterea in his linguis generales convenientiæ, non secus ac in liberis ex eadem prosapia ortis communia quædam lineamenta, cum Ebræa cernuntur, quæ ipsam esse earum originem demonstrant, quia antiquior ipsis est, & norma earum esse non obscure declaratur: eosdem, verbi gratia, nominum casus, sive easdem illos designandi rationes, per literas iis præfixas, licet quædam diversimode etiam eos terminent, ut Arabica; easdem, vel saltem similes verborum flexiones; præfixa & affixa fere similia; eadem genera, nempe fæmininum, masculinum, atque commune, absque neutro; easdem circa illa regulas, quæ a sensu & terminatione illa definiunt; eosdem numeros, singularem, dualem, & pluralem; eadem in verbis tempora; easdem literas אתין personarum in futuris

turis deſignatrices; & cum infinitivis gerundia formantes etiam eaſdem בכלם habere perhibentur. Inſuper durum ſimilium literarum concurſum æqualiter horrent, eique earum inter ſe permutatione vel tranſpoſitione ſimiliter medentur; eumdem denique literarum fere numerum habent, & earumdem nomina leviter immutata, eumdemque earum etiam ordinem. Licet enim in alphabetho hodierno Arabum & Perſarum videatur perturbatus, olim tamen ut inter Ebræos diſponebatur, ut literis numeralibus eorum conſtat, quæ ad inſtar Ebræorum ordinantur. Eadem ratio procul dubio olim Æthiopum, etiam numeri eorum hodierno literarum ordini accommodantur; plures quidem hi quam Ebræi literas habent, Perſæ etiam & Arabes, ſed addititiæ inventæ fuerunt ob nomina barbara, quæ antiquæ linguis lenioribus & purioribus accommodatæ fuerant. Sicque confirmatur, quod ſenſim recedendo ab Ebraica, corruptio major appareat, ita ut Chaldaica & Syriaca linguæ, ut viciniores, ita ſint etiam Ebrææ ſimiliores. Addam has linguas diſtinguere etiam literas ſuas ſecundum organa vocis in palatinas, linguales, dentales, labiales, & gutturales, ejuſdemque organi literas paſſim permutare. Ex Grammaticis plura peti poſſunt, & hæc obiter obſervaſſe ſufficit, ut in cæteris linguis eædem obſervationes fiant, & pateat varia primævæ linguæ veſtigia in iis etiam conſervari. Sane ſolus ille literarum in numeris deſignandis uſus, quo novem primæ unitatibus, ſequentes novem denariis numeris, & poſtremæ centenariis ſignificandis inſerviunt, qui ad nos ipſos pervenit, ſufficeret ad reducendum ingenuum veritatis indagatorem ad Ebræos illius inſtituti auctores, cum apud ipſos integer omnino ſervetur, ſitque cæteris norma, & non poſſit variari, quia Pſalmi plurimi ſuos verſus a literis ſeriatim diſpoſitis incipiunt, ut ſic commodius numerentur, & Pſ. 119. ab iis ſuas omnes pauſas, & quælibet pauſa ſuos verſus ab ea quæ pauſam diſcriminat, incipere perhibetur. Hæc autem Ebrææ linguæ inſignia alteri linguæ omnia non conveniunt, ſed inter ſingulas ſunt diviſa.

Mihi videor aliquem horum argumentorum pondere preſſum audire, ut ſe liberet, exclamantem: Sunt revera quædam omnibus linguis vocabula communia, ſunt communes leges, ſunt convenientiæ, quæ omnia ſimul probant olim fuiſſe ſingulis commune principium. Verum quid hoc confert ad Ebrææ præ cæteris commendationem? Nonne potuit hoc commune ſingularum principium periiſſe, & has reliquias

 ſu-

ſuperſtitibus diſtribuiſſe, aut lingua Chaldaica, Arabicave, imo quævis alia ſibi vendicare, communis principii decus poterit? At non debet revocari in dubium ſupra aſſerta primævæ linguæ conſervatio, & ad ſuppoſitum de primatu jus contendendi cæteris linguis conceſſum reſponſio ſponte advolat. Quemadmodum enim diſtinctus in varia fluenta fluvius ab iis facile ſecernitur, & præcipue conſervatur in eo, quod priſtinum curſum directius tenet, majorem propriarum aquarum copiam ſecum volvit, haſque aquas puras, ut erant prius, immutabiliter exhibet, cum alia in paludes & fœtidos lacus divertentia cænoſas & a prima limpiditate degeneres contineant: ſic lingua Ebræa ab initio rerum ad Babylonis confuſionem magnifice fluens, tunc demum cœpit in diverſas dividi, non vero confundi. Licet enim quælibet recentium illarum linguarum naturali originis privilegio aliquam maternarum opum portionem adepta abierit, mater tamen vivere & florere pergens ſuam totam conſervavit opulentiam ob inexhauſtam ſcaturiginis ſuæ ubertatem atque opes, quæque diviſim & parce cæteris conceſſit, plene & exuberanter, puriſſimeque conſervavit. Quamobrem in linguis remotioribus pauciſſima cum cæteris linguis & Ebræa cernuntur communia vocabula, eaque corrupta; cum propinquioribus plura, & puriora; ſed ſola Ebræa hæc verba habet puriſſima omnia, & inſuper cætera ipſis affinitate conjuncta, quodque inprimis obſervandum, nomina illa, quæ in his linguis ſolitaria ſunt, neque primitiva neque derivata habent, in Ebræo ſolo ut patrio oriuntur, ſoboleſcunt, & cætera alia ſpecie formaque non ſecus ac quadam fraternitate attingere videntur. Denique ut exemplo rem illuſtrem, Ebræa lingua reſpectu cæterarum eodem prorſus modo ſe habet, ac Latina reſpectu Gallicæ, Hiſpanicæ, Italicæ, & earum, quæ Romanorum imperio alias paruerunt. Nulla enim eſt, quæ priſtinæ ſervitutis veſtigia non exhibeat vocabulis ſuperſtitibus ex dominorum lingua. Sed illa vocabula pauca ſunt, & varie mutata in Aſia, in Africa, & remotioribus regionibus; plura in Græcia, Germania & Anglia, atque manifeſtiora; at in Hiſpania, Gallia, & Italia præcipue, tot ſunt, ut non minori jure de primatu cum Latina poſſent contendere, ac Arabica, Chaldaica, & Syriaca, cum Ebræa, niſi lingua Latina notior eſſet, quam Ebræa, & Hiſtoriæ noſtræ etiam notiores eſſent, quam Judaicæ. Quapropter perfecta linguæ Latinæ cognitio facit, ut ejus vocabula & phraſes facile agno-
ſcan-

ſcantur, & ab extraneis ubique ſecernantur ob linguæ genium, & origines barbaricis adverſas. Sic qui acuratiſſimam linguæ Ebrææ notitiam adipiſcentur, germanas ejus voces illico agnoſcent primigenias eſſe, & ob ſingularem vim & gratiam earum ab omnibus aliis nullo negotio ſegregabunt. Sed non eadem facilitate ſenſum ſuum expriment: notum enim Criticis intimas linguarum dotes longe facilius agnoſci, quam verbis enarrari. Nihilominus Ebræa ſuas ſufficienter exponit, ut cæteris ſaltem anteponatur, quod ſufficit ad inferiores ab omni primatus ſpe excludendas.

Quamobrem Adverſarii ultro tandem ſe fateri autumant inæſtimabiles eſſe linguæ Ebrææ prærogativas, & inſigniorem linguæ primævæ ſpeciem etiam præ ſe ferre ob antiquiſſimam Moſis hiſtoriam, quæ illibata promit rerum omnium exordia in cæteris hiſtoriis prophano fabularum fuco adulterata; verum non ſequi primævam eſſe ex eo quod primævæ referat graphice monumenta, & veram rerum imaginem deſcribat, quoniam verbis Ebræis utitur, quæ propria quidem & accommodatiſſima fuerunt, utpote divino afflatu electa, attamen recentia, & genuinis obſoletis dumtaxat reſpondentia; quod non impedit mirabiles nominum alluſiones, quæ nativas convenienter referunt, licet ab his diverſæ fuerint, & a linguæ Ebrææ indole penitus pendeant. Sic mens Moſis divinitus illuſtrata perfecte apprehendit auguſta Dei opera, & antiquiſſima patrum geſta eodem prorſus modo quo ab initio fuerunt, ſed narrationem linguæ ſuæ Ebrææ genio totam accommodavit, & conſequenter mirum non eſſe, ſi rebus nomina conveniant, cum ſedulam adhibuerit Moſes operam, ut omnia native in ejus hiſtoria repræſentarentur. Sic, quantum humana divinis valent reſpondere, ampliſſimus Thuanus Francorum hiſtoriam v. gr. adornavit; res patriæ enim ita refert, ut nomina familiarum, hominum, munerum, urbium, provinciarumque Latina ſpecie ſemper induat, ſermones ipſos in aula a matronis etiam habitos, conciones, edicta, & ut uno verbo dicam, nihil eſt quod in præſtantiſſimo illo opere putum putum Latium non redoleat; turpiter tamen hallucinaretur, qui putaret linguam Latinam in aula Caroli IX. Henrici III. & Henrici IV. regum, aut in curia, & tota Gallia unc obtinuiſſe. Itaque non eſt diverſa ratio eorum, qui ex nominibus Ebraicis in Moſis hiſtoria relatis, vel ex alluſionibus ingenioſis, ſimilibuſque a ſermone petitis argumentis aſtruere conantur lin-

guam

guam Ebræam fuisse primævam, quia lingua Ebræa, quæ florente primæva acta sunt, refert. Quis denique, vela arridentis ratiocinationis dantes ventis ajunt, historicus aliter gentium exterarum gesta refert? Græci Græce Persarum & Romanorum descripserunt historias, Romani vicissim Græcas, Moses similiter in Ebræorum suorum usum historiam majorum Ebraice descripsit, ut intelligeretur; & in ejus historia nihil extraordinarium, quam divinum auxilium, quo factum est, ne in verbis aut rebus ullus error admitteretur, sed veritas de humana etiam auctoris fragilitate ubique triumpharet.

Liceat nobis utique exclamare, O cæcas hominum mentes, & temeraria earum judicia! Divina metiuntur humanis, quodque in nugis earum arbitrio expositis concedunt, in divinis immensæ sapientiæ consiliis licere decernunt? Historici revera verba sua conceptibus adaptant, ut narratio ad propositum eorum liberius fluat; an idem licuit sacris auctoribus? Nihilominus humani historici non fallunt, humana enim opera pollicentur, & sua lingua extraneorum gesta se narrare non obscure declarant; Moses autem ipsissima Dei verba, & nomina rebus ab Adamo imposita se referre luculenter testatur, & prudentiores deciperet, si a se excogitata iis supponeret. Præterea vix ullius historici exemplum dabitur, qui non referat quædam nomina gentis, regionis, urbium, aut quorumdam munerum, de quibus ipsi agendum est. Græci in suis monumentis Xerxes, Artaxerxes, Darios, Cyrosque referunt; Chaldæam, Assyriam, Syriam, Persiamque describunt; Belos, Bahales, Dagones, Hammones ibidem cultos narrant; & ne diutius insistam observationibus vulgo notis, auctorum ipsorum & diversarum linguarum quibus usi fuerunt, mentionem diserte faciunt, ut unde fluxerint eorum historiæ cuivis pateat, & certior eis fides adhibeatur. passim enim citantur Berosus Chaldæus, Manetho Ægyptius, Sanchoniathon Phænicius, Moses ipse Ebræus, qui unus linguæ primævæ, cujus præcipua monumenta reserabat, nullibi meminit, neque ullum dat indicium revera extitisse. Ille ipse Thuanus qui in exemplum producitur, quique forsitan omnibus liberior in transformandis hominum & locorum nominibus, non omnia mutat nomina; ipsi plerumque sufficit terminationem Latinam affigere, & cum propria nomina non suppetit Latium, vulgaribus sic compositis utitur, unde *Capitaneos*, *Marescalcos*, & similia nomina Latinis ignotissima habet, & ut uno verbo dicam, nullus

est, qui ab eo Francorum historiam sub larva Latina latentem illico non agnoscat. Sed quod inprimis observatione dignum est, Gallicis nominibus Latina sæpe affinia respondent, quia hæc illis dederunt originem, Romanis in Gallia dominantibus. Provinciæ, urbes, pagi, & plurima familiarum nomina a pagis & urbibus formata denominationem suam tunc a Romanis acceperunt; & licet temporis lapsu, & exolescente inter Gallos Latio, illa nomina varie fuerint immutata, non potuerunt tamen nisi in pristinam puritatem restituta ab eleganti auctore adhiberi. Quare ipsi minime comparandus est Moses, si Ebraicis vocabulis a primæva lingua alienis dumtaxat usus est: nulla autem primævæ illius linguæ constat adhibuisse verba, si ab Ebræa diversa fuerit, cum merum Ebraismum sapiat tota Mosis historia.

Instabo, & contendam atrocem Mosi inferri injuriam simplici suspicione diversitatis linguæ Ebrææ a primæva. Fideliter enim mundi exordium non retulit, si Deus non vocavit *cælos*, שָׁמַיִם *terram*, אֶרֶץ *diem*, יוֹם. *&c.* cum id expresse affirmet. Nec absolvetur dicendo, interpretes sic Deum sua lingua loquentem inducere. Nam interpretes palam profitentur se interpretationes edere, & nemo est qui sensum eorum facile non assequatur & videat sensum ab ipsis, non ipsissima verba, quæ interpretatione mutari debuerunt, esse expectanda. Moses contra ne minimo quidem nutu insinuat se interpretem agere; ubique Deum, angelos, hominesque colloquentes inducit, auditas ex ore Dei voces, quas refert, testatur, atque plurima nomina ab ipso aut ab hominibus imposita interpretatur eadem lingua, quam præ se ferunt, absque ulla alterius linguæ mentione: an hoc fideli interpreti concedi potest? An vere dicere potuit Gen. 2-18. *Et omne* nomen quod imposuit Adam animalibus, הוּא שְׁמוֹ, *ipsum est nomen ejus*, ut reddit Vulgata: vel ut LXX, τοῦτο ὄνομα αὐτοῦ. Si tunc nomina primigeniæ linguæ erant tempore Mosis diversa, inter ipsos Ebræos nempe Ebræa fuerunt. An vere dixit *Adamum* nuncupatum, quia formatus fuerat ex *adama*, & uxorem dictam *Issa* quia ab *is* educta fuerat, & cæteræ liberorum denominationes supra explicatæ fideliter cum suis allusionibus referentur, si lingua primæva diversa fuit ab Ebræa, a qua formantur. Cum Cainus condita urbe sua suscepit filium, & ob utriusque eventus felicem concursum utrique idem nomen legitur imposuisse nempe חֲנוֹךְ, *Henoch*, an revera utrique hoc nomen tunc fuit? Non licet dubitare fidem Mosi adhibendo. At nomen

illud Ebræum est, & significat *initiationem*, *gaudium*, & *sacra solemnia* quæ fiunt in grati animi signum post absolutum operis optatissimi complementum. Sic facta muri Hierosolymitani post perfectam ejus restaurationem חֲנֻכָּה, *hanuca*, *dedicatio*; additur *& lætitia*, ut pateat gaudium in dedicationibus præcipuum habuisse locum Nehem. 12-27. Sic factæ quatuor templi dedicationes 1. a Salomone 1. Reg. 8-63. 2. a Zorobabele Esd. 6-16. 3. a Juda Machabæo 1. Mac. 4-54. & 2. Mac. 10-8. quia a gentibus fuerat prophanatum, & hujus dedicationis anniversaria commemoratio lege constituta est, ejusque fit mentio Joan. 10—22. & φῶτα ob innumeras faces illam solemnitatem illustrantes & declarantes hanc prosperitatem ex insperato illuxisse, testatur etiam Josephus Antiq. lib. 12. cap. 2. 4. Denique ab Herode, qui templum per partes destructum, quia Judæi ipsi non fidentes totum destrui metuerant, in magnificentiorem statum octo annorum spatio redegit. Has autem dedicationes ἐγκαίνια Græci vocant, fiebantque privatim ob constructam domum Deut. 20-5. An nomen illud adeo familiare Ebræis mirabili & inaudita felicitate in primæva lingua eamdem vim habuit, & filio Caini urbique ejus etiam convenire potuit? Non minus stupendum *Jubalis* nomen Gen. 4—21. Sane convenientius esse non potuit in primæva lingua, quam in Ebræa animadvertitur: ut enim in illa auctorem musicorum instrumentorum designavit, sic in hac clangores & sonoras cum harmonia voces; unde & *jubilai*, *jubilationes*, ipsumque verbum *jubilare* originem ab eo ducunt. Nullus rerum æquus æstimator unquam existimabit vocabula in diversis linguis sic affinia sponte occurrere: unum forsan, aut alterum sedulo perquisita producentur, ut *homo* & *humus*; *vir* & *vira* licet vix usitata; *Petrus* Latinis, Græcis Πέτρος, & Gallis *Pierre*, eodem sensu. At tot nomina, tot genuinæ ad ipsorum sensum allusiones, tot mirabiles inter nomina & res ab iis significatas convenientias nulla lingua, neque ars unquam suppeditare valebunt.

Convertat quæso animum lector ad historiam Susannæ: duæ in ea παρονομασίαι ingenuos interpretes persuadent eam ab initio Græce fuisse scriptam, non vero ex Ebræo codice translatam, ut opus esset, si canonicis Ebræorum libris esset annumeranda. iis enim oracula divina credita fuerunt, Rom. 3-2. Non igitur existimant inveniri posse interpretem satis ingeniosum aut felicem, ut inveniat in differentibus linguis verba ad sententiam in falsos testes ex testimonii ab ipsis exhibiti verbis

latam

latam exprimendam idonea. Nempe primus testatus fuerat se vidisse Susannam cum adolescente ὑπὸ σχῖνον. Arguit autem ipsum Daniel ejus ipsius verbo sic: *Angelus Dei σχίσει σε μέσον, scindet te medium*; quia σχῖνος, *lentiscus*, revera denominatur παρὰ τὸ σχίζεσθαι, *findere* & *scindere*. Hinc ex ea solent dentiscalpia fieri, quia facillime in minimas partes scinditur. vid. Etymol. Mag. Ad alterum autem qui vidisse mentiebatur ὑπὸ πρῖνον, *sub ilice*, regerit: *Adest angelus* cum gladio paratus πρίσαι σε, *ut te medium secet. &c.* convenientissime. nam πρῖνος, *ilex*, πρίονι, *serra*, adeo est obnoxia, ut earum nomina sint valde affinia & fere eadem, ut legenti patet. Sane Julius Africanus sua ad Origenem epistola hinc arripit occasionem repudiandi illam historiam, utpote a prophetis lingua Ebræa usis non editam, cum similes allusiones ea lingua non habeat, sed a Græco suum genium exercente. Origenes ipse, licet ad illam propugnandam inclinaverit, (modo epistola ad Africanum scripta, & in calce operum extans, sit sincera) nihilominus judicavit argumentum ex convenientia illarum vocum, quæ coactis versionum expressionibus vix concedi potest, esse validum & invictum, nisi forte similes Ebræa lingua suppeditet; quod adhuc repetit distinctius in notis ad illam historiam a S. Hieronymo post textum genuinum Danielis exhibitis. Constat autem nullas similes παρονομασίας, quæ his respondeant, vel etiam adaptari possint, suppeditare Ebræos, neque cæteros orientales interpretes, qui has ipsas arbores videntur ignorasse, cum Syrus pro lentisco reddat ܦܣܛܩ *pistacium*; Arabs vero سماق, *summacum*; verba autem cum arboribus nullam habeant similitudinem. Quamobrem Sixtus Senensis lib. 8. Bibliot. ad hæres. 6. scribit: *Historiam Susannæ, quam ab auctore Græco scriptam indicant prædictæ ilicis & lentisci etymologiæ, vetustissimi Patres, ut confictam rejiciunt. &c.* Clariss. Grotius etiam in adject. ad Daniel in cap. 13. *Hoc autem quod nunc in manibus habemus scriptum, non ex Ebræo translatum, sed primitus a Judæo aliquo Hellenista fuisse scriptum ostendit παρονομασία, quæ est infra inter σχῖνον & σχίζειν; item πρῖνον & πρίζειν, quam in vocibus Ebræis frustra quæres.* optime sapienterque. Et revera frustra similes allusiones in vocibus Ebræis, Arabicis, aut Chaldaicis quærerentur. At posito hoc fundamento; amabo te, qui stabunt hæc tua verba in Gen. 11-1. *Verius primævam linguam nullibi puram extare, sed reliquias ejus esse in lin-*

guis omnibus; nomina autem Adami, Evæ, & cætera Ebraico ſermone a Moſe expreſſa Ebræorum cauſa, eodem ſignificatu, qui in primæva lingua fuerat? &c. An duæ παρονομασίαι ſufficiunt ad probandum Suſannæ hiſtoriam non fuiſſe ex Ebræo tranſlatam, & innumeræ in Geneſi extantes, atque acumine, ſoliditate, ac nativa ingenuitate longe præſtantiores non valent perſuadere nomina rebus ſuis apprime convenientia, & ad varios eventus directe reſpicientia translationi, quæ libera non eſt, ſed alterius linguæ ſenſui addicitur, minime convenire? Potuerunt quidem, ut tuo exemplo utar, *immortales* dici Perſarum milites quorum numerus conſtans & certus ſemper conſervabatur, quia in pereuntium locum recentes illico ſufficiebantur, licet Perſice alio nomine nuncuparentur, potuerunt Perſicæ militiæ officia varia Græcis nominibus apte exprimi; ſed ſi deſcripta fuiſſet Perſice illa militia nominibus ingenioſas ad illius officia alluſiones habentibus, nulla excogitari poteſt lingua, quæ referre illas alluſiones poſſet. Cum igitur tales ſint paſſim alluſiones in hiſtoria Ebraica Moſis, ut longa nominum inſigniorum ſerie ſupra demonſtratum eſt, hæc nomina ex alia lingua non ſunt translata, quia rebus ſuis non potuiſſent adeo convenienter adaptari. Quin nemo auderet dubitare Sophoniam Ebraice ſcripſiſſe, cum legit cap. 2—4. dura illa in Gazam & Ecronem decreta, עַזָּה עֲזוּבָה & עֶקְרוֹן תֵּעָקֵר, *Gaza derelinquetur, Ecron eradicabitur*, ob evidentes ad utriuſque nominis alluſiones, etiamſi alia deeſſent argumenta: aut Joſuam ipſum, cum 7—25. ad Achanis ſive Achoris nomen alludens ait, עֲכַרְתָּנוּ יַעְכָּרְךָ, *Conturbaſti nos, conturbabit te Deus.* & vallis *Achoris* dicta eſt.

Inſtare licet & propugnare, quamvis poſſibile fuiſſet invenire inter Ebræos nomina ad omnes ſenſus primævæ linguæ convenienter ſignificandos compoſita, & adeo flexibilia, ut in omnes modos facile verterentur, an licuiſſet ea, ante admonitum lectorem, pro primigeniis exponere? Si hoc enim actum a Moſe præſupponeremus, quot mendacia dicta factaque fuiſſent? Quis, præter unum aut alterum ex recentioribus auctoribus, dubitavit primum hominem proprio nomine Adamum nuncupatum, & nuncupatam ejus uxorem Evam, ejuſque liberos, Cainum, Habelem, Sethum, cæteroſque nepotes innotuiſſe tempore ſuo nominibus a Moſe celebratis, neque Moſem ipſis de novo ea impoſuiſſe? Quis e cathedra in ſcholis atque templis id non docuit? Quis Patrum millies non aſſeruit, & ſcriptis non mandavit? Quin dubi-

dubito Euangeliſtas & Apoſtolos noſtros ab omni culpæ ſuſpicione poſſe eximi, ſi nomina illa vera & propria non fuerunt, cum illa religioſe retineant. Jamvero ſi propria dumtaxat quoad ſenſum repræſentarunt, ſufficiebat ſenſus habere rationem, & tam bene lingua Græca poterant exprimi, quam Ebraica; & illa aptior tunc erat, quia hæc exoleverat. ſic *Adamum* debebant nuncupare Χοϊκὸν, *Terrenum*; & Evam, Ζωογόνον, *Viventium genitricem*. At Paulus utrumque nomen conſtanter retinet, & S. Lucas quatuordecim ſequentia in genealogia Chriſti. Mirum ſuppoſita pro veris nomina in genealogiis adhiberi, mirum in his nominibus myſteria quæri, ut cum Adamo terreſtri Adamum cæleſtem opponit Paulus.

Verum enimvero hæc antiqua nomina eſſe primæva valido confirmant argumento nomina ex confuſione Babylonica reſidua, quæ his primis nominibus ſimillima ſunt quoad ſignificandi modum & originem: nemo enim exiſtimabit tantam fuiſſe illam confuſionem, ut unuſquisque proprii nominis memoriam amiſerit, & novum debuerit comparare, quoniam nihil notius habetur, & in exemplum rei nulla arte nulliſque viribus auferendæ ſolet adhiberi. Unde poëta:

Nominis ante mei venient oblivia nobis.

Noachus itaque, & ejus liberi, nepoteſque qui ad Pelegum pervenerunt, nomina ex primæva lingua habentes ea conſervaverunt immutata, eaque fideliter & immutabiliter referre debuit Moſes, quia tempore ſuo non potuerunt penitus ignorari: nam Noachus ad natalia Abrahami pervenit, Sem ad natalia Jacobi, & inſuper in Chananitide celebrem ſcholam habuit. unde ad Gen. 25-22. ubi legimus Rebeccam ob liberos in ejus viſceribus colluctantes auxiam conſuluiſſe Deum, Paraphraſis Chaldaica Uzielidis, & Hieroſolymitana reddunt petiiſſe בֵּית מִדְרְשָׁא דְשֵׁם לְבָא, *ſcholam Semi magni.* Patriarchæ igitur, & hujus illuſtriſſimi doctoris diſcipuli ab illis majoribus ſuis cum tota hiſtoria eccleſiæ antiquæ didicerunt primorum patrum nomina, & nepotibus ſuis poſtea expoſuerunt. Horum autem numerus exiguus fuit: *Cebat* enim Moſis avus potuit a Jacobo edoctus edocere Moſem nepotem, & alii patres ſimiliter ſuos liberos, ita ut quamvis Moſes nomina illa voluiſſet mutare, minime ipſi liberum fuiſſet; reclamaviſſent enim coævi, & traditionem paternam oppoſuiſſent ejus doctrinæ, quæ licet longe potior, utpote

divinitus inspirata, detrimentum tamen aliquod ex hac contradictione ob nomina sine ulla necessitate permutata accepisset.

Sane nimia non fuit Israelitarum erga Mosem docilitas: ob minores causas sæpius contumaces fuerunt. Sed etiamsi saltem hac vice supponantur sponte subjecisse Mosis auctoritati paternas traditiones, & constantes omnium majorum genealogias, quia stupendis miraculis ejus mentes eorum attonitæ assensum suum suspendere non potuerunt, quid putandum de cæteris gentibus? An nullæ fuerunt quæ inaudita socordia majorum suorum seriem non neglexerint, & susque deque habuerint nomina eorum, quibus vitam & omnia sua bona debebant? At contra in more fuit majorum nomina in familiis conservare & ab avis denominare nepotes serie satis constanti, ut innumeris exemplis constat. Quapropter totum *Japeti* genus nomen *Japhethi* reddidit celebre: indifferenter enim *Japheth*, aut *Japet* scribitur, & mutuatio tenuium in aspiratas nullius est momenti. Vidimus *Chami* nomen in Ægypto fuisse sedulo conservatum, cum ab eo *Chemia* dicta fuerit Ægyptus, & ipse cultus fuerit sub *Hammonis*, aut *Chammonis* titulo. *Javan*, vel, ut licet legere *Jon*, in tota Græcia semper celeberrimum etiam fuit. Mitto *Elisam*, a quo *Elis*; *Rhodanim*, a quo *Rhodanus* fluvius & *Rhodanusia* insula; *Tarsis*, a quo *Tartessus*; & plurima alia, quæ luculenter ostendunt prima nomina non fuisse ab omni memoria deleta, neque licuisse Mosi ea in alia nomina permutare. Ab omni enim versimilitudinis specie abest hæc nomina fuisse ab ipso Mose accepta, quoniam si Ægyptii tantam fidem ipsi habuissent, ut ab ipso suscipere suæ originis principium tenerentur, Chamum suum non existimavissent Deum, neque cultu, aris, & templis dignum judicassent impium patris sui contemptorem, aut pium Semum ad inferos detrusissent. Revera primæ gentium a majoribus mutuatæ denominationes percrebuerant ante divulgatos Mosis libros, quos diu ut peculium conservarunt in sinu suo Israelitæ, neque permiserunt eos horrendo idololatrarum afflatu contaminari.

Itaque ex paterna traditione plurima majorum suorum nomina gentes omnes habuere, & præcipue Ægyptii sub regibus bellicosis & sapientibus degentes, atque Chaldæi in vicinas provincias imperium fere a prima terrarum partitione exercentes. Quin Jupiter Cretensis jam excurrerat in Græciam, & ex Niobe Phoronei Argivorum regis secundi filia susceperat

perat prosapiam, quæ amplissimam novitiorum deorum segetem emisit ad exemplum proculdubio veterum, quorum nomina ad illos pervenerant; ut illorum nominibus post duplo majus annorum curriculum nunc fruimur. Consequenter non potuit Moses in linguam Ebræam conservata dumtaxat significatione nomina ubique terrarum celeberrima transferre, totusque orbis vehementer reclamasset.

Quid si existimemus a primis patribus libros primæva lingua scriptos fuisse, & ad Mosis ætatem superstites permansisse? Sane amat Deus ordinariis mediis uti, cum sufficere possunt; & novimus, ex Chronicis publicis fuisse extractos a viris divinitus inspiratis Regum libros, ab iisque sancto spiritu duce seposita, quæ utilitatem ecclesiæ spectabant, ab iis, quæ mere civili regimini conveniebant. Sane sunt, qui volunt a Mose citari librum vulgo notum & a suis diversum dictumque *librum bellorum domini* Num. 21—14. de quo scribit Aben Ezra: יתכן שהיה מימות אברהם. *Consentaneum est, quod a diebus Abrahami fuerit.* & a Josua Mosis successore *librum recti* Jos. 10-13. qui antiquissima monumenta potuerunt continere, sed quia fidei normam non constituebant perniciosos temporis dentes non superaverunt, quo divina providentia in sacrorum librorum conservatione manifestius elucesceret. Revera non est verisimile per duo continua annorum millia nullas observationes scripto mandatas a primis præsertim patribus, quibus longævitas extraordinaria videtur inter alias rationes concessa, ut scientias artesque promoverent, atque varios astrorum motus definirent, certas temporum periodos constituerent, ac vitæ moribusque leges necessarias præscriberent, & exemplis quorum testes fuerant confirmarent. Vita enim brevis, ut a tempore Mosis fuit, vix ad hæc omnia suscipienda, ne dicam perficienda, potuit sufficere. Hinc ex Gen. 4. constat eos artes pastoritias, fabriles, & musicas instituisse. An præstantiores, & menti illustrandæ utiliores neglexerunt? Id a ratione alienum existimavit Josephus, & observavit astrologiæ imprimis necessariam fuisse eorum longævitatem, quia ad magnum sexcentorum annorum annum observandum septingenti anni non suffecissent, lib. 7. Ant. cap. 5. & cap. 3. observaverat, Sethum & liberos virtuti & studio dedisse operam & rerum cælestium scientiam effecisse, atque ab Adamo edoctum duplicem mundo interitum parari, unum diluvio, alterum incendio, suas observationes inscripsisse duabus columnis, uni lateritiæ contra incendium, & alteri lapideæ contra diluvium;

vium, additque lapideam ad ſua uſque tempora conſervatam. Columnarum illarum fama pervenit ad Beroſum, & Alexandrum Polyhiſtorem: referunt enim tempore Xiſuthri Chaldæorum regis contigiſſe diluvium, ſed monitu Saturni res omnes ſcitu neceſſarias ſcriptis fuiſſe mandatas, & optime conſignatas in terram defoſſas in urbe Solis dicta *Siſparis*, quas diluvio ſuperſtites effoderunt, & in uſum ſuum adhibuerunt. Patet autem ex toto narrationis contextu Xiſuthro Noachum deſignari. Abydenus eadem fere refert. Neque obſtat columnas in ſcripta ſimplicia fuiſſe transmutatas. Quin ad illa ſcripta aut columnas poſſunt referri obſervationes, quas juſſu Ariſtotelis Babylone miſit in Græciam Calliſthenes; quas quidem χιλίων ἐτῶν εἶναι, καὶ ἐννακοσίων τριῶν μέχρι τῶν χρόνων Ἀλεξάνδρου Μακεδόνος, *annorum mille nongentorum trium fuiſſe ad Alexandri Macedonis tempora*, refert Porphyrius apud Simplicium Comment. 46. in Ariſtot. lib. 2. de Cælo. Si enim ab Alexandro Perſarum victore retrocedendo verſus mundi exordia numeremus 1903. proxime accedemus ad diluvium, aut illud etiam antevertemus. Nemo eſt præterea, qui neſciat plures a patribus commemoratos libros nominibus auctorum Moſe vetuſtiorum inſcriptos. Talis fuit *revelatio Adæ*, *ſeptem libri Sethi*, *Prophetia Enochi*, cujus ampliſſima fragmenta exhibet Syncellus in ſua Chronographia, & meminit Judas Apoſtolus epiſt. verſ. 15. ipſiſſimaque ejus verba hæc refert: *Ecce dominus venit. &c.* quaſi eo tempore adhuc extitiſſet, & exhibito hoc imminentis divini judicii teſtimonio, ut ſacris novi Teſtamenti codicibus inſereretur, diſparuiſſet; nam adulterina ſunt quæ ab aliis referuntur. Conſtat autem ipſis Judæis innotuiſſe terribilia hujus prophetiæ verba ab Apoſtolo relata: iis enim utuntur ad ſceleratos a ſuis facinoribus deterrendos propoſito irati domini adventu, cum nullus ſupereſt ſuis cenſuris locus. Nempe primo adhibent ſimplicem excommunicationem נִדּוּי, *ſeparationem*, dictam; poſtea חֵרֶם, *exterminio devovere*, ſignificans. hoc putant totidem comprehendere diras, quot ſunt in corpore humano membra ſcilicet 248, ſecundum numericam literarum vim, iiſque totum hominem percelli. Denique cum recalcitrat adhuc, ſcelus Dei judicio exponunt pronunciantes, שֵׁם אֲתָא, *Deus venit*; ſive ut Apoſtolus Paulus, מָרָן אֲתָא, *Dominus venit*, dicendo, *Si quis non amat dominum J. C. ſit anathema, maranatha.* Hinc ipſum verbum שַׁמְּתָא, *excommunicare*, quia in excommunicando dicunt: *Deus venit*, שֵׁם אֲתָא, adduntque etiam exponi poſſe שָׁם מִיתָה, *ibi*

mors,

mors, ut Elias in Thisbi. Possent ex sacris scriptoribus similia multa colligi, quæ desumi potuerunt e libris olim extantibus, & post præstitum opus ad quod destinabantur, ex usu hominum sublatis. Sic Ebr. 12—21. legimus: *Adeo terribile erat, quod videndum se præbuit, ut Moses dixerit, Expavefactus sum & tremebundus. &c.* nullibi enim legimus illa verba, & Moses videtur ab omni timore securus in Sinai, cum populum trementem confirmaret, diceretque, *Nolite timere; Deus enim probat vos*, Exod. 20—19. Quin Judæi volunt intrepiditatem fuisse propriam ejus prærogativam. Unde Maimonides *Jad chaz. part. 1. Hal jesoude thora cap. 7.* כל הנביאים יראים ונבהלים ומתמוגגים ומושה רבינו אינו כן הוא שהכתוב אומ׳ כאשר ידבר איש אל רעהו *Omnes prophetæ timentes, perturbati, & deficientes erant: non sic Moses, dicente scriptura colloquutum eum cum Deo, ut homo cum amico suo. &c.* Oportet igitur, ut Apostolus hæc verba legerit in libro fide dignissimo, & tunc inter Ebræos celebri. Sed ut ad scripta Mose vetustiora revertar: Alexander Polyhistor ex Beroso refert nescio quod monstrum Ὠάννην nomine e mari rubro emersisse, cum pedibus humanis, & capite humanum sermonem edente, quamvis reliquum corpus piscem referret: hoc autem monstrum literas, disciplinas, agriculturam, & varia circa mores præcepta docuisse homines, atque etiam de originibus, & vitæ regimine libros scripsisse. Si quid veri in hac fabula, Noachum repræsentat, qui pisci assimilatur, quia diu vixit in aquis quæ suffocarunt totum hominum & animalium genus, & feliciter ad optatum portum enatavit, ubi artium & scientiarum restaurationem adortus est. Idem auctor innumeras historias diluvio etiam antiquiores refert. Abydenus autem vult Noachum divisisse inter filios tres totum terrarum orbem, scriptoque testamento hanc partitionem confirmasse, sigillo munivisse, & Semo morientem custodiendam tradidisse. Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. facit mentionem *Scripturæ Cham*, *Apocalypsis Abrahami*, & Judæi volunt librum *Jetsira* ab Abrahamo compositum fuisse, atque in Bibliotheca patrum habemus testamentum Patriarcharum; sed hi libri suppositi sunt, & ab hæreticis conscripti. Verum extra omnem contentionis aleam sunt plurimi psalmi, de quibus sic R.D.Kimchi præfat. in Psal. Dixerunt sapientes nostri quod David composuit suum Psalterium partim ex operibus decem virorum, qui sunt Adam primus, Melchisedec, Abraham, Asaph,

Eman, Jedutun, Moſes, & tres filii Core, Aſio, Elcana, & Abcaſaph; volunt dicere eos decem ceciniſſe pſalmos eorum nominibus inſcriptos: nam אמרו כי מזמור שיר ליום השבת אדם הראשו אמרו שנברא בערב שבת ובשבת השכב ואמר מזמור שיר ליום השבת *dicunt, quod pſalmus, qui inſcribitur Canticum in die ſabbati,* (Pſ. 92.) *conditus eſt ab Adamo primo*, quia creatus in veſpera ſabbati ſurrexit primo mane & cecinit illud canticum in honorem ſabbati: dicunt etiam Ethan Iſrahitam eſſe Abrahamum patrem noſtrum: inſuper dicunt, quod pſalmum incipientem *Dixit dominus domino meo* (110) cantavit Melchiſedec. Hi autem Moſe ſunt antiquiores. Ex his omnibus ſaltem colligimus, veteribus perſuaſiſſimum fuiſſe, literas, ſcripturam, libroſque ſtatim a mundi exordio fuiſſe, cum freti hac perſuaſione tot libros compoſuerint ad ſuſtentanda ſua deliria. Mitto libros a Sibylla Noachi filia & nuru ſcriptos, cum omnem eorum fidem funditus poſſumdederit poſt Blondellum Doctiſſ. Gallæus in eximiis ſuis de Sibyllis diſſertationibus. Itaque cum olim fuerint, & ipſo Moſis tempore conſervari potuerint libri primæva lingua ſcripti, non potuit Moſes primæva nomina abolere, & nova ſignificationibus eorum accommodata ex Ebræa lingua protrudere.

Sed quid argumentis opus eſt? ipſe Moſes omnem ſuper hac re aufert dubitandi ſuſpicionem: nam nova nomina ab antiquis ſedulo diſtinguit neque lectori ea exponit, antequam ipſum monuerit pro antiquis non eſſe habenda. Sic Gen. 14—7. monet *En-miſphat* dictum antea *Kades*. 13-2. *Kiriath-arba* poſtea nuncupari *Hebron*. 28-19. *Luz* a Jacobo accepiſſe nomen *Bethel*. 35-19. *Bethlehem* eſſe antiquorum *Ephrat*. Sane qui adeo religioſus fuit, ut nomina a Patriarchis impoſita ſedulo diſtingueret ab antiquoribus, etſi nulla ratio diligentiam illam magis exigeret, ille non potuit primæva a Deo aut Adamo adhuc innocente ſapientiſſime impoſita invido ſilentio ſupprimere, ut nova a ſe conficta ſupponeret, perſonatoſque in hiſtoria vera & divinæ veritatis norma homines dumtaxat exhiberet.

Exemplum Apoſtolorum, qui eodem ſpiritu acti fuerunt quo Moſes, poteſt totam decidere quæſtionem. Sibi enim non permiſerunt nomina Græca Ebraicis ſubſtituere, quando Ebraice prolata ſcribunt ab illis quos loquentes introducunt. Sic Matthæus teſtatur filium Dei dictum *Jeſum* 1-21. Potuit Græce *Σωτῆρα*, *Salvatorem* dicere, ſed mavult Ebræam

vocem

vocem interpretari, ſcribendo, quod *debebat ſalvare populum ſuum.* Sic verſ. 23. ſervat vocem prophetæ Ἐμμανουήλ, contentus expoſuiſſe per *Deum nobiſcum.* Sic Joan. 11-16. nomine proprio Ebraice *Thomam* nuncupat, & Δίδυμον, *Gemellum.* ſic ſolent dici liberi qui uno partu eduntur. Marcus ſimiliter refert Jacobum & Joannem dictos *Boanerges* & exponit *Filios tonitrui* 3-17. Sic Marc. 7. 11. *Corban* interpretatur *Donum*: Joannes *Meſſiam*, & interpretatur *Chriſtum*, ſive unctum 1-41. & verſ. ſeq. *Cephas*, *Petrum.* Marcus *Abba*, *Patrem* 14-36. Imo maluerunt propria inter ipſos nomina abſque interpretatione nobis exhibere, quam in alienam linguam ea transferre, ut *Mammona* Matt. 6-24. *Beel-zebul* 10-25. *Bar-Jona* 16-16. *Bethania* 21-17. *Hoſanna* 21-9. *&c. Eli Eli lama ſabacthani* 27-46. *Talitha cumi* Marc. 5-41. integræ expreſſiones referuntur cum interpretatione ſua, nempe hæc, *Puella ſurge*; illa, *Deus mi, Deus mi, cur me deſeruiſti?* Ob quam quæſo rationem hæ integræ expreſſiones, atque hæc verba, aliaque nonnulla referuntur eo modo quo prolata fuerant? proculdubio quia id Apoſtolis viſum eſt pertinere ad relationis ſinceritatem, & ad majorem etiam illuſtrationem, quia illa genuina verba vim peculiarem habere conſtat. Eadem igitur Moſi fuit mens: primas Dei hominumque voces fideliter retulit, ut prolatæ fuerant. Hinc tantam vim etiam habent, atque tantam cum rebus ſignificatis, ut demonſtratum eſt, convenientiam obtinere perhibentur; quæ vis & convenientia evaneſcerent, ſi in aliam linguam illa verba fuiſſent converſa. Quamobrem ne deciperemur nimium his verbis tribuendo, admonuiſſet Moſes. Quotusquiſque enim eſt, qui divina eſſe non exiſtimaverit, & a Deo auctore inſtituta? S. Hieronymus modo aſſerebat linguam Ebræam iis conſtantem cæterarum eſſe matricem: Tertullianus in Apologetico Ebræorum *literas proprias* dicit, cæteras exiſtimans ab earum imitatione exortas: Origenes in Numer. 8. ab Adamo eas ad Ebræos perveniſſe teſtatur, cum ea quibus cæteræ gentes utuntur, ab angelis ipſis præpoſitis originem duxerint; Ebræi vero a Deo in peculium electi primas ab eo formatas conſtanter conſervaverint. Ipſi Ebræi autem linguam Ebræam propterea לְשׁוֹן הַנִּצֶּרֶת וּבְלוּאָה *linguam formatam & creatam* nuncupant, quod Deum illius auctorem credant, exiſtimentque Adamum non uſu, ſtudio, aut induſtria ſua illam ſibi comparaſſe, ſed Deo infundente obtinuiſſe; quod etiam colligunt ex Gen. 2-7. ubi legimus Deum in faciem ejus inſpiraſſe ſpiritum

ritum vitalem, factumque fuisse לְנֶפֶשׁ חַיָּה, *in animam viventem*, quia Jonathan & Onkelos in suis Paraphrasibus Chaldaicis reddunt לְרוּחַ מְמַלְלָא, *in spiritum loquentem*, persuasi linguam Ebræam rationis homini infusæ fuisse appendicem. Eo etiam referunt Eccles. 1-16. *Dixi in corde meo* & Prov. 16-1. *a Domino est responsum linguæ. &c.* Expressiora sunt Uzielidis & Paraphrastæ Hierosolymitani hæc verba in Gen. 11--11. ubi agitur de lingua omnibus hominibus initio communi בְּלִישַׁן קוּדְשָׁה הֲווֹ מְמַלְלִין דְּאִתְבְּרִיָא בֵיהּ עָלְמָא מִן שֵׁירוּיָא:, *Lingua sancta loquebantur, qua creatus est mundus ab initio.* & ibidem Bagnal Haturim ex ipso textu id elicit observando quod שָׂפָה אֶחָת, *labium unum*, בגמטריא לשון הקדש, *per gematriam est lingua sancta*; nempe voces Ebraicæ *labium unum* significantes numerice valent 794, & quæ *linguam sanctam* designant eumdem conficiunt numerum cum superaddita unitate, qua Deum sanctæ linguæ auctorem volunt significari. Notum autem numerorum convenientiam constituere unum ex diversis argumentandi modis inter Rabinos usitatis.

Expedit observare ad demonstrandum Mosem a fingendis nominibus, quibus Ebraice significaret antiqua, adeo fuisse alienum, ut nominibus suo ævo usitatis noluerit uti ad designandos menses quorum in historia diluvii fecit mentionem; sed maluerit ordine suo eos numerare, quia forsan illa nomina nondum fuerant in usum recepta. Mensem enim *primum*, *secundum*, *decimumque* dumtaxat designat; at de ævo suo scribens Exod. 13—4. mensem *Abib*, quo Israelitæ egressi sunt ex Ægypto commemorat, qui sic vocabatur, quia spicæ novæque fruges incipiebant tum maturescere. ejusdem mensis fit mentio Deut. 16-1. Sic 1. Reg. 8-2. habemus mensem *Ethanim* a vigore & virium maturitate sic nuncupatum, quia segetes ad maturitatem deducebat: hinc in eo *festum collectionis* ob absolutam messem celebrabant Israelitæ Exod. 34--22. Quamobrem cum illustriss. Scaliger lib. 1. de Emend. temp. scribit, *Mensium nomina in antiqua Ebraici anni forma, nulla fuerunt*, videtur de prima antiquitate intelligendus, & non de Mosis seculo. Qui nomina initio rerum a Deo immediate imposita mutasset Moses, qui ne quidem adhibere ausus est ea, quæ postea ad accuratiorem distinctionem prudenter inventa sunt?

Addam addictissimum genuinæ rerum discriptioni Mosem ne quidem prophana nomina voluisse mutare *Ogi*, *Sehonis*, *Pharaonis*, *Potipharis. &c.*

ris. &c. quique conſervare etiam voluit Ægyptium Joſephi nomen *Tſaphenath-pagnaneah*, quod ab Ebræa lenitate alieniſſimum eſt, & futurorum eventuum declaratorem ſignificat.

Hactenus produximus argumenta aliquatenus externa; nunc intrinſecam Ebrææ linguæ dignitatem convenit promere, quia noſtro propoſito etiam favet. Eximia inter cæteras ejus dotes eminet ſimplicitas, quæ principi linguæ apprime convenit; prima enim principia debent eſſe ſimpliciſſima. Jamvero conſtare debet linguam Ebræam eſſe ſimpliciſſimam, nam maxima pars vocum Ebræarum tribus dumtaxat literis radicalibus conſtat; & tres illæ literæ, quæ ejus radices ſolent conſtituere, duas tantum ſyllabas conſtituunt. Hæc ſimplicitas quidem in vicinis linguis orientalibus paſſim occurrit, non tamen ita frequens; & Arabica ipſa in vocibus ab Ebræis acceptis ſolet vocales conſonantibus exæquare, ut trilitera ejus verba ſint etiam triſyllabat. Non amat etiam diverſa in unum conjungere verba, & pauciſſima nomina compoſita habet. Nihil ſimplicius etiam ſtilo ejus, qui majeſtate rerum dumtaxat aſſurgit: unde licet Longinus ſublimitatem ideæ, quam hæc Moſis verba ingenerant, Dixit Deus, *Sit & factum eſt*, merito admiretur; non potuerunt tamen ſimpliciora verba adhiberi, ſed per mirabilem illam ſimplicitatem auguſta Creatoris majeſtas & omnipotentia ſplendidius effulgent, quam ſi longa ſeſquipedalium verborum ſtrues arte oratoria erigeretur. Nempe fucis non eget nativus decor, & ars ſupervacua eſt, cum agitur de rebus illuſtriſſimis, quarum ſplendor immenſus non potuiſſet capi, niſi divinus illarum auctor ingenua ſimplicitate eum curaviſſet temperari.

Attamen cum neceſſariæ ſunt compoſitiones ad multiplices ſenſus exigua unius vocis capacitate coercendos, nulla lingua efficacius hac noſtra id præſtat, ut patet nomine *Abraham*: nam אַב־רַב־הָמוֹן, *Ab-rab-hamon*, eſt *pater, magnæ multitudinis gentium*; eoque non tantum deſignatur ampliſſima Iſraelitarum gens ab ipſo ſecundum naturæ legem exorta, ſed omnes totius orbis gentes per fidem fœderis ipſius participes, gratiæ beneficio fidei illius imitationem naturali generationi etiam præferentis. Sic Jacob dictus eſt יִשְׂרָאֵל, *Iſrael*, quaſi אִישׁ־שַׂר־אֵל, *Is-ſar-el*, *vir prævalens Deo*, ſecundum hæc illius verba: *Non ulterius dicetur nomen tuum Jacob, verum Iſrael, quoniam* שָׂרִיתָ, *ſarita*, *prævaluiſti cum Deo*, Genes. 32-28. Sic Meſſias dici debuit *Emanuel* Jeſ. 7—14. quaſi עִם־נוּ־אֵל, *Imanuel, cum nobis*

nobis Deus, quo manifeste significatur intima personæ divinæ cum humana conjunctio ad nostram cum Deo reconciliationem necessaria. Tot & tanta mysteria in aliis linguis nomina non comprehendunt trisyllabica.

Neque mirum, si composita nomina mysteriis quodammodo turgere agnoscantur; simplicissima enim plurima etiam valent exhibere. Verbi gratia dictus *Jacob* ab עָקֵב, *akeb*, *calcaneus*, quia manu tenebat fratris sui calcaneum erumpendo in lucem, sicque videbatur in ipso matris utero pugnam cum ipso civisse ad designandum naturale dissidium intercedere inter electos & reprobos, quorum typi Jacob & Esau assignantur Rom. 11—13. Hoc modo etiam videbatur jus primogenituræ disputare Esavo, qui quidem primus pulsavit limina vitæ, sed illa totus non pertransit, antequam manum Jacob emisisset, ita ut conjuncti prodierint. Unde pergentes postea contendere de jure primogenituræ, tandem integrum obtinuit illud Jacob, partim spontanea fratris venditione, partim patris benedictione; sed quia utramque non sine astu obtinuerat; ipse Esau vult nomen Jacobi illud portendisse dicendo: *Merito vocatum est nomen ejus Jacob* יַעְקְבֵנִי, *jakeveni: supplantavit me enim jam duabus vicibus*, Gen. 27—36. Nempe certo quodam pedum nexu luctatores solebant detinere adversarios, ut eos dejiciendo in terram superarent, quod a plantis detentis *supplantare* dixerunt, & præmonstravit Jacob detento fratris calcaneo. Ominosum similiter fuit Benjaminis nomen. Mater illum vocaverat *Benoni*, nempe בֶּן־אוֹנִי, est *filius doloris mei*, quia eo ipso dolore, quo eum emisit in lucem, ipsa obiit; at patri consultius visum nomine prorogare memoriam conservationis pueri, quam obitus matris. Hinc *Benjamin* nuncupavit, quia בֶּן־יָמִין, *filius dextra*, fausta omnia pollicetur: sinistra enim & læva infausta habebantur. Revera tam inopinata infantis conservatio felix fuit. Felix ipse postea fuit ob numerosissimam præ cæteris prosapiam; felix fuit ob augustiorem templi partem in ejus ditione constitutam, unde Thalmudistæ שכינה בחלקו רבנימין, *Divina præsentia fuit in sorte Benjamin*. Felix fuit in constanti tribus suæ cum Judæ tribu adhæsione: tardiorem enim captivitatem expertus est, & breviorem etiam, quoniam plurimi Benjamitæ cum Judæis Babylone redierunt, & patriam cum libertate recuperarunt. Quin illustrem typum Jesu Christi egit, qui primo fuit *Benoni*, *filius doloris*, ærumnosam ducendo vitam, atque illam inter cruciatus & crucis ignominiam abjicien-

jiciendo; poſtea vero reſurgens, & cæleſtem regiam petens, ſedit gloria & honore coronatus ad dexteram patris, evaſitque *Benjamin*, *filius dextræ*. Imo quia agnus Dei habuit etiam quendam reſpectum ad Benjaminum filium Rachelis, quia רָחֵל, *ovis*. Finem non facerem, ſi myſteria in nominibus Ebraicis ob divinam illius linguæ energiam latentia promere vellem. *Joſua* enim Moſis ſucceſſor ſic dictus eſt, id eſt, *ſalvator*, quia ſalvum Dei populum deduxit in Chananitidem cæleſtis patriæ figuram, & poſſidendam illis dedit. *Samſon* ſive *ſol parvus* conveniantiſſime nuncupatur, quia Iſraelitas denſis duræ ſervitutis calamitatibus obrutos variis victoriis illuſtravit, in certamque ſpem erexit ſolem juſtitiæ, cujus luminibus officere hoſtes non poſſent, tandem oriturum, eumque ſalvifica luce omnes illuſtraturum gentes, & ſempiternam libertatem conceſſurum. *David. i.e. dilectus* præ cæteris Deo, innumeris exagitatus eſt calamitatibus, ut pateat Deum corripere quos impenſius amat Apoc. 3—19. & conſequenter conveniſſe, ut noſtræ ſaluti, ſic conſuetudini divinæ, filium Dei dilectiſſimum afflictionibus conſecrari, Ebr. 2—10. *Salomo. i.e. pacificus*, & *perfectus*, pacem rerum coluit, eaque ſapienter uſus eſt ad cultum Dei conſtituendum & templum conſtruendum; & deſignavit hac ratione ſapientiam omnibus numeris abſolute perfectam, quæ ſuam domum condidit Prov. 9--1. Chriſtum, inquam, qui *pax noſtra* Eph. 2-14. pacis noſtræ cum patre conciliator Rom. 5-1. & univerſalis pacis auctor Luc. 2-14. quique Eccleſiæ fundamentum eſt 1. Cor. 3-11. & domus illius ſpiritualis conditor Ebr. 3-3. Scrutentur ingenioſiſſimi & acutiſſimi doctores cæterarum linguarum nomina, & videant, an poſſint ſimilia invenire his quæ in Ebræa obvia ſunt.

Denique verba vulgaria, & ad res omnibus gentibus communes deſignandas inſtituta, in Ebræa continent præter vulgarem ſenſum peculiaria documenta moribus reformandis idonea. Sic verbo activo Ebræi non utuntur ad ſignificandam juramenti præſtationem, ſed paſſivo, ut unicuique innoteſcat illicitum jurare ei, qui ad præſtandum juramentum non adigitur, iiſque dumtaxat id licitum, qui adjurati ab iis, qui jus habent, veritati cognitæ ſuum præbere teſtimonium tenentur. Sic נָסָה, *tentare*, ſecundum Judæorum obſervationem formatur a נֵס, *vexillum*, quod tentationes, quæ exitium videntur minari, ſoleant fideles ſurſum erigere, ut vexilla, quæ viam ad victorias & triumphos ſecu-

curam pandunt. Sic Abraham, qui dux & pater omnium fidelium, sua tentatione evasit; & Jobus, ruinis, stragibus, & omnigenis calamitatibus exercitus absolutissimum patientiæ exemplar ab omnibus seculis meruit haberi.

At non feliciter exprimit nomen Dei unius voce plurali אֱלֹהִים. Scio illud nomen minime placere iis qui unicam in Deo personam agnoscunt, quia quamdam pluralitatem videtur saltem designare. Verum præstantiæ hujus linguæ, quoquo modo capiatur, minime officit, quia nobiliores linguæ nominibus terminatione pluralibus ad res singulares significandas passim utuntur, & hoc nomen plurale verbo singulari etiam junctum unitatem divinæ essentiæ sic convenienter exhibet, atque simul excitat mentem ad Trinitatem divinarum personarum considerandam.

Quidquid sit, inquiunt, pauperrima est lingua Ebræa, & quantumvis pretium vocabulis ejus concedatur, exiguam summam conficiet, cum vix duo millia possit suppeditare: quare tantum abest, ut de primatu debeat contendere, ut cæteris cedere teneatur. Fatemur ad paucissimas voces linguam sanctam redactam fuisse ab eo tempore, quo in usu esse desiit, quia unus Veteris Testamenti liber eas omnes continet; & forsan non pauciores suppeditaret Arabica ad unius cameli usum, sive ad ejus ætates, morbos, alimenta, clamores, supellectilemque exprimendam destinatas, quia in his supra fidem luxuriat. Attamen Ebræa in extrema sua inopia cæterarum opulentiam facile superat, & illustres ejus reliquiæ tot populationum, calamitatum, & exiliorum victrices incomparabilem ejus gloriam olim fuisse luculenter demonstrant. Adhuc enim præpollet verbis aptissimis ad incomprehensibilia divinæ sapientiæ arcana ornate & magnifice exprimenda: nempe plurimæ unicuique vocabulo insunt significationes, eæque sibi ipsis ita invicem subordinatæ, ut ne minimam quidem pariant confusionem, sed contra sibi mutuo hac subordinatione ingentem affulgeant lucem. Sit in exemplum בֵּן, *ben*, *filius*, cum secundum consanguinitatis & affinitatis gradum constituat, merito incipit a secunda alphabethi litera, ut אָב, *ab*, *pater*, a prima incipit; & utrumque illud nomen merito est monosyllabicum, ut facilius hoc pronuncient, & illud percipiant infantes. Hinc quia ex בֵּן, *ben*, regulariter formatur בְּנָה, *bena*, vel בְּנֶת, *benet*, *filia*, per contractionem fit בַּת, *bat*, ut ob eamdem rationem faciliorem sua brevitate præbeat sonum; unde nunc etiam propria contrahi solent infantum nomina. Cum

autem

autem adoptio imitetur naturam, & liberos ſterilibus lege concedente dare valeat, hi aſcititii infantes בָּנִים, *filii*, etiam nomine cum naturalibus communi dicuntur. Sic 2. Sam. 21—8. legimus a Davide Gabaonitis traditos, ad Saulis perjurium expiandum, duos ejus liberos, & tres liberos Michalis ejus filiæ, quæ ſterilis fuit, & liberos ad diem mortis ſuæ i.e. nunquam habuit. 2. Sam. 6-23. Hos igitur ex ſorore Merobe, & Adriele marito ſuſceptos adoptavit, & materno amore proſequuta eſt; unde mater habita, & ipſi viciſſim ejus liberi dicti. Educatio etiam, & proba inſtitutio mentem hominis præcipuam partem formant, & ſibi, ut parentes corpora, eam aſſimilant; quare diſcipuli præceptorum ſimiliter eorum *filii* dicuntur. Hinc toties de filiis prophetarum mentio fit 1. Reg.20-35. 2.Reg.2-3. & paſſim; atque hoc ſenſu trecentos octodecim homines *domi ſuæ natos*, ſive diſcipulos Abrahamum armaſſe volunt Ebræi Gen. 14-14. Huicque convenientiſſimæ expreſſioni minime adverſatur Chriſtus prohibendo in Phariſæis patris nomen, quod ſupponunt diſcipuli, cum filii dicuntur Matt. 23-9. Quod patet ipſa ratione adhibita: *quia unus Deus eſt omnium pater.* Oſtendit enim exceſſum auctoritatis ad divinam proxime aſſurgentis dumtaxat interdici, quemadmodum abſoluta juramentorum interdictio *Ne jurate omnino*, Matth. 5-14. reſtringenda eſt ſecundum eorumdem Phariſæorum ſenſum, qui licita juramenta docebant abſque gravi neceſſitate. Sic, id eſt, abſque neceſſitate omnino interdicta declarat Chriſtus, & eodem modo declarat etiam interdictum patris & filiorum conſequenter nomen eo ſenſu quo illud iidem Phariſæi affectabant. Unde Paulus Ebræorum mori ſuffragatur his verbis Galatas alloquutus: *Filioli* mei quos iterum parturio, Gal. 4-19. & S. Johannes etiam paſſim. Reges & magiſtratus paternæ auctoritatis ſpeciem gerentes erga ſubditos, patres habentur; & ſubditi utique vocantur filii, ut Achaz 2. Reg. 16-7. ſe *filium* profitetur regis Aſſyriorum, id eſt, ſubditum & ad omnia obſequia paratum. Vox בֵּן intra tot ſignificationum ambitum nondum conſiſtit; ſed quia filii eorumdem parentum ſolent familiari ſocietate conjungi, hinc *ſodales* & *amicos* etiam ſignificat: unde Eccleſia Cant. 2-3. ſponſum ſuum dicit eminere inter *filios. i.e.* inter ſoldales. Denique quia *filii* eorumdem parentum jure hæreditario eadem bona obtinere ſolent, aut iiſdem calamitatibus origini ſuæ annexis ſunt expoſiti, hinc ſervituti obnoxii dicuntur *filii captivitatis*, Dan.6-13. ſupplicio deſtinati, *filii mortis*, Pſ.102-21. ærumnoſi, *filii afflictio-*

nis, Prov. 31-5. plagiarius, *filius plagarum*, sive ut LXX, ἄξιος πληγῶν, Deut. 25-2. pigri, *filii ignaviæ*, Jes. 14-12. Sic *filii Belial*, Deut. 13-13. Contra potentes, *filii roboris*, 2. Chron. 28-6. fœderati, *filii fœderis*, Ezech. 30-5. Innumeræ sunt tales expressiones. Præterea בן, *filius*, ad bruta animalia ob similem generandi modum etiam transfertur; nam vitulus dicitur *filius bovis*, Levit. 1-5. columbulus, *columbæ filius*, ibid. 15. pullus asininus, *filius asinæ*, Gen. 49-11. & *filii aquilæ*, ejus pulli, Prov. 30-17. &c. Ad inanimata etiam extenditur filii nomen. Hinc rami arborum *filii*, quia ab ipsis oriuntur, Gen. 49-22. Imo ad quævis hominum imitamenta: sic pagi dicuntur magnarum *urbium filii*, 1. Chron. 7-28. sagittæ, *filiæ pharetræ*, Thren. 3-13. & *filiæ arcus*, Job. 41-26. quia ex ea educuntur; ut contra sagittis comparantur liberi, Ps. 127-4. triticum, *filius areæ*, in qua e palea, ut ex utero materno, excutitur, Jes. 21-10. & tres stellæ sequentes ursam polarem, ejus *filiæ*, Job 38-32. Idque dignius observari quod hanc constellationem non ursam vocent, sed *feretrum* ex quatuor stellis in quadram dispositis compositum: quare tres illæ stellæ quasi funeris comites debent considerari. *Filiæ cantus* etiam voces ad modos musicos eruditæ. Quia etiam tempore comparamus vires, industriam, & scientias, quasi ab eo quodammodo in statum perfectum produceremur, dicimur *filii mensis*, Num. 3-15. & seq. *filii anni*, Exod. 29-38. & ricinus Jonæ dicitur *filius noctis*, Jon. 4-11. Quin clivus uberrimus dicitur *filius olei*, Jes. 5-1. quia oleum est pinguissimum, & videbatur ille clivus quasi ex oleosa scaturigine diffluere. Mitto patriam genuisse etiam suos colonos secundum illam linguam, & *filios orientis* & aliarum regionum passim inveniri, atque ipsa S. Spiritus dona dici *filios oleæ*, Zach. 4-13. quia oleo in unctionibus solebant designari. Tot editis significationibus nondum effætum est monosyllabicum בן, verum ascita altera syllaba fit verbum בנה, *bana*, & significat *parere liberos*, aut procreare: sic Rachel, & Lea בָּנוּ, *partis liberis* constituerunt Israelis domum Ruth. 4-11. & Sara rogat Abrahamum, ut utatur ancilla sua, dicendo: Forte ejus opera אִבָּנֶה, *suscipiam liberos*, secundum Vulgatam, & secundum LXX, τεκνοποιήσωμαι, *liberorum procreatrix ero*. sic Rachel Gen. 30-3. Jamvero quia liberi sunt familiarum bases & ornamenta, hinc idem verbum insuper significat *prosperitate frui*, & contra omnes calamitatum insultus stabiliri, ut Job. 22-23. *Si revertaris usque ad omnipotentem, stabili prosperitate frueris.* Eva ex Adami latere desumpta, & ad speciem Adami filiæ instar

cor-

conformata a Deo dicitur, unde Moses, יִּבֶן, *formavit*, eam Deus, Gen. 2-22. Ut autem liberi prima & naturalis parentum productio, sic aucta liberis familia opus habuit ædificiis, ut protegerentur contra aeris & infestorum animalium injurias, quas parentes robustiores aliquandiu in antris perferre, atque propulsare potuerant. Quamobrem idem verbum passim significat *ædificare domos*. Quin domus & ædificia manifestum ad homines respectum habent: ut enim humanum corpus solidis pedum fulcris sustentatur, variis constat regionibus ac receptaculis, atque ad animæ hospitium destinatur; sic domus diversas habent contignationes, validis innituntur fundamentis, & in iis habitamus, *ut in matris habitavimus alvo*, ut cum Ovidio loquar. Denique, ne in his diutius hæream, quemadmodum in liberis varia parentum indicia, sic artificum industria in omnibus eorum operibus solet animadverti, & propterea idem verbum generaliter *operari*, *perficere*, & *exornare* significat. Ex hoc specimine licet de cæteris vocabulis judicare atque colligere, quomodo pauca hoc ordine rerum naturæ convenienti extensa non tantum omnigenas cogitationes exprimere, sed etiam ornate & perspicue illustrare valeant. Hinc nomina rebus singulis idonea cunctis animalibus promptissime imposuit Adamus, qui inspiratione divina linguam illam cum omnibus suis proprietatibus, & gradationibus earum perfecte noverat. Sic enim res cognosci debent, & ipse Adamus præstantissimis innocentiæ primigeniæ dotibus fulgens pedetentim res capiebat, & eodem ordine quo significationes nominum a propriis ad adjunctas metaphoricas extenduntur, procedebat, sanctæque linguæ genium ipsius capacitati accommodabat, &, cum certa serie res omnes sic exprimeret, nullam pariebat confusionem.

Id patet ipso essentiali Dei nomine, quod inter primævæ linguæ argumenta non debet prætermitti: nomen enim illud, quod piaculum fuisset Mosi in aliud permutare, & cæteri post ipsum interpretes religiose retinuerunt, aut per summam dominii majestatem, ut LXX, designaverunt, constat tribus syllabis & tribus diversis literis quæ tria temporis discrimina præclare exhibent, nempe יְ futuri, הֹ præsentis, & וָה præteriti indicia: ad significandum magnum illum יְהֹוָה unum essentia, in tribus personis, frui immutabili æternitate, atque expertem revolutionum, quæ sæcula comitantur, illas constanter moderari. Incomprehensibilem hanc in eodem statu permanentiam S. Joannes Apostolus

aliquo modo aſſequutus ſapientiſſima circumloquutione deſignare ſategit Apoc.1-4.hoc modo : ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui eſt, qui fuit, & qui venturus eſt.* Attamen tot verba licet divinitus diſpoſita infra incomparabilem nominis Ebraici dignitatem conſiſtunt ; nam primo multa ſunt, & ſimpliſſima eſt Dei exiſtentia. 2. ſucceſſio in iis, & copulę ſingulas temporis differentias connectentes animadvertuntur; in divina autem exiſtentia, ut non eſt prius neque poſterius, ſic non eſt adhærentia diverſorum momentorum. 3. *eſt*, *fuit*, *erit*, ad volubile tempus pertinent, & inter ſe differunt ; Dei autem æternitas ne minimam quidem mutationis umbram admittit. Erit ſemper, quod eſt ; & eſt idem, quod fuit ; & illud ipſum, quod fuit, invariabiliter erit inter omnes temporis viciſſitudines. Sed non mirum eſt linguas noſtræ conditioni, & concipiendi modo accommodatas non habere voces divinis dotibus convenientes. Licet exinde dumtaxat colligere divinam eſſe Ebræam, divinituſque inſtitutam, cum eas convenientius quam cæteræ omnes, & inimitabiliter valeat adumbrare.

Quid ſi dicamus voces Ebraicas cæteris linguis permixtas dignitatem illius linguæ declarare, cum ob præſtantiam dumtaxat debuerint conſervari, & aliis affinibus præferri. Sane eo nos etiam videtur deducere Adverſariorum ſententia : agnoſcunt enim non exiguam vocum copiam ex perfectiſſima linguæ primævæ plenitudine ſuperſtitem permanere in omnibus linguis. Patet enim in omnibus linguis plurimas permanere voces ex Ebraica plenitudine, quod confirmat S. Hieronymus in Jeſ. 7. vocibus *alma*, φερεῖον *ſive ferculum*, *nugæ*, *& menſura*, quæ ab Ebræis עלמה אפריון' נוגי' מסורה originem ducunt, atque innumeris ſimilibus poſſet confirmari. Unde enim ad illas linguas hæ voces perveniſſent ? non ſane e commerciis, quæ Judæi cum alienigenis exercere non potuerunt. Lex enim Judæos patriæ ſuæ affixos tenebat ob feſta, oblationes, purificationes, alioſque ritus, qui extra eam non poterant obſervari : cibi etiam ipſis prohibiti, & pollutionum idololatriæque metus minime concedebant cum gentibus conſuetudinem. Gentes viciſſim eorum conſuetudinem averſabantur, eoſque ut impios deorum contemptores infenſiſſimo proſequebantur odio. Sic permutare propria vocabula inter ſe non potuerunt, & niſi Ebræa ab exordio omnibus gentibus fuiſſet communis, Ebraica vocabula nullæ gentes admiſiſſent. Præterea ipſo illorum vocabulorum, quæ communia linguis cæ-

cæteris perhibentur, accurato examine comprobatur, illa revera esse Ebraica. Quapropter cum præcedentibus observationibus ad omnem inopiæ suspicionem a lingua Ebræa amovendam concurrunt, & numerosissimam vocum copiam ipsi suppeditant: nam aut origines conservarunt, quas lingua Ebræa sibi vindicat ob derivata vocabula, quæ semper possedit; aut derivata revocat ob radices. Eo ipso enim, quod prima existimatur, jure postliminii tam hæc quam illas potest revocare: idcirco cum Ebraice cæli dicantur שָׁמַיִם & Ebræi hujus vocis radicem non habeant, convenit existimare, quod Arabes suum سما, *altum esse*, ab Ebræis, acceptum teneant, ab eoque שָׁמַיִם quasi *altissimi* dicantur, quia non potuerunt convenientius denominari; hæcque altitudo, quæ summa repræsentatur, subservit ad illustrandam sublimem Dei descriptionem Psal. 113-6. qua dicitur הַמַּשְׁפִּילִי לִרְאוֹת בַּשָּׁמַיִם, *se humiliare ad perspiciendum quid in cælis agatur*. Nulla siquidem idea sublimior potest formari, cum cæli totius universi culmen constituant. Propterea solent alias absolute dici *excelsa* Jes. 24-18, *cataractæ* ex *excelsis* secundum Vulgatam, at LXX, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *de cælo*. sic Luc. 2-14. Gloria ἐν ὑψίστοις, in *excelsis* Deo, & passim. Contra *camelus* Latinorum, κάμηλος Græcorum, جمل, Arabum, imo omnium linguarum, soli Ebrææ debet concedi, quia hoc animal vocat גָּמָל, a verbo גָּמַל, *retribuere*, quod sic μνησίκακον, & vindictæ cupidissimum. sane verbum illud Joel. 3-4. μνησικακεῖν redditur a LXX Græcis interpretibus. Notissima etiam est ex Aristotele de mirabil. auscult. & ex Æliano de Animal. lib. 3. cap. 47. historia Cameli qui fraude ductoris inscius ad matris coitum irruerat, quo scelere cognito ductorem pedibus obtrivit. Sic nomina illa in aliis linguis extranea sunt, affinia non habent, & arguunt illas esse ex diversis linguis compositas; in Ebræa vero, ut in proprio solo nata, fraternitate cæteris conjunguntur, neque ejus simplicitati ullatenus nocent. unde Ebræi observant dictam שָׂפָה אֶחָת, *labium unum*, quod nulla aliena vocabula admittat.

Virgineus decor his omnibus linguæ Ebrææ dotibus accedit, & clamat divinam esse, utpote quæ purissimi auctoris candorem referat. Non enim casta dumtaxat caste refert, sed illa ipsa quæ ob nefarium hominum abusum quamdam videntur contraxisse labem, circumloqutioni-

tionibus honestissimis solet designare, & turpia vocabula ab usu suo removere satagit; quare Sophonias 3—9. שָׂפָה בְרוּרָה, *labium purum*, illam nuncupat, & nemine repugnante, *lingua sancta*, ob omnibus solet vocari. Talem esse decebat linguam, quam instituit Deus in gratiam hominis innocentis, qua fuerunt edita sacratissima ejus oracula, qua sancti Patriarchæ usi fuerunt, & semper usa est ecclesia ex electis eorum posteris constans, ita ut nullæ clades, nulla exilia, nulla alienigenarum imperia, nullæque dispersiones unquam valuerint illius usum penitus abolere. Si inter promiscuam plebem non semper viguit, saltem inter doctos floruit, & ad sacrum ejus textum, ut ad certissimam divinæ veritatis normam, omnes fideles constanter in dubiis suis sategerunt recurrere. Quod assiduum Dei in illam linguam studium manifeste arguit, videturque polliceri, eam ad ultimum mundi finem esse conservandam, ut ultima ecclesiæ sæcula, sicut prima, pergat illustrare.

Sane nemo in dubium revocare potest, quin præstantissima illa lingua potiorem præstet operam ad Judæos convertendos, cum ipsi sint addictissimi, & ab ipsis etiam impensissime excolatur, postquam recepti in gratiam liberique ab incredulitatis velo sublimia gratiæ mysteria ex intimis prophetarum oraculis eruere poterunt. Quamobrem non videtur improbabile linguam illam tunc cæteris præferendam in illustrissimo Messiæ regno, quod ex Judæis & omnibus gentibus constabit; imo e terris ascendet in cælos, ut inter beatos triumphet de hostibus veritatis qui illi semper fuerunt infensissimi, atque omni ecclesiæ statui accommodetur.

Itaque ad propositum nostrum pertinet paucis declarare, quid super futura hac linguæ Ebrææ gloria tenendum existimemus.

Neminem latet, Prophetas Apostolosque nostros plenam perfectamque Israelitarum omnium conversionem polliceri; atque docere ipsas etiam totius orbis gentes eorum exemplo excitatas idolis suis abjectis religiosum Deo obsequium certatim præstaturas, ut illustrissimum Messiæ imperium ex utraque natione coalescat, tandemque supremum gloriæ suæ fastigium assequatur, & totus terrarum orbis in templum convertatur, quod pietatis officiis totum addicetur, atque suavissimis numinis laudibus ubique personabit.

Felicissimus ille ecclesiæ sub capite suo Messia triumphantis status non

non erit momentaneus ad inſtar humanorum triumphorum, ſed permanere debet per aliquot ſeculorum curricula. Unde Joannes Euangeliſta Apoc. 20. 6, & 7. *mille annorum* futurum dicit, forſitan magis ad ſignificandam ingentem mirabilium eventuum copiam quam exactam felicitatis illius durationem definiendam. Obſervandum tamen millenarium illum numerum ſæpius repeti, atque attribui durationi glorioſi illius regni, cujus pars anticipatam martyrum reſurrectionem ſpectans poterit quidem in cælo adimpleri, ſed altera indubitanter debet fideles cæteros in terra adhuc viventes beare. Quidquid ſit, (nam in rebus occultis ſapere non præſumimus) unanimis tunc erit in eccleſia conſenſus, & omnes fideles in intimam coibunt ſocietatem; una autem lingua multum conferre poteſt ad talem ſocietatem conſenſumque, quod eo ipſo quod divinitus immiſſa eſt linguarum diverſitas ad diſtrahendos ab inita ſocietate homines, luculenter demonſtratur. Jamvero abunde probavimus linguam Ebræam inter cæteras excellere, a Deo inſtitutam, & homini innocenti infuſam, atque ad exprimenda religionis myſteria conſtanter adhibitam, ita ut ſub ipſo Euangelio, cui Græca, utpote omnium gentium & Judæorum etiam communis, aſſignata eſt, decus & auctoritatem conſervaverit. Inde autem ſequitur nullam eſſe linguam quæ primatum ipſi tot rationibus debitum valeat præcipere, præſertim cum adeo ipſi ſint addicti Judæi, ut individuam religionis comitem credant; & præcipui Eccleſiæ Chriſtianæ doctores illam ob præſtantiſſimas dotes plurimi faciant, illamque ad intima fidei myſteria neceſſariam judicent, vix licet dubitare, quin cæteris ſit anteponenda in Meſſiæ regno illuſtri, ſi uni linguæ locus dumtaxat aſſignetur. Ipſa eccleſiæ in priſtinum gloriæ ſtatum reſtauratio linguam illam inprimis requirit, quoniam ſola obtinebat ab initio, & ejus innocentiæ erat ornamentum. Supereſſet itaque priſtinæ cladis triſte veſtigium, ſi alia lingua, quam primæva, adhiberetur, cum omnes ſuam Babylonicæ rebellioni debeant originem. Quamobrem ſapientes Ebræorum firmiſſime tenent quod: לעתיד לבא הכל מתרפאים חוץ שנחש וגבעוני, *Tempore futuro omnia ſanabuntur præter Serpentem & Gabaonitas*, ut loquitur R. Levi in bereſ. rab. paraſ. 20. Plaga igitur confuſione linguarum inflicta etiam ſananda eſt, & ne cicatrix remaneat, illæ linguæ in pœnam immiſſæ abolendæ ſunt, ut vacuum quem occuparunt locum, ſoli primævæ, quemadmodum in rerum exordio, occupandum relinquant. Sane id

id persuasum habuerunt antiqui Persarum philosophi, qui omnia quæ prostant in mundo bona oriri ab Oromaze, ut omnia mala ab Arimane; atque cuncta tandem in felicem statum restauranda post Arimanem cum asseclis pessumdatum, ut tunc omnes homines una sola utentes lingua vitam beatam ab omnibus calamitatibus expertem agant, docuerunt, teste Clariss. Th. Stanley in erudito opere de Antiq. Philosophis. Sufficeret addere hanc linguam fore primam a Deo datam, & homini innocenti convenientem, quod non videtur posse in dubium revocari: nam sic secundum Sophoniæ prophetiam Deus reducet in *gentes linguam puram* 3-9. & omnes invocabunt יְהוָה Deum hoc ipso nomine ejus Ebraico, & consequenter Ebræa lingua utentur. Propterea Zacharias 14-9. affirmat, quod tunc erit unus Deus in terra, & *unum ejus nomen*, illud nempe quod cæteræ linguæ nequeunt exprimere. Eodem tendit Jesaias dicendo, quod felici illo tempore quinque civitates in Ægypto loquentur lingua Chanaan 19-18. Vidimus enim linguam Ebræam dici Chananæam, quia sola in Chananitide subjugatis ejus incolis obtinuit. Libentissime autem a cæteris gentibus suscipietur, si Ægyptiis gentis Judaicæ hostibus infensissimus grata acceptaque reddatur. Hæc testimonia rationibus non contemnendis suffulta videntur patrocinari illis qui magno numero propugnant solam Ebræam linguam in usu fore, cum totum terrarum orbem Messiæ imperium occupabit. Neque inficior id mihi videri certissimum, si constet Judæam in pristinum decus restituendam, Hierosolymam Messiæ regiam futurum, Judæosque a gentibus singulari splendore distinctos præstantissima divini illius imperii munera administraturos, ut existimasse videtur Justinus Martyr Patrum, quorum scripta pervenerunt ad nos sincera, antiquissimus. Scribit enim in Dialogo suo cum Tryphone Judæo: Ἐγὼ δὲ καὶ εἴ τινές εἰσιν ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα Χριστιανοὶ, καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν γενήσεσθαι ἐπιστάμεθα, καὶ χίλια ἔτη ἐν Ἱερουσαλὴμ οἰκοδομηθείσῃ, καὶ κοσμηθείσῃ, καὶ πλατυνθείσῃ, οἱ προφῆται Ἐζεκιὴλ, καὶ Ἠσαΐας, καὶ οἱ ἄλλοι ὁμολογοῦσιν. *Ego quidem, & quicunque per omnia vere Christiani sunt, & carnis resurrectionem futuram novimus, & mille annos in Hierusalem restaurata, exornata, & dilatata, sicut prophetæ Ezechiel & Esaias, aliique promulgant.* Quod paulo post, ut dogma alte animo suo impressum, repetit his verbis: Ἀνήρ τις ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, εἷς τῶν Ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ, ἐν ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ, χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς τῷ ἡμετέρῳ Χριστῷ πιστεύσαν-

τεύσαντας προεφήτευσε. Vir quidam apud nos, cui nomen Joannes, Apostolorum Christi unus, in revelatione illi exhibita fideles Christi nostri Hierosolymis peracturos esse mille annos prædixit. &c. At in illo capite Apocalypsis, in quo prædicitur mille annorum regnum, nulla fit Hierosolymæ mentio, neque illud regnum in terra peragendum expresse legitur; licetque existimare proprium fore eorum, qui resurgentes cœlum petent, atque primæ illius resurrectionis beneficio ante cæteros fideles beatum illud regnum obtinebunt. Quamobrem certissimum esse existimamus, quod Judæi & cæteri etiam Israelitæ, sive confusi sint cum gentibus, sive distincti, debeant ad Ecclesiæ societatem revocari, ut deinceps nobiscum atque cum cæteris gentibus conjunctissimi unum corpus constituant, absque ulla præcedentis distinctionis nota, quemadmodum Judæi a Christo & Apostolis olim instituti in unum corpus intime coaluerunt: *in Christo enim non est Judæus, neque Græcus; neque servus, neque liber; neque mas, neque fœmina*; sed unum sunt in Christo Jesu. si autem sunt Christi, eo ipso sunt semen Abrahami, ut docetur Gal. 3-28, 29. Nempe insitus fide sua in Christum Abrahamus habetur pater fidelium omnium: hujus autem spiritualis consanguinitatis sub Euangelio dumtaxat habetur ratio, carnales vero prærogativæ, pristinaque sanguinis decora cum carnalibus mandatis & umbris legalibus evanuerunt, ut omnia sint nova in cælis novis atque nova terra, quæ Prophetæ toties prædixerunt. Quapropter Hierosolyma Euangelica iisdem quibus Israelitica finibus non debet circumscribi, sed sua pomœria ad extremos mundi limites extendet; ita tamen ut cum prophanis superstitibus nunquam confundatur, sed templum erit ab omni impietate undique tutum, non cancellis aut inscriptione pollutos dumtaxat arcentibus, verum divinâ ejus structurâ, quæ uni fidei patentem præbebit aditum: *natio justa intrabit* Jes. 26-2. hinc *mœnia ejus vocabuntur Salus & portæ Laus*, 60-18. *totusque populus Justus* 21. Sic constabit solis Judæis omnem soli Deo gloriam deberi *confitentibus*, secundum verum hujus nominis sensum. Sic omnes Messiæ cultores Israelitæ erunt, quia votis, fide, & pietate sua adversam Dei indignationem superabunt, atque benedictionem obtinebunt sempiternam; erunt *regnum sacerdotum* Exod. 19—6. atque omnes circumcisi spirituali illa circumcisione, quæ amovet præputia cordium Jerem. 4—4. jugia mactabunt sacrificia & perennes offerent victimas, nempe laudes, benedictiones, preces, gratiarum actiones, denique

omnigena veræ pietatis testimonia, quæ a prophetis quidem non raro externa sacrificiorum specie exhibentur induta, sed convenienter divino & spirituali Messiæ regno intelligenda sunt; quemadmodum decus ejus regni, prosperitas, & præstantissimæ prærogativæ etiam debent intelligi. Quod optime animadvertit Tertullianus lib. 3. adversus Marcionem, licet ibid. mille annorum regnum celebret: declarat enim exercendum *in civitate divini operis Hierusalem cælo delata, quam & Apostolus matrem nostram sursum designat, & πολίτευμα nostrum, id est, municipatum in cælis esse nuncians, alicui utique cælesti civitati eum deputat. &c.* Itaque poterit Chananitis novis adornari urbibus, campos pristina fœcunditate restituta amænissimos recuperare, & colles suos invita insitarum olearum & gratissimarum arborum copia pedetentim assurgentes iterum intueri: poterunt ipsimet Judæi optatissimis avitæ hujus patriæ deliciis frui, sed cum gentibus in fraternam societatem admissis conjunctim & inaffectate fruentur, atque cæteras fraternarum gentium patrias tanti æstimare, quia cælesti luce & spiritualibus gratiæ donis capti divina dumtaxat anhelabunt, & in ipsis redivivæ Hierosolymæ ulnis ad inæstimabiles supernæ patriæ delicias properare non cessabunt.

Cum intima illa Judæorum & gentium conjunctio evidenter excludat veteres ritus, ceromoniasque olim dumtaxat institutas ad sepem inter eos constituendam, ut Judæi aliquandiu manerent segregati a gentibus tunc a Dei cultu alienis, sic excludenda videtur lingua ipsis propria & pristinam distinctionem revocans; sed convenit ut omnes linguæ religioni certatim consecrentur, & pietatem promoveant, eoque spectat divinum oraculum, quo declaratur Deo inclinatum iri omne genu, & juraturam *omnem linguam* Jes. 45-23. quod his verbis refert Paulus: *Vivo ego dicit Dominus, quod mihi se flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Rom. 14-11. Daniel etiam testatur, quod *omnes populi, nationes, & linguæ ipsum colent. &c.* ubi de Messiæ regno expresse agi testatur Don Josephus Aben Jachia in illum locum Dan. 7—14. Neque linguarum a rebellione ortarum diversitas divino cultui officere potest, quia sub novo fœdere a S. Spiritu Apostolis eas infundente sanctificatæ sunt, & ut olim dispersionem gentium effecerat maledictio, ita nunc benedictio dispersas in pristinam potioremque unitatem revocat. Unde S. Hieronymus in Ps. 45-15. vult diversam linguarum varietatem

cem conſtituere amictum eccleſiæ ibi ob multiplicia ejus inſignia & decora celebratum. Quamobrem nihil cogit unam omnibus gentibus aſſignare linguam; attamen ſi una aſſignaretur, Ebrææ cunctas cedere debere audacter affirmarem.

Eadem mihi eſt ſententia de beatorum eloquio; præclarus erit in glorioſis linguæ uſus, & poterunt beati idioma proprium conſervare, ut linguæ omnes, quæ cultum Dei promoverunt in terra, ejus gloriæ ſint participes in cælis, eumque per totam æternitatem celebrare valeant, ſecundum hæc Davidis verba רוֹמְמוֹת אֵל בִּגְרוֹנָם, *exaltationes Dei erunt in ore eorum*, Pſal. 49-6. quæ Judæi ad commendationem linguæ ſuæ producunt. Lubens igitur agnoſco ſermonem vocalem in uſu inter beatos futurum, linguamque Ebræam eſſe omnibus aliis anteponendam; ſed dubito, an hæ ſint abolendæ, ut ſola ſuperſtes ultima remaneat, ſicut prima a rerum exordio fuit, cum liceat exiſtimare beatos luce divina illuſtratos omnium linguarum fore capaces, nullamque ab ipſis ignorandam.

Abſit tamen ut Judæis contentioſus videar, & obnixe contradicam ſapientiſſimis viris, qui convenire judicant, ut tota eccleſia in unum corpus ſub Chriſto capite ſuo redacta, uno ore ut una mente, & una lingua ut uno ſenſu Deum celebret; atque hac ratione beati a peccato liberi linguam ab omni defectionis ſuſpicione liberam, puram, electam, & a Deo ipſo inſtitutam adhibeant, cum Deus ipſe, Angeli etiam, & Chriſtus ipſe, quamdiu in terris degit, (nam Syriaca proxime ad Ebræam acceſſit) Ebraice ſæpius loquuti fuerint.

Itaque fixum ratumque maneat, quod ſi uni dumtaxat linguæ concedatur in cælis locus, Ebræa illum occupabit, atque perfectas Dei laudes in ſtatu innocentiæ inceptas, & peccati interventu perturbatas, in gloria peccati omniſque corruptelæ victrice magnifice abſolvet, & in æternum continuabit, ſecundum ſententiam plurimorum virorum doctiſſimorum, quorum teſtimonia accurate collegit doctiſſ. Buxtorfius in erudita diſſertatione 3. de linguæ Ebrææ poſt confuſionem conſervatione & propagatione, quæſt. 5.

Finis primæ partis.

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

De antiquissimis & principibus omnium gentium literis.


Uemadmodum ad primam fluminis, licet ingentis & in multiplices alveos divisi, scaturiginem inveniendam, sufficit a quovis alveo incipere retroactum iter, atque per adversas ejus undas constanter remeando ad exorientem ejus cursum procedere; sic a quibusvis literis ad primas possumus pervenire observando earum progressum, & pedetentim repetendo diversos quos habuerunt auctores, donec unus tandem occurrat, qui primus auctor esse manifesto perhibeatur.

Ut autem certum hujus methodi nullis obnoxiæ erroribus experimentum faciamus, ab extremis Europæ nostræ regionibus ducemus initium, & videbimus, unde suas habuerunt literas septemtrionales Gothi, & occidentales Germani, Gallique.

CAPUT II.

Origo literarum a septemtrionalibus & occidentalibus gentibus usurpatarum.


Rito fertur carmine a Petro Crinito primum ante duo circiter secula evulgato in suis de honesta disciplina libris, ubi agit de primis diversarum literarum auctoribus, quod

Gulphilas prompsit Getarum, quas videmus, literas.

Gulphilas autem ille, sive Ulphilas, ut Socrates lib. 4. historiæ suo cap. 32. secundum distinctionem Græcam, aut 27. secundum versionem, illum nuncupat, fuit Gothorum sive Getarum superioris Germaniæ circa Danubium partes tunc occupantium episcopus,

eo tempore, quo Phritigernes partis eorum dux copiis Valentis imperatoris adjutus illustrem de adversæ partis duce victoriam reportavit. Cum autem gratum imperatori Christiano animum testari cuperet, amplexus est religionem Christianam, eamque a subditis etiam amplectendam curavit; nam operam in hoc pio proposito Ulphilas adhibuit sedulam, adderem & omni celebratione dignissimam, nisi a Valente Ariano inductus cum fide sana Arianismi venenum credulis neophytis imprudenter propinasset, unde gravissima damna in ecclesiæ sinum deinceps redundarunt, ut testantur ibid. Socrates, Theodoretus Hist. Eccl. lib. 4. cap. ult. Sozomenus lib. 6. cap. 37. & alii. Secundum illam sententiam Gothi ex Scandinavia sive Suevia oriundi, ut videre est apud Jornandem, quatuor integra a Christo domino absque literis peregerunt secula, cum illi ipsi, qui cultiores inter ipsos, quique virtute sua sibi comparaverunt in ipso Romanorum imperio sedes, demum vergente in finem illo seculo suas a Romanis acceperint. Attamen agnoscendum non omnes auctores in eam pedibus pronis abire sententiam; sunt enim qui Gothicum alphabethum omnium primum dixere, & eas ipsas literas a rerum primordiis divinitus Adamo concessas continuisse affirmaverunt. Quin Joannes Magnus, & ejus frater Olaus hanc de antiquitate Gothicarum literarum sententiam satagunt confirmare variis inscriptionibus, quas referunt esse insculptas saxis tantæ molis, ut sola gigantum antediluvianorum vi construi potuerint, atque cantilenis supra omnem hominum memoriam compositis ad celebranda fortium virorum facinora.

Verum enimvero non multa secula requiruntur ad conciliandum cantilenis vetustatis elogium, & eo ipso quod hæ cantilenæ ad conservandam egregiorum facinorum memoriam componebantur, eo ipso constare debet literas in ea gente nondum extitisse; cum carmina cantui accommodata plurimis populis olim literarum vicem ad juvandam memoriam præbuerint, posteaque literis memoriæ fidelioribus adminiculis locum cesserint. Ad ingentia autem saxa quod attinet, omnes norunt antiquis machinas ad gravissima pondera dimovenda fuisse omni gigantum vi longe validiores, quarum plurima vestigia inter Americanos etiam cernuntur.

Quamobrem non dubitandum bonos illos viros nimio patriæ antiquitatis desiderio extra limites veritatis abreptos. Nollem nihilominus omnem septentrionalibus populis literarum usum ante Ulphilam prorsus de-

denegare; verisimilius mihi videtur, rarissimum & confusissimum existimare. Cum enim ab initio primi omnium gentium auctores literas a Deo datas noverint, vix possum in animum inducere meum, quin aliqua harum notitia ad homines arcanorum naturalium studiosiores pervenerit, nonnullaque pristini usus superstes umbra ubique remanserit; sed miseræ illæ reliquiæ tamen sufficiebant ad jacturæ factæ desiderium accendendum. cui desiderio satisfecit Ulphilas, & obliteratas literas in promiscuum etiam vulgi usum revocavit. Quin certissimum est redivivis literis utilissimum præbuisse patrocinium recentem veræ religionis introductionem; impia enim superstitio amat tenebras, & dediti ejus propagationi antistites, quo facilius in obsequio subditas contineant conscientias, fovent ignorantiam circa cultus & mysteria. Cum autem ipsa, quæ mentem debet illustrare, religio tenebras & ignorantiam promovet, quid valeret ad ingerendam literarum studiorumve curam, saltem inter gentes otio & rei domesticæ intentas, & ab omni gloriæ & celebritatis fama alienas, quales ad illud tempus fuisse Gothos constat? Non mirum conservatas inter Chaldæos, Persas, Ægyptios, Græcos, Romanosque literas, quia gloriæ fuerunt omnis avidissimi, artes omnes excolere studuerunt, utque excellerent, vicinarum gentium mores & historias perfecte cognoscere sedulo sategerunt. At barbaræ gentes animalium exuviis tegi, sponte obviis cibis vesci, & inclementis cæli injurias propellere contentæ vix ullam absque religionis officiis utilitatem in iis agnovissent: simulatque vero efficaci gratiæ sensu affectæ fuerunt, divinæque lucis irradiatione illustratæ agnoverunt omnia salutis arcana sanctis Prophetarum & Apostolorum libris contineri, nullis pepercerunt laboribus, sed omnem adhibuerunt diligentiam, ut illos legere atque intelligere valerent. Sic, ut jam innuimus, literę religionis comites sunt individuæ; & literas etiam Gothis suis dedisse celebratur Ulphilas, quia translatos in linguam Gothicam libros sacros excogitatis in eorum usum literis descripserat. Hinc non soli Gothi suas cum religione adepti sunt literas, sed Dalmatæ etiam a sancto Hieronymo concive suo literas suas cum sacris codicibus in illorum linguam translatis acceperunt. Ruteni similiter characteres suos cuidam Cyrillo versionis S. Bibliorum in suam linguam auctori etiam tribuunt: ut pateat literas religioni, & religionem literis mutuam præstitisse opem, ut simul impensius excolerentur. Idem etiam de

Mos-

Moscovitis asseritur. His exemplis patet ad quartum usque seculum vix penetrasse literas in septemtrionem, & qui tunc illas introduxerunt, pro illarum auctoribus habitos fuisse. Atque merito, cum characteres qui ipsis tribuuntur, sint dissimiles cæteris aliis; majorem tamen affinitatem cum Græcis, & præcipue cum Romanis, quam cum ullis aliis, habere perhibentur. Neque id mirum, cum Ulphilas, Cyrillus, & S. Hieronymus ecclesiasticis muneribus ab Ecclesia Romanis & Græcis populis tunc imprimis constante ornati fuissent, & Romani imperii subditi haberentur, indeque suam eruditionem omnem obtinuissent.

De Germanis & Gallis in occidentem vergentibus idem ferendum judicium; testatur enim de Germanis lib. de moribus Germanorum Corn. Tacitus cap. 19. quod *literarum secreta viri ac fœminæ ignorant. &c.* in præsenti tempore loquitur, ut ad suam adhuc ætatem permanere illam literarum ignoratiam declaret. Antea quidem dixerat literas Græcas in illam regionem irrepsisse, & tumulis quibusdam adscriptas videri; sed in usum promiscuum minime admissæ fuerant, & peregrini inscriptionum illarum auctores esse potuerunt. Gallis literæ Græcæ magis familiares: jam enim Cæsaris Corn. Tacito antiquioris tempore in omnibus fere rebus publicis privatisque eos Græcis literis uti refert lib. 6. & ad sola religionis mysteria dumtaxat nondum admissas, quod Druidæ fas non esse existimarent, ea literis mandare, & versibus memoriæ committere mallent. Sed paulatim stabilito in Gallia Romanorum imperio literæ Romanæ prævaluerunt, sicut in Hispania etiam, & ubicunque auctoritas Romanorum obtinuit: linguam enim suam cum imperio promovére sategerunt, *quo scilicet*, inquit Valerius Max. lib. 2. cap. 2. *Latinæ vocis honos, per omnes gentes venerabilior diffunderetur. &c.* Hinc jura Latine magistratus reddebant, semper etiam gentes domitas Latinis verbis alloquebantur, licet linguas earum callerent, ut ibid. refertur. Quin licet neminem de republica bene meritum a civitatis jure excluderent, voluerunt tamen, ut omnes qui obtinebant illud, lingua Latina uterentur: & Claudius Imperator linguæ Græcæ studiosissimus Lycio viro qui civitate donatus fuerat, jus illud ademit, quia quærenti promptum Latine non reddidit responsum, ut post Dionem Cassium, refert Xiphilinus: atque Constantinus Magnus linguæ Græcæ peritissimus, & erga Patres Græcos maximam Concilii Nicæni partem constituentes propensissimus, Latina eos alloquutus est lingua, & interpretis opera ad o-

rationem suam exponendam, teste Eusebio, usus est. His & similibus artibus lingua Latina in omnibus imperii Romani provinciis obtinuit, & literæ Romanæ etiam ita pervaluerunt, ut ne in Hispania quidem ipsa, quam Phœnices, & postea Carthaginenses eorum coloni peragrarunt, & plurimis coloniis repleverunt, nulli superstites remanserint characteres a Romanis diversi. Itaque nostræ literæ Romam nos deducunt, & Romæ quærenda earum origo.

CAPUT III.

De literis Latinis.



Am vero ipsæ Romanorum literæ suam in Roma sua non inveniunt originem, & carmen jam laudatum, atque secundum receptissimam sententiam compositum, aliunde acceptas sic refert :

Quas Latini scriptitamus literas, edidit Nicostrata.

Græcum autem Nicostratæ nomen evidenter arguit e Græcia ortam Romanorum literaturam, quamvis Latino nomine postea Carmentam a carminibus fundendis Latini eam etiam nuncupaverint. Constat præterea ex Dionysio Halicarnasseo Antiq. Rom. lib. 1. ex Arcadia profugam venisse in Latium sed Corn. Tacitus annal. lib. 11. cap. 14. mavult Etruscos a Demarato Corinthio, Aborigenes vero ab Evandro Arcade Carmentæ filio suas literas accepisse, & Plinius hist. lib. 7. cap. 56. contentus est scripsisse, quod *in Latium eas attulerunt Pelasgi*, absque ullo singularis auctoris nomine. Quæ sententiæ licet diversæ coincidunt, quoniam Corinthii, Arcades, & Pelasgi fuerunt Græciæ populi, & consequenter suas literas secum in Italiam intulerunt, quod l. c. confirmat Corn. Tacitus a similitudine utrarumque literarum, his verbis : *Forma literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum. &c.* Et revera vix in antiquissimis manuscriptis dignoscuntur a Græcis literæ Romanæ. At Dionysius Halicarn. lib. 4. hist. agens de columna, cui Servius Tullius leges suas insculpi jusserat scribit : Αὕτη διέμεινεν ἡ στήλη μέχρι τῆς ἐμῆς ἡλικίας, ἐν τῷ Ἀρτέμιδος ἱερῷ κειμένη, γραμμάτων ἔχουσα χαρακτῆρας οἷς

τὸ

τὸ παλαιὸν ἡ Ἑλλὰς ἐχρῆτο. *Hæc columna mansit ad meam ætatem in Dianæ templo erecta, characteres Græcarum literarum habens, quibus olim Græcia utebatur.* Uterque obſcure indicat, veteres Græcorum characteres diverſos a recentioribus fuiſſe, & propius acceſſiſſe ad formam Romanarum literarum. Licet tamen dubitare, an ingens fuerit illud diſcrimen; aut verum eſt de majuſculis literis dumtaxat, cum hi auctores loquantur de literis columnæ, aut inſcriptionibus inſculptis, quæ majores ſolebant eſſe, & pro ſculptorum genio nonnunquam mutabantur ad ornatum, & aliquando etiam ob imperitiam. Verum antequam id ſerio examinetur, nos accingi opportet ad quærendam literarum Græcarum originem, quæ ipſis & Romanis communis invenietur: id autem facile expedietur.

CAPUT IV.

De literis Græcis.



GRæci, qui ſolent ſe αὐτόχθονας, *aborigines*, indigenaſque nuncupare, jactant rerum omnium vitæ utilium inventores etiam in ſolo ſuo eſſe natos, ſive *e rupe*, ſive *e quercu*, ſive *ex aliquo numine*; cum de literis agitur quadam veritatis inſuperabilis vi adacti ingenue fatentur ex oriente a Cadmo adſe delatas fuiſſe. Ita Herodotus lib. 5. §. 58. teſtatur, quod οἱ Φοίνικες οὗτοι οἱ σὺν Κάδμῳ ἀπικόμενοι, τῶν ἦσαν Γεφυραῖοι, ἄλλα τε πολλὰ, οἰκήσαντες ταύτην τὴν χώρην, εἰσήγαγον διδασκάλια εἰς τοὺς Ἕλληνας, καὶ δὴ καὶ γράμματα, οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι, ὡς ἐμοὶ δοκέει. πρῶτα μὲν τοῖσι καὶ ἅπαντες χρέωνται Φοίνικες, μετὰ δὲ χρόνου προβαίνοντος ἅμα τῇ φωνῇ μετέβαλλον καὶ τὸν ῥυθμὸν τῶν γραμμάτων. *Phœnices illi qui cum Cadmo venerunt, quorum Gephyræi fuere, dum hanc regionem incolunt, plurimas doctrinas in Græciam introduxerunt, & literas ipſas etiam, quæ apud Græcos antea non fuerant, ut mihi quidem videtur. primæ autem fuerunt illæ, quibus omnes Phœnices utuntur; ſed progreſſu temporis una cum ſono mutaverunt etiam modulum priſtinum.* Quid per modulum illum ſit intelligendum, vix poteſt definiri; nam ῥυθμὸς, ſive *rythmus*, videtur reſpicere muſicam, & diverſam ſecundum tonos modulationem deſigna-

re. Poteſt etiam ſignificare æqualia arteriarum pulſantium intervalla, quod hic, ubi de literis agitur, debet earum concurſum diverſimode vim earum exprimentem ſignificare, quam a ſimplici uniuſcujuſque ſono videtur diſcernere, cum & ſonum & illum rythmum dicit temporis lapſu mutatum. Non audeo enim metaphoram extendere ad ipſos literarum flexus, gyros, & diverſos figurarum modulos, qui revera cum ſono etiam non leviter immutati ſunt, atque non aliter, ac toni voces, literas variant ac modulantur. Addit Herodotus Iones præcipue has Cadmi literas libenter excepiſſe, & cum vicinis communicaſſe, atque in grati animi ſignum elementa illa Φοινικήϊα κεκλῆσθαι, *Phœnicia vocari*, ab auctore Phœnicio, ut ratio exigebat, voluiſſe. Adſtipulatur Plutarchus Sympoſ. lib. 9. quæſt. 3. ſcribendo: Τὰ δὲ πρῶτα καὶ Φοινίκεια διὰ Κάδμον ὀνομασθέντα τετράκις ἡ τετρὰς γενομένη πάρεχε. *Primum autem inventas ſexdecim literas, quæ propter Cadmum Phœniciæ dicuntur, quaternio quater ſumptus exhibet. &c.* Sic etiam Chreſtodorus Anthol. lib. 3. cap. 1. epig. 4.

—— —— —— Κάδμος

Στοιχείων Δαναοῖς πρῶτος ἔδειξε τύπον.

Cadmus Græcis literarum exemplar primus dedit.

& Plinius etiam lib. 7. c. 56. Tacitus An. lib. 11. c. 14. Q. Curtius lib. 4. & innumeri alii horum prementes veſtigia. Sunt nihilominus qui refragantur, & Tacitus ipſe refert a quibuſdam Cecropem Athenienſem, ab aliis Linum Thebanum, ab aliis denique Palamedem Argivum circa Trojana tempora literarum ſexdecim primarum celebrari inventores; Simonidem vero paulo poſt cæterarum auctorem perhiberi, ita ut pedetentim numerus illarum excreverit, & tandem fuerit abſolutus. Noſtra refert harum ſententiarum veritatem ſcrutari, ut poſſimus inſiſtendo veſtigiis auctorum genuinorum primum omnium certius agnoſcere; facile autem ab itinere noſtro hos obices amovere, debitamque Cadmo gloriam vindicare, ſiquidem monumenta Græcis inſculpta literis apud auctores invenimus ipſo Palamede longe antiquiora. Sane ipſe pater hiſtoriæ Herodotus teſtatur ſe propriis oculis vidiſſe inſcriptiones antiquis Ionum literis exaratas. Quod obſervandum: multa enim ex aliorum relatione in hiſtoria ſua narravit, quæ merito in dubium revocantur. At quæ per ſeipſum noverat & deſcribit auctor gravis & fide dignus, nullam admittunt ſuſpicionem. Has præterea inſcriptiones non in trivio, aut privata domo, ubi fraus poteſt ſponte occurrere, ſed in templo

plo Iſmenii Apollinis apud Thebas Bœotias tripodibus inſculptas, quæ Cadmeis literis magna ex parte ſimilibus Ionicis conſtabant: quia autem antiquæ literæ illæ ad propoſitum noſtrum non ſunt prorſus inutiles, eas referemus, quales, poſt accuratiſſimam indagationem & ſedulam cum aliarum inſcriptionum literis collationem, fuiſſe judicavit acerrimi acuminis judex Joſephus Scaliger in ſua de literis Ionum diſſertatione, quam ſuis in Chronica Euſebii animadverſionibus inſeruit; & vulgarem Herodoti deſcriptionem e regione apponemus, ut facilius diſcrimen oculis pateat. Ex his autem patebit longe ante bellum Trojanum, aut Palamedis ipſi coævi tempora Cadmeas literas in uſu fuiſſe. Prima ſic ſe habebat ex libro 5. §. 59.

Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

ΑΜΠΗΙΤΡVΟΝ. Μ. ΑΝΕΤΗΕΚΕΝ. ΕΟΝ. ΑΠΟ. ΤΕΛΕΒΟΑΟΝ.

Obtulit Amphitryon me gentis Teleboarum.

Amphitryon autem hoc bellum geſſit, *circa ætatem Laji, qui fuit filius Labdaci*, inquit ibid. Herodotus, *nepos Polydori, pronepos Cadmi.* Altera alterius tripodis:

Σκαιὸς πυγμαχέων με ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι
Νικήσας ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.

SKAIOS. ΠVΛΜΑΚΗΕΟΝ. ΜΕ. ΗΕΚΕΒΟΛΟ. ΑΠΟΛΛΟΝΙ.
NIKESAS. ANETHEKE. TEIN. ΠΕΡΙΚΑLLES. ΑΛΑLΜΑ.

Scæus in aſſueto pugilum certamine victor
Me tibi ſacravit ſpecioſum munus, Apollo.

Scæus hic filius Hippocoontis, vel alterius, circa ætatem Oedipodis Lajo geniti, ut addit Herodotus.

Tertia inſcriptio etiam e tripode:

Λαοδάμας τρίποδ' αὐτὸν ἐϋσκόπῳ Ἀπόλλωνι
Μουναρχέων ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.

ΛΑΟΔΑΜΑS. ΤΡΙΠΟD'AVTON. EVSKOΠΟΙ. ΑΠΟLLONI.
MOVNAPKHEON. ANETHEKE. TEIN. ΠΕΡΙΚΑLLΕΣ. ΑΛΑLΜΑ.

Laodamas ipſum tripodem ſua in urbe monarchus,
Hoc inſigne decus tibi, magne, dicavit, Apollo.

Sub hoc Laomedonte Eteoclis filio (inquit Herodotus) *qui omni principatu ſolus eſt potitus, ejecti ſunt Cadmei ab Argivis.* Obſervanda autem Cadmeorum principum ſeries. Cadmus Polydorum unicum filium ſuum Thebani regni ſucceſſorem habuit; cujus Polydori filius Labdacus,

qui suscepit Lajum, Lajus Oedipum, Oedipus patricida ex incestis nuptiis Eteoclem cum Polynice, Eteoclis autem filius fuit Laodamas sextus a Cadmo. Jamvero ille Laodamas antecessit bellum Trojanum & Palamedem, quippe qui propugnando Thebas suas occubuit, ab Alcmæone, ἐπιγόνων sive liberorum qui procreati fuerant a ducibus cum Polynice cæsis imperatore, cæsus; cui prælio adfuit Diomedes qui adolescens postea præclaram in bello Trojano navavit operam, ut videre est apud Homerum, Apollodorum, & alios. Sic recentior inscriptio antecedit Palamedem, & consequenter inventor non potuit esse literarum quibus constabat; & multo minus præcedentium, quorum prima tribus generationibus antiquior erat, & sex integris Cadmus, nempe ducentis ad minimum annis. Ut enim id obiter observem, & nihil absque probatione prætermittam, licet generationes varie definiantur, & non nunquam centum annos videantur comprehendere: unde imperium Medorum, qui trecentos & quinquaginta annos secundum Justinum lib. 1. cap. 6. regnavere, ἐπὶ τῆς τετάρτης κατελύθη γενεᾶς, *in quarta generatione desiit*, teste Dionys. Halicarn. lib. 1. & Deus ipse dicit Abrahamo ejus posteros in Chananitidem quarta generatione reversuros, Gen. 15-16. sive post annos quadringentos, ut patet vers. 13. Alias dumtaxat 14 annos quot requiruntur ad generationem, & sic sumi volunt in epistola Jeremiæ a Baruco cap. 6-2. relata, qua dicit usque in septimam generationem Judæos fore captivos; ut cum legitima concordet, quæ LXX annos habet. Nempe 14 natus captivus filium genuit & hic porro usque ad septimum qui recens natus obtinuit libertatem. Attamen Græci Veteres unicuique generationi triginta annos tribuunt. Plutarchus de defectu oraculorum: Ἔτη τριάκοντα ποιοῦσι τὴν γενεὰν καθ' Ἡράκλειτον, ἐν ᾧ χρόνῳ γεννῶν παρέχει τὸν ἐξ αὐτοῦ γεγεννημένον ὁ γεννήσας. *Triginta annos tribuunt unicuique generationi, secundum Heracliti sententiam, quia eo tempore natum genitor gignentem præbet. &c.* Huic sententiæ adstipulatur Homerus, ut observant ejus Scholiastæ ad vers. 250. Il. α. scribit enim Didymus: Ἰστέον ὅτι οἱ παλαιοὶ τὰς γενεὰς ἐψήφιζον ἐτῶν τριάκοντα. *Sciendum est, quod veteres statuerunt communinibus suffragiis generationes ad triginta annos extendi.* sic ibid. Eustathius. Neque recedit ab eadem sententia Herodotus, licet paululum videatur generationes promovere, in Euterpe §. 142. Scribit enim: γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεά ἐστι. *Tres hominum generationes centum anni sunt. &c.* Videatur Censor. de Die nat. Ducenti itaque anni a

Cadmo

Cadmo ad Palamedem circiter obsunt, ne in partem gloriæ cum Cadmo Palamedes venire possit.

Cecrops Atheniensis potiori jure contendet: coævus enim Cadmo & ex Ægypto oriundus antiquæ Ægyptiorum sapientiæ ac literaturæ particeps esse debuit. Minime tamen officiet primæ Phoeniciarum literarum gloriæ, quæ facis instar maximam orbis partem illustravit, & Ægyptiæ ipsæ non invitæ cedere debent, vel Josepho judice Antiq. lib. 1. cap. 9. Scribit enim ante Abrahami in Ægyptum adventum Ægyptios rudes fuisse, & a Chaldæis ad Ægyptios Arithmeticam Astrologiamque profectas, tandem ab iis ad Græcos etiam pervenisse, & cum iis etiam literarum quamdam notitiam, cum absque literarum operam has scientias conservare non valuerint Ægyptii; sed adeo hieroglyphicis suis erant dediti, ut eas visi sint neglexisse, donec ad eos e Græcia redierunt Psammetichi regis tempore, qui primus perviam Ægyptum peregrinis fecit. Sic Phoenices eos præcedunt. Hinc apud Hesychium absolute Φοινίκια, *Phœnicia*, Lydis & Ionibus sunt γράμματα, *literæ*; & ἐκφοινίξαι, ἀναγνῶναι, *Phœnizare est legere*. Adeo magnam cum literis habuerunt cognationem, unde Critias apud Athenæum lib. 1. cap. 22.

Φοίνικες δ' εὗρον γράμματ' ἀλεξίλογα.

Phœnices invenerunt literas sermonis subsidia. & Lucanus Pharf. lib. 3. verf. 220. & seq.

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, & saxis tantum volucresque feræque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Optime primas literas tribuit Phœnicibus, & Ægyptiis hieroglyphicam sive symbolicam assignat scripturam, quam statim ab initio rerum exercuerunt: unde Plutarchus Sympos. lib. 9. quæst. 3. refert quosdam velle Mercurium literas Ægyptias invexisse, sed illico addit: διὸ καὶ τὸ τῶν γραμμάτων Αἰγύπτιοι πρῶτον Ἶβιν γράφουσιν, ὡς Ἑρμῇ προσήκουσαν. *propptereaque Ægyptii Ibim primam literarum faciunt, quia Ibis Mercurio consecrata est.* Ibis autem ad solas literas hieroglyphicas pertinere perhibetur. Præterea doctissimus Huetius Mercurio Mosem referri vult & multis validisque argumentis probat Demonst. Euang. prop. 4. cap. 4.

cap. 4. hacque ratione Phœnicibus Ebræorum affinibus rediit disputatum decus. Auctor vulgaris carminis de literarum inventoribus Ægyptias literas tribuit Isidi:

Isis arte non minori protulit Ægyptias.

quod eodem recidit: nam Isis Mercurii dicitur filia, & ad Sephoram Mosis uxorem quæcunque de ipsa referantur esse reducenda, idem Huetius cap. 10. contendit. Quidquid sit, de literis hieroglyphicis exponemus, ut antea, quandoquidem Ægyptios iis initio usos constare debet. Quare ex mera Atheniensium æmulatione erga Thebanos natum est de Cecrope commentum: inviderunt literarum decus Cadmo Thebano, & suum auctorem Cecropem in societatem gloriæ & laudis intrudere sategerunt. Potuit insuper Ægypti & Phœniciæ vicinia huic errori ansam præbere: conterminæ enim erant regiones, & Ægyptiis etiam subesse tunc potuerunt Phœnices atque pro eadem gente haberi, quia ad idem imperium pertinebant. Sane ad Græcos Scythasque usque fines imperii Ægyptiaci aliquando pervenerunt. Quin revera inter se confusos Phœnices & Ægyptios invenimus: Diodorus enim Siculus antiquitates Græciæ describens libri quarti Historiæ suæ initio, Cadmum Phœnicium & ejus in Græciam adventum refert. At libro 1. quo Ægyptiorum res considerat, ad illorum decus augendum refert ex aliorum auctorum sententia, Κάδμον ἐκ Θηβῶν ὄντα τῶν Αἰγυπτίων, *Cadmum ex Thebis Ægyptiacis ortum*, suas in Bœotia Thebas ab illis denominasse. Quamobrem cum circa idem tempus Cecrops Cadmusque ex conterminis orientis regionibus in Græciam venerint, eamque plurimis orientalium institutorum disciplinis excolere atque ditare instituerint, non mirum est, si quæ Cadmo Phœnicio conveniebant, Ægyptio Cecropi a suis saltem Atheniensibus tributa fuerunt; præsertim cum ipse Cecrops ob patriæ viciniam & eamdem peregrinationis sortem potuerit conjunctionem cum Cadmo fovere, & ab ipso ante cæteros literas, quæ suis Atheniensibus tradidit, accepisse.

Superest Linus Thebanus: sed eo ipso, quod Thebanus, est conditori Thebarum Cadmo cedere tenetur. acceptas etiam ab ipso literas cum aliis postea potuit facile communicare. Sane Linus ducentis circiter annis Cadmo est junior; fuit enim frater Orphei, cujus ætas, secundum Eusebium, cum Gedeonis ætate convenit. Revera Orpheus præceptor fuit Herculis, & ab eo cithara percussus interiit; Hercules florebat ætate

te Laomedontis, cum testetur Apollodorus lib. 2. Herculem cum ipso pactum esse liberationem filiæ Hesiones ceto expositæ dono equarum, quas a Jove in rapti Ganymedis compensationem acceperat. Unde suis pactis non stans Laomedon ejus iram & ultionem meruit. Laomedontis autem illius filius fuit Priamus, qui Trojæ suæ vidit excidium, & videre potuit Herculem & Orpheum patris sui coævos. Hoc modo plurimis post Cadmum annis omnes vixisse, & in Cadmi gloriæ societatem admitti non posse compertum est.

Una remanet difficultas ob superadditas Cadmeis non nullas literas. Si enim a Phœnicibus, quorum alphabethum omnibus literis ad res omnes distincte exprimendas necessariis constabat, literæ Græcæ emanarunt, non videtur, quid Græcos potuerit ad novas usurpandas adigere.

Tota illa de literis Cadmeo alphabetho superadditis historia inconstans est, & sua diversitate suspicionem parit. Plutarchus in quæstionibus Platonicis affirmat, quod παλαιοὶ διὰ τῶν ἕνδεκα στοιχείων φϑέγζοντες ἀποχρεώντως καὶ γράφοντες, *veteres per undecim dumtaxat literas de rebus omnibus sufficienter scribentes & loquentes* cæteris aliis non incommode carebant, quod ab omni verisimilitudine abest. Hinc alii, ut Aristoteles apud Plinium, *octodecim priscas fuisse*, Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ζ. Ι. Κ. Λ. Μ. Ν. Ο. Π. Ρ. Σ. Τ. Φ. agnoscit. Quod venisse tamen Aristoteli in mentem vix puto, cum ex antiquioribus inscriptionibus pateat Φ raro usurpari, & hanc literam omnium aliarum videri recentiorem. Hinc vetus Euripidis Scholiastes tribuit tantum Palamedi septemdecim literas, easque a Phœnicibus acceptas, ita ut videatur illas dumtaxat expolivisse: sed maxima auctorum pars sexdecim a Cadmo Græcis datas agnoscit, & utramque sententiam conciliare intendit Scaliger, dicendo *vau* Ebræorum initio non admisisse Græcos & pro ἐπισήμῳ habuisse, sed postea ejus utilitatem agnovisse, atque sic sexdecim literas ad septemdecim pervenisse. Ratio, quæ persuasit literarum numerum initio fuisse minorem & cum tempore auctum, fundatur in sententia verisimili, has sola hominum industria fuisse excogitatas, quia omnia hominum inventa paulatim ad perfectionem tendunt, & nova indies capiunt augmenta. Sed cum demonstraverimus divinitus fuisse concessas, & constet divina opera & beneficia a primo ortu omnibus numeris esse absoluta, a primis illis perfectis literis probabile est omnes alias ortum habuisse, licet diversimode; cum aliæ proxime ad exemplar accedant, quia earum aucto-

auctoribus exemplar illud clarius innotuit, aliæ ob contrariam rationem ſint imperfectiores. Quin poſſunt eſſe quædam omnino diverſæ, quibus ſcilicet primarum literarum confuſa fama initium dedit, ſed figura ignota exemplum non valuit præbere. Utut tamen perfectum fuerit Phœnicum alphabethum, & ſufficiens ad omnia Phœnicum vocabula diſtincte exprimenda, potuerunt tamen a Græcis novæ abſque ullo perfectionis ejus præjudicio ad Græca vocabula exprimenda literæ requiri, ſi non ad neceſſitatem, ſaltem ad concinnitatem, ut genuinus eorum ſonus rite redderetur. Ægerrime enim iiſdem literis diverſæ linguæ abſque multiplici & incommoda diverſarum conſonantium conjunctione enunciantur. Græca imprimis literarum duplicium requirit uſum, Phœnicia & Ebræa ab iis abhorrent, & eas ita averſantur, ut frequenti plurimarum literarum in ſimiles permutatione mixtum earum ſonum evitent, & in homogeneum transmutent. Potuerunt itaque & debuerunt literæ duplices, poſt Cadmeas, excogitari: ſic litem minime intentabimus Plinio referenti Palamedem ſecundum quoſdam adjeciſſe, Θ. Ξ. Φ. Χ. & Simonidem Ζ. Η. Ψ. Ω. ſive Θ. & Χ. ſecundum alios Epicharmum. Tantummodo obſervabimus *zeta*, *eta*, & *theta* in *zain*, *het*, & *thet* inveniri, & ab iis non obſcure denominari; quare fruſtra alibi, quam in alphabetho Phœnicio quæri. Nihil autem novi hic Græcis largimur: nulla ſiquidem eſt hoc ipſo tempore lingua, neque unquam fuit, quæ non poſſit aut potuerit aliqua litera utili ſuum augere alphabethum, licet ſuis literis contenta permaneat. Sane alphabethum Romanum tempore Claudii imperatoris, & poſt abſolutum ejus imperium, ut antea ſuffecit; attamen teſtatur Corn. Tacitus Annal. lib. 11. cap. 14. Claudium illum imperatorum tres literas excogitaſſe, nempe Ⅎ bigamma ad occupandum V conſonantis locum, & ad amovendam, quam duplex ejus uſus poteſt inducere, confuſionem: ſigma etiam geminum, & ex adverſo ſibi reſpondens, ſecundumque antiquum morem ſic exaratum ƆC ac anti-ſigma ideo dictum, quod vim Ξ Ψ debuit exprimere, atque X forſitan ſive *ch* quibus conſtat veteres Romanos caruiſſe, teſte Cicerone de oratore. Tres autem literæ illæ imperante quidem Claudio in decretis, plebeſcitis, & inſcriptionibus publicis per fora & templa conſtitutis obtinuerunt, ſed *poſt* (inquit Tacitus) *obliteratæ ſunt.* * Aimonius Monarchus de geſtis Francorum refert, Childericum regem ſimiliter ſtatuiſſe, ut hæ quatuor Θ. Ψ. Φ. Χ. literæ Græcorum insererentur al-

alphabetho Gallorum, restituto ψ in locum ω, ex Gregorio Turonensi. Quis denique posset inficiari, quin hodie etiam possent nonnullæ literæ excogitari ad distinguendos multiplices quarumdam literarum inter omnes nationes sonos. Galli verbi gratia diversimode pronunciant *C* & *G* secundum vocales ipsis adjunctas: nam ante *E* & *I* mollius efferunt, nempe illud ut *S*, hoc ut J consonans; contra utrumque ante *A*, *O*, & *U* durius, nempe *C* ut *K*, & *G* ut Germanice solet fieri. Expediret igitur eos habere duplex *G*, ut Arabes, & duplex *C* etiam, ad diversos illos sonos distinguendos. An non etiam expediret in lingua Belgica admittere literam τῷ ش Arabum respondentem, quæ una sufficeret pro tribus in vocibus *schat*, *thesaurus*, & *schip*, *navis*, & similibus. Id imprimis commodissimum foret Hungaris & Polonis, qui numerosa consonantium nostrarum strue indigent ad mixtos diversa compositione linguarum suarum sonos; sicut literis Græcis multas dicuntur addidisse Moscovitæ, & Persæ Turcæque addiderunt Arabicis.

Sic superadditæ a Græcis Cadmeo alphabetho literæ perfectioni ejus minime officiunt, & perfectissimum omnium alphabethorum aliquas etiam posset admittere, ne quidem excepto Arabico quod 28. literis constat; & consequenter literæ Græcorum, quæ sufficere poterant, a Cadmo acceptæ, habent a Phœnicibus illius majoribus suam originem, secundum vulgare a Crinito celebratum de literarum auctoribus carmen:

Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.

Superest ut videamus, unde ipsæ ortæ? vel an sint cæterarum principes Phœniciæ?

CAPUT. V.

De Phœnicum literis.



AUdivimus Lucanum versibus elegantissimis canentem Pharsal. lib. 3.

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Hanc suscepit propugnandam sententiam illustrissimus Josephus Scaliger

opuſculo de literis Ionicis ſæpius antea laudato, & in epiſtola 242. ad Thomſonum: *Phœnices literas, quod in extrema epiſtola quæris, diu ante Moſem fuiſſe, noli dubitare; eaſque eſſe, quibus olim Ebræi, hodie vero ſoli Samaritæ utuntur. multa vetuſtiſſima nomiſmata quotidie in partibus Tyri & Sidonis eruuntur, in quibus characteres illi ſine ulla mutatione extant: nam lingua Ebraica eſt, quæ in uſu Chananæis, hoc eſt, Phœnicibus, tempore Abrahami fuit; Syriaca vero, qua antea Abraham utebatur, & dumtaxat in Euphratis tractibus locum habebat, quæ ex Chananæa degeneraverat propter frequentem uſum, & aliarum gentium commercia, quæ in Babyloniam negotiationis cauſa ſeſe conferebant. &c.* & paulo poſt: *Literæ, quæ in uſu ſunt hodie Judæis, Ebraicæ nobis dicuntur mendoſe, cum verius dicerentur Judaicæ: at Judæi ipſas vocant* אשוריות, *Aſſyrias. recte. ab exilio enim Babylonico eas reportarunt, cum hactenus Chananæis uſi fuiſſent, ut Samaritæ ab ultima vetuſtate faciunt. Quare nullas literas excogitavit Moſes, ut Eccleſiaſtici ſcriptores prodiderunt, neque aliquid in literis, aut ſermone Chananæo innovavit. &c.* Patet primas & præcipuas exiſtimare literas Phœnicias Scaligerum, quia ſuppoſuit Phœnices e Chananæis ortos, & Chananæos linguam Ebræam conſervaſſe puriſſimam, cum Chaldæi ex commercio cum plurimis aliis gentibus illam contaminaſſent; unde Abrahamus eodem cum ipſis ſermone utebatur, & literas habuit communes ad captivitatem Babylonicam uſque. Reduces enim Judæi ex Babylone retulerunt literas Chaldaicas, ſuaſque veteres reliquerunt Samaritanis, qui etiam nunc illas accurate ſervant, ſecundum ipſius ſententiam, quam adeo confidenter proponit, ut nullam dubitandi relinquat libertatem, ſed inſuper omnem eruditionis & rationis ſcintillulam diſſentientibus deneget. Verum enimvero mens in his libera, & uni rationis lumini addicta, ægre obſequitur, niſi probabilibus argumentis perſuadeatur; & tantum abeſt, ut probabiles nobis magni viri ſuppoſitiones videantur, ut contra ipſa veriſimilitudinis ſpecie deſtitutas arbitremur.

Primam quæ ſpectant originem Phœnicum a Chananæis, antea propoſuimus, & poſt moleſtum examen diſſenſus noſtri rationes reddidimus, quæ forſitan æquis judicibus legitimæ videbuntur, veniamque ad nobiliores avos deducendi Phœnices nobis valebunt impetrare.

Altera ſuppoſitio Chananæis quaſi peculium tribuens linguam Ebræam, ita ut ab eis ſinceram perfectionem obtinere debuerit Abrahamus

mus inter Chaldæos educatus, quoniam hi frequenti aliarum gentium commercio illam amiſerant, licet Clariſſimo Erpenio etiam arriſerit, nobis viſa eſt improbabilis ob argumenta plurima ſupra etiam contra illam producta. Et ut ad rationem a commerciis plurimarum gentium petitam paucis dumtaxat reſpondeam, contentus ero in medium exponere Chananæorum nomen totum a prima rerum origine ex commerciis compoſitum; nam כְּנַעֲנָה, *chenaah*, eſt *mercatura*, & כְּנַעֲנִי, *Chananæus*, æque ſignificat in libris ſacris *Chananitidis incolam* ac *mercatorem*. Quare ſi ob commercia lingua Ebræa degeneravit inter Chaldæos, non potuit illibata conſervari inter Chananæos totos mercaturæ & commerciis alienigenarum deditos. Et ſitus ſatis etiam arguit Chaldæam commerciis minus idoneam, cum mediterranea regio eſſet; Chananitis autem mari mediterraneo & rubro pateret, & diverſis gentibus ut Ægyptiis, Aſiaticis, & Europæis Arabiciſq; eſſet obvia. hinc totum terrarum orbem ſuis commerciis repleverunt Phœnices. Non poſſum non repetere mutationem linguarum in pœnam & maledictionem illatam non debuiſſe parcere Chananææ genti præ cæteris maledictæ, & primum occupanti locum in rebellione, quæ iram divinam accendit, ut demonſtratum eſt; & conſequenter ab ea neque lingua pura, neque genuinæ literæ Ebræorum fidelium debuerunt expectari. Tertia ſuppoſitio vult Chananæorum ſive Ebræorum literas genuinas uſurpaſſe & ſedulo conſervaviſſe Samaritanos. Hæc cæteris aliis magis aliena ab omni rationis ſenſu, & communi victricium nationum uſu videtur: Samaritani enim ex ultimis Babylonici imperii finibus orientem verſus oriundi, & a novo Samariæ incolatu ſic dicti, origine Cuthæi erant, atque poſt ſubjugatum Iſraelitarum regnum a Salmanaſſere Aſſyriorum monarcha in locum Iſraelitarum deportatorum in Aſſyriam tranſlati. An quæſo ulla eſt vel levis ſuſpicionis umbra, hanc gentem victricem ſecum proprias literas propriamque linguam non deduxiſſe Samariam? Quis victor populus devictorum moribus, inſtitutis, & linguæ ſponte ſe ſubdidit? Quæ contra gens ſubdita linguam dominorum cupide non ambiit? Vidimus Romanos linguam ſuam cum imperio dilataviſſe. Græci ſimiliter Græcam, quæ poſt Alexandri victorias ubique in oriente perſonuit; pauciſſimi tamen Græci, præ numeroſiſſima orientalium copia, aderant. ſed jus imperii facile prævalet. Soli Babylonii decoris ſui negligentes Iſraelitarum captivorum linguam ſuæ anteponunt, atque ſervilibus verbis

bis imperium amant exercere ! At concedatur commodis illis dominis molestam ignotæ linguæ disciplinam arrisisse, saltem e quibus servis magistros sibi eligere potuerunt ? Omnes enim Israelitæ in sedes, quas Cuthæi reliquerant vacuas, translati fuerant, & si qui remanserunt, contra silentium scripturæ, & satis manifestam Dei voluntatem amovendi, saltem ad tempus definitum, omnem Israelitarum memoriam ex eorum terra secundum illa verba 2. Reg. 17—18. *Iratus est valde dominus in Israelitas, & expulit eos a conspectu suo, &* לֹא נִשְׁאַר רַק שֵׁבֶט יְהוּדָה לְבַדּוֹ, *non relicta est nisi tribus Judæ sola. &c.* pauci sane fuerunt, antequam ex latibulis suis redierunt. Nam hoc videtur universam omnium captivitatem exprimere, & ne aliquod superesset dubium, iterum repetitur generalis illa calamitas vers 20. וַיִּמְאַס יְהוָה בְּכָל־זֶרַע יִשְׂרָאֵל׃, *& projecit omne semen Israelis.* Si, inquam, contra rationes velint plurimos Israelitas a victoribus neglectos remansisse, fatentur viles, rusticos, & rudes fuisse. Hinc, cum a leonibus novi coloni infestarentur, opus fuit captivos in Babylonia consulere, & ab iis discere hanc stragem divinitus immitti ob intermissum numinis cultum; imo necesse fuit unum e captivis sacerdotibus e Babylonia Samariam mittere, qui Samaritanos doceret sacra, & in ritibus religiosis ipsos institueret. Hic forsan sacerdos linguæ & literarum etiam doctor idoneus existimabitur, sed an unus suffecisset, isque in ipso cultu religioso satis occupatus ? Præterea cui usui novæ illius linguæ acquisitio inter incolas omnes alterius linguæ peritos ? Pauci Israelitarum superstites vel saltem pauperrimi, a quibus nihil sperandum, cum omnibus facultatibus & prærogativis spoliati essent. Vicinorum Judæorum procul dubio nulla etiam ratio habenda fuit, quoniam intimam cum ipsis societatem iniri Babyloniorum non ferebat utilitas, neque religio Judæorum permittebat; & diu etiam a constitutis Samaritarum rebus non substitit Judæorum regnum. Denique tota gens Israelitica & linguam & literas inter Chaldæos dominos, ut volunt, mutavit, licet innumeri essent, & ipso religionis suæ exercitio ad illas conservandas incitarentur; at Cuthæi inter paucissimos Israelitas & continuis suorum gentilium colloquiis exercentes linguam natalem, comparassent novam, inutilem, & inter ipsos inusitatam, propriasque literas absque ulla ratione abjecissent ut novis assuescerent. Hæc omnia totidem paradoxa sunt, a quibus abhorret animus. Sed fusius de Samaritanis literis modo nobis

erit

erit agendum. hæc obiter sufficiat observasse ad nostræ de Phœniciis literis sententiæ illustrationem.

Vix quicquam certi de genuina literarum Phœniciarum figura possumus statuere. Post Herodotum & alios existimare debemus, magnam habuisse affinitatem tantum cum Ionicis veteribus. Sed & hæ obliteratæ sunt, & quæ ex inscriptionibus colliguntur, dubias esse jam insinuavimus, quia sculptorum ignorantia, arsque sæpius liberior exspatiatur, & legitimum scribendi morem negligit, ut inusitatis lineamentis oculos recreet. Sane Herodotus qui antiquissimas inscriptiones Ionum literis factas vidit & retulit, nobis illas conspiciendas præbet vulgaribus literis, & alphabethum a Scaligero ingenti studio conflatum, inscriptiones longe recentiores & jam ex Romanorum scribendi ratione alteratas videtur imitari. Constat autem Ionicas literas a Phœniciis cœpisse paulatim recedere, & nemo potest certo dignoscere in illis addititia a genuinis principum literarum lineamentis. Testatur Scaliger ingentem copiam numismatum literis Samaritanis inscriptorum in Phœnicia circa Tyrum & Sidonem sæpe erui, & inde videtur colligere Samaritanos characteres eosdem fuisse cum Phœniciis; sed non dicit hæc numismata Tyria aut Phœnicia fuisse, quod prodesset. Nam mirum non est gentis non multum remotæ numismata quædam asservari in urbe negotiatoribus plena, & innumera Græcorum numismata Romæ & in remotioribus urbibus, ut Romana in Græcis regionibus aliisque, eruta olim sunt, ac cotidie eruuntur. Neminem etiam latet, innumeras fraudes circa numismata antiqua exerceri ad emungendas avidorum antiquariorum crumenas; alii pro libitu fingunt, quæ postea alii cudunt, & ex uno innumera nascuntur. Quin ipsam antiquitatis speciem ingerere norunt, ita ut adhuc calens ab incude nummus redoleat situm, & vetustate attritus videatur. Numismata possumus insuper opponere numismatibus: habemus enim Punica quædam e Carthagine conservata, Carthaginenses autem Phœniciæ originis esse agnoscuntur; sed vix unus aut alter levem & confusam characterum a Scaligero delineatorum exhibet adumbrationem. Sex numismata eximia possunt videri apud Bernardum Aldrete *Antiguedades de Espana & Africa* lib. 2. cap. 1. In iis autem & palmæ & pisces Phœnicum insignia clare conspiciuntur, sed nulla veteris Græcorum scripturæ aut Samaritanæ in iis apparent vestigia, & ab Ebraica etiam discedunt. Ut pateat ingentem

literis, ut cæteris aliis rebus, accidisse Barbararum gentium commerciis mutationem, atque ex nummis recentioribus certum de antiqua scriptura ferri non posse judicium. Quin in Bibliotheca Vaticana Romæ depictus cernitur Phœnix habens supra caput totius Syrorum alphabethi literas exacte ad consuetam figuram repræsentatas, & sub pedibus hanc inscriptionem:

Phœnix literas Phœnicibus tradidit.

Unicuique autem notum, diversissimas a Samaritanis esse has Syrorum literas. Denique ipsum Samaritanorum alphabethum, quod comparat Scaliger cum Ionum literis, in multis discrepat ab illis literis Ionicis; imo discrepat etiam ab aliis Samarit. alphabetis, quæ possunt videri apud Theseum Ambrosium in appendice de Diversis linguis; G. Postellum in Alphabetho duodecim linguarum; & in editis Parisiis Londinique Bibliis polyglottis. Neque id mirum cuiquam videri debet, cum paucos habuerit libros probæ notæ Samaritanos Scaliger, & e duobus libellis de anni Samaritani serie agentibus, quos magno labore sibi comparavit, unum literis pæne inexplicabilibus, & alterum omnino inordinatum fuisse queratur; an inde amabo potuit genuina Samaritanarum literarum forma ita perfecte depromi, ut exemplar Phœniciarum esset? An ex literis illis inexplicabilibus cum permixtis Ionum literis potuerunt solida elici argumenta ad ullas sententias firmiter stabiliendas? non arbitror. Et generales hæ observationes modo sufficiant; particularibus dabit proprium locum caput sequens, atque confirmabit frustra in Samaritanis literis Phœnicias quæri; præsertim cum ii qui majorem numismatum Phœniciorum copiam perlustraverunt, & typis quædam exhibuerunt, genuinis Ebræorum literis inscripta edant nullaque diversis characteribus habeant, sed post sedulum examen Phœnicum proprios characteres judicent longe majorem habere cum hodiernis Ebraicis, quam cum Samaritanis affinitatem, ut inter alios Clariss. Ezechiel Spanhemius in eruditis dissert. de Usu & præst. numismatum; & post ipsum etiam Conringius de nummis Ebræorum cap. 3. sic Mejerus in sua ad Clariss. Conringium epistola ibidem relata, quæ his insuper verbis clauditur: *Confirmabar ego in mea sententia, quæ ad tuam quoque proculdubio accedit, Phœnicias literas, Samaritanas non fuisse, quidquid etiam celeberrimi viri, Scaliger & Hottingerus statuant.*

Nihilominus fixum ratumque esse per nos licebit has Phœnicum lite-

literas omnium literarum primas censeri, sed diverso itinere, & nostris insistentes institutis eas ad primævam linguam reducemus; nempe, qui Phœnices Græcis dicti erunt S. Scripturæ Idumæi ab Edom, sive Esavo oriundi, & consequenter Ebræa propago, & Ebrææ linguæ literarumque Ebræarum cum Israelitis gens hæres. Una obstare videtur Plinii, & sequacium sententia: scribit enim lib. 7. c. 56. *Literas semper arbitror Assyrias fuisse.* Sed literæ Phœniciæ jure ac merito possunt dici Assyriæ; Assyria scilicet potest extendi ad omnes regiones ejus imperio subditas. huic autem subdita fuit Phœnicia. Propterea expresse comprehendit Strabo Mesopotamiam Abrahami & primorum Ebræorum patriam sub Assyria, Geographiæ suæ libro 16. Quin ipsa Phœnicia Assyriæ nomine etiam nuncupatur a Poëta scribente 2. Georg.

— — — *Assyrio fucatur lana veneno.*

Assyrium enim venenum constat designare purpuram Phœniciam, qua lana pretiosissima solebat tingi. Et eodem sensu dici a Plinio etiam literas ipsa probari potest Plinii auctoritate; scribit enim lib. 5. cap. 12. *Ipsa gens Phœnicum in gloria magna literarum inventionis, & syderum, navaliumque ac bellicarum artium.* Si enim gloria literarum inventionis Phœnices spectat, non semper Assyriæ fuerunt, nisi Assyriæ sint Phœniciæ, & Assyrias pro Phœniciis dixerit. Vicissim permutato harum regionum jure Phœnicia Assyriam nonnunquam significat; sic apud Justinum Martyrem legimus Mosis majores, sive Abrahamum, Jacobum, ejusque liberos διὰ λιμοῦ περίφασιν ἀπὸ τῆς Φοινίκης ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον, *in Ægyptum propter famem e Phœnicia*, migrasse. Cum itaque Patriarcharum patria Assyria dicatur Phœnicia, & Phœnicia similiter Assyria nuncupetur, illorum literæ æque possunt dici Phœniciæ ac Assyriæ. Imo stricta & propria significatione literæ Phœniciæ fuerunt revera Assyriæ: in Assyria enim habuerunt eas Noachus, Semus, Eberusque & eorum fideles posteri. In Chananitidem postea adduxit eas Abrahamus, unde in Idumæam eas deduxit Esavus, & ex Idumea in Phœniciam ejus posteritas, ita ut successu temporis diversas occuparint provincias, & ab illis potuerint etiam diversa cognomina usurpare; sed inprimis dictæ sunt ob originem Assyriæ, cum aliunde nobiliorem antiquitatem non habeant. Simplicius enim commentario 46. in librum 2. Aristotelis de cælo testatur, Callisthenem e Babylone misisse ad Aristotelem observationes astronomicas Chaldæorum, quæ annorum mille nongentorum trium erant &

teste Porphyrio ad Alexandri magni tempora sedulo asservatæ fuerant. Jam vero si ab Alexandro retrogradientes hos annos numeremus, nos deducent ad Babylonicæ turris structuram sive primum diversarum linguarum exordium. Phœniciæ tamen ob earum amplissimam propagationem a Phœnicibus factam dici meruerunt postea, quia per majorem orbis partem primi eas disseminaverunt.

CAPUT VI.

De literis Samaritanis & argumentis quibus de primatu cum Ebræis contendunt.



Uamvis per varios literarum cursus circuitusque ex septemtrionis occidentisque finibus earum ortum tandem assequuti fuerimus, (quod posset sufficere; nam unusquisque fluvii etiam multifidi alveus ad ejus scaturiginem certo deducit, & sive verbi gratia ex occidente Nigrum retroactum sequaris, sive ex septemtrione in meridiem Nilum, fontes ejus tam diu ignotos obtinebis) attamen expedit ex omni parte literarum primævarum originem scrutari, atque nihil relinquere intentatum, ut nobis nuda, omnibusque expedita difficultatibus, & manifesta appareat earum prima origo. Cum igitur literæ Samaritanę magnis viris imposuerint, & in contentionem de primatu cum Ebræis admissæ fuerint, attentiorem merentur considerationem, & quæcunque in earum gratiam adduci possunt, nunc accurato examini subjiciemus. Samaritanos ita denominari volunt quasi שומרים, *somerim*, *observatores* legis; sed revera a *Samaria* urbe, & ipsa *Samaria* dicta est a *Semero* primo montis domino, cui inædificata est illa urbs ab Homri Israelitarum rege & montis illius emptore, ut refertur, Reg. 16—24. & ipsa tandem denominavit circumjacentem totam regionem, atque ipsos novos colonos ex variis imperii Babylonici provinciis a Salmanassare in locum transportatorum Israelitarum missos, & Cuthæos etiam in iis præcipuos. Cuthæi nempe gens ignobilis, & visa sibi ipsi indigna, quæ celebre & notum nomen in

ſuum permutaret. Sane antea altum in hiſtoriis de illa gente ſilentium, vixque priſtina Cuthæorum ſedes agnoſcitur. Joſephus dumtaxat Antiq. lib. 9. 14. ſcribit: Μετοικισθέντες εἰς Σαμάρειαν Χουθαῖοι. ταύτῃ γὰρ ἐχρῶντο μέχρι δεῦρο τῇ προσηγορίᾳ, διὰ τὸ ἐκ τῆς Χουθᾶς καλουμένης χώρας μεταχθῆναι. αὕτη δ' ἐστὶν ἐν τῇ Περσίδι, καὶ ποταμὸς τοῦτ' ἔχων ὄνομα. *Transmiſſi in Samariam Chuthæi fuerunt. hoc enim nomine nuncupati ſunt ad hoc uſque tempus, propter regionem Chutham ex qua veniebant, ubi etiam fluvius cognominis. &c.* Vix alibi plura de iis invenientur, aut certiora. In quinta quidem Aſiæ tabula ex Ptolemæi ſcriptis a Mercatore exarata Cuthi Carmaniæ incolæ leguntur; at in ipſo textu Ζοῦθοι invenio. An *Zuthi* in Cuthæos transmutandi? Veriſimillima videtur Clariſſimi Bocharti ſententia regionem Trantigritanam Græcis Κισσίαν & Ebræis כוש, *Chus*, dictam, a Chaldæis mutare ש in ת ſolitis nominatam כות, *Chut*, & ab illa Chutæos, fluvium, & vicina quædam loca etiam nomina ſua accepiſſe. Sane minus probabilis conjectura Joſephi Scaligeri, qui propterea quod in Colchide urbem Cuteam invenit, Cuthæos e Colchide oriundos putavit; alibi enim probavimus ſolitos Aſſyrios ex intimis imperii ſui provinciis colonos in devictas armis ſuis provincias emittere, eaſque ab illis denominare. Hinc inſula in mari rubro *Samaria* nuncupata teſte Geographo Nubienſi parte 5. clim. 2. Sic potuerunt immitti in Colchidem Cuthæi, ſed ex Aſſyriæ vicina regione ortum ducebant.

Hi igitur in vacuam incolis regionem auctoritate regia ingreſſi, & linguam, & mores, & ritus retinuerunt, nullaque ratione ad illa mutanda potuerunt adduci; cum nulli aut pauciſſimi miſerrimique indigenæ adeſſent, quorum opera indigerent, & linguam frequenti commercio addiſcere poſſent. Itaque ſuas etiam literas retinere debuerunt, cum nihil ſit moleſtius quam novarum literarum uſui ſe aſſuefacere, & abſque vi & neceſſitate ulla gens id nunquam fecerit, in ſubditorum gratiam.

Quamobrem probabiliſſimum eſt Cuthæos in Samariam ſuas literas attuliſſe, & literas illas a Chaldaicis antiquis deformatas fuiſſe, ut facile fit, & facilius adhuc factum, antequam typi literarum impreſſi figuram literarum immutabiliter conſervarent. Nihil poſſumus autem certi affirmare de antiqua Chaldaicorum characterum forma, a quibus orti ſunt hodierni Samaritani; ſed ſi aliquis concedatur conjecturæ locus, mihi videtur ex Samaritanis judicandum eſſe de vera Chaldaicorum figura, cum hos referre debeant illi, non ſecus ac ſuos typos referunt

ectypa. Possem hanc confirmare conjecturam diversis alphabethis, quæ antiquis Chaldæis tribuuntur, & genuinas Chaldæorum literas continere affirmantur, sed videri possunt & a curioso lectore etiam inter se comparari apud Theseum Ambrosium, Postellum, Duretum, & Waltonum in prolegomenis Polygl. Londinensium, aliosque. Tantum teneor observare Chaldaica alphabetha, quæ *literas Estrangelas*, quasi *στρογγυλοειδεῖς* seu *in rotundiorem formam delineatas* vocant, cum Samaritanis majorem habere affinitatem, iisque harum natalia inprimis deberi; sed cum usus consuetudoque non infirmiori gaudeant jure in res quasvis, quam ipsi natales, diversimodam in iis literis mutationem pedetentim effecerunt, & earum lineamenta ita detorserunt, ut in alias tandem omnino degeneravisse conspiciantur, licet, ut dictum, majusculi characteres qui soli olim in usu, majorem conservaverint affinitatem, & pauci ad nos pervenerint, qui magis inter se discrepent, quam manuscripti nostri vulgares diversorum auctorum & seculorum, licet literis nostris, & a nostris gentilibus accurate exarati cognoscantur. Denique post varias has mutationes prima & genuina figura literis Chaldaicis existimatur restituta a captivis Judæis, qui illam immutabiliter conservaverant; nam deinceps Chaldaica scriptura ab Ebræa non discriminatur.

Cum rem ita se habere arbitremur, exorari se sinant receptæ a maxima doctorum parte sententiæ patroni, qui statuunt, ut dogma certissimum, hodiernas Samaritanorum literas esse antiquissimas Ebræorum literas; hodiernas vero Ebræas ab Ezra secum e Babylone post captivitatem allatas, & in usum Judæorum reducum admissas, ne iisdem literis cum odiosa Samaritanorum gente, quæ antiquas usurpaverat, uterentur, atque dissentientes dignentur tolerare. Ingenue fateor hanc sententiam antiquitatis ornamentis & præstantissimis suffragiis fultam tantum non de adversa triumphare; quippe quæ ducem habeat Eusebium in Chronic. & S. Hieronymum inter Patres doctissimum. ille de Esdra testatur quod vulgo crederetur divinas literas memoriter condidisse, & ut Samaritanis non miscerentur Judæi, literas Judaicas commutasse: hic securior, utpote qui præfatione in libros regum scribit: *Certum est Ezdram scribam, legisque doctorem, post captam Hierosolymam & instaurationem templi sub Zorobabel, alias literas reperisse quibus nunc utimur; cum ad illud usque tempus, iidem Samaritanorum & Ebræorum characteres fuerint. &c.* & in Ezech. 9. *Antiquis Ebræorum literis, quibusque hodie*

utuntur Samaritani, extrema thau litera crucis habet similitudinem. &c. Illorum auctoritatem officiose sequi maluerunt plurimi, quam difficili expendere examine argumenta quibus innitebantur. Vidimus Scaligerum magni patris magnum filium eamdem amplexum fuisse sententiam; & post se traxisse Erpenios, Drusios, Grotios in Daniel. 5-7. Casaubonos, Waseros de antiq. Ebræorum nummis lib. 2. Brerewodios de pond. & pretiis vet. num. Capellos, & quos non? imo ingentem Pontificiorum licet infensissimorum catervam, inter quos eminent Bellarminus, Joan. Morinus Samaritani Pentateuchi assertor egregius, & Genebrardus, qui ad an. 3610. mundi id insinuat factum auctoritate Synodi, quam componebant Ezras propheta, & viri plurimi divino spiritu afflati. Vix igitur licuit contra hiscere. Neque placuit, quoniam argumenta valida requirebantur ad extirpandam sententiam, quæ tam altas a tot seculis radices egerat; paucaque suppetebant historiæ & rari his literis exarati libri. Præterea maxima pars hominum præfert antecedentium insistere vestigiis, quam operose scrutari, an recta sint, præsertim cum agitur de primis disciplinarum fundamentis, quæ absque raris reconditisque luminibus discerni non possunt: tunc enim consuetudine fere receptum est, ut deposita omni solicitudine in heroes, qui libenter harum rerum examen in se susceperunt, alii se exonerent, & secure eorum fruantur laboribus. Attamen sunt etiam generosiores animæ, quæ secundum hoc Apostoli præceptum tam in rebus fidei, quam in iis quæ fidem proxime attingunt necessarium, *Omnia explorate, quod bonum fuerit retinete* 1. Thes. 5—21. omnia dogmata accurate scrutantur, antequam ea suscipiant; unde nonnulli fuerunt, qui ab illa sententia communi recedendum esse judicaverunt. Talis vir acerrimi judicii & solidæ eruditionis compos Fullerus miscel. sacr. lib. 4. cap. 4. doctiss. Wil. Schickardus in jure regio cap. 2. §. 5. & peculiari dissertatione de nummis Ebræorum, & in Bechinath Happer. disput. 5. Hug. Broughtonus in Rabinicis scriptis versatissimus commentar. in Danielis cap. 9. Junius in Bellarm. de verbo Dei lib. 2. cap. 1. Buxtorfius inter Ebraisantes facile princeps, & ex Pontificiis illustrissimus Mirandulæ Comes J. Picus in epistola ad ignotum, Cardinalis Baronius Annal. tom. 2. ad an. Christi. 180. §. 13. & alii, qui abunde sufficiunt ad abstergendam superbæ singularitatis notam a nobis. Neque etiam absque jure adderetur Philo Judæus lib. 2. de vita Mosis, ubi sic de sua lege:

Τὰ δὲ τούτου μόνου βέβαια, ἀσάλευτα, ἀκράδαντα, καθάπερ σφαγίσι φύσεως αὐτῆς σεσημασμένα, μένει παγίως ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐγράφη μέχρι νῦν, καὶ πρὸς τὸν ἔπειτα πάντα διαμενεῖν ἐλπὶς αὐτὰ αἰῶνα ὥσπερ ἀθάνατα, ἕως ἂν ἥλιος, καὶ σελήνη, καὶ ὁ σύμπας οὐρανός τε, καὶ κόσμος ᾖ. *Sola nostra lex firma, immobilis, immutabilis tanquam ipsius naturæ sigillis obsignata manet constanter ab illa die qua scripta est ad hoc tempus, & spes est mansuram per omnia secula immortalem, quandiu sol, luna, cælum, totusque mundus permanebit.* Sane quæ firma, immobilia, & immutabilia sunt, semper eadem invariabiliter conservantur, & quæ sigillis munita sunt, nullis alterationibus obnoxia, & consequenter non putavit legem suam primævi sermonis ornamentis spoliatam & sordidis alienæ linguæ laciniis amictam fuisse. Eo autem libentius egregium illud testimonium antiquissimi auctoris protuli, quod funditus evertat oppositæ sententiæ basim, quam imprudens delirusque fabulator Judæus qui librum quartum Ezdræ nomine insignitum composuit, jecerat cap. 14—21. ubi legitur: *Lex tua incensa est, propter quod nemo scit quæ a te facta sunt. &c.* Unde obtinet a Deo, ut penitus ablatam & ab hominum memoria deletam legem ipsi restituat; quod deinceps narrat concessum, & potione aquæ ignitæ se ita repletum, ut indesinenter divina sapientia ex ejus ore defluxerit per continuos quadraginta dies, atque a quinque viris divinitus roboratis excepta fuerit, ac in ducentos & quatuor libros ab ipsis redacta. Scilicet putavit hic nugivendus, hæc miracula legis illustrationi magnopere conferre, & gloriosum etiam Ezræ fore quamdam cum Mose habere similitudinem, & eamdem iterum legem ecclesiæ dare. Quamobrem solent dicere Judæi dignum fuisse Esram promulgatione legis, si Moses non illum præcessisset. Hic novam de facto, ne antiquitas ipsi noceret, fingere volunt legis promulgationem, ne debito sibi honore fraudaretur Esras, & hoc zelo erga Esram motum revera ostendit rubus, a quo Deus illum alloquitur, ut antea Mosem, ne ulla alicujus momenti circumstantia requireretur. Hoc autem mendacium nimis credulos Patres & antiquos scriptores invenit; unde S. Irenæus advers. hæres. lib. 3. cap. 25. *In ea captivitate, quæ facta est a Nebuchodonosor, corruptis scripturis, & post* LXX *annos Judæis descendentibus in regionem suam, & post deinde temporibus Artaxerxis Persarum regis, inspiravit Esdræ sacerdoti tribus Levi prophetarum omnes rememorare sermones, & restituere populo eam legem quæ data esset per Mosem.* Tertullianus de habit. mul. c. 3. probat potuisse confer-

ſervari a Noacho prophetiam proavi Enochi, *quemadmodum & Hieroſolymis Babylonica expugnatione deletum omne inſtrumentum Judaicæ literaturæ per Eſdram conſtat reſtauratum.* Videatur Theodoretus præf. in Pſal. & pauci reclamant. Attamen falſum eſt legem tunc penitus defeciſſe: eam coram ſe habuit Daniel. 9-10. & in ea cernebat ſcriptas in reos exſecrationes: & ſtatim poſt reditum e captivitate librum legis legit, exponitque Eſdras Nehem. 8-1. denique ante Eſdram debuerunt legem habere Samaritani, cum ſuis characteribus ipſo antiquioribus illam habeant. Ut autem error errorem trahit, ita fabula hæc ſic artificioſe compoſita requirere etiam novam in lege ſcripturam, ut omnimode nova videretur, apparuit poſteris, qui hoc additamento illam exornarunt. Alio animo præditus Philo, & nihil convenientius legi eſſe duxit quam conſtantiam immutabilem: quamobrem vivis ſuis coloribus illam depinxit. Non urgebo cæterorum teſtium auctoritatem, aut adverſariorum extenuabo merita; ſartum tectum unicuique ſuum remaneat jus, modo veritati obeſſe non præſumat. Neque poteſt: infirmum enim ſit neceſſe eſt teſtimonium eorum, qui rem aliquam per denſam plurium præteritorum ſeculorum caliginem ægre aſſequuntur. Tres dumtaxat facere lubet obſervationes. 1. Quod ſequaces contrariæ ſententiæ poſſunt forſitan ſibi variæ & multiplicis eruditionis gloriam arrogare, ſed alii penitiorem linguæ Ebraicæ & affinium cognitionem habuerunt. 2. Quod hi etiam accuratius veritatis indagationi incubuerunt: nam præter Capellum, qui rem ex profeſſo tractavit, & argumentis ultro citroque expenſis quod ſibi placebat, adſtruxit, alii fere omnes contenti ſunt quaſi ex tribunali judicare. Contra Buxtorfius generoſe aggredientem Capellum excepit, & declinatis ejus ictibus viciſſim fortes infligere indeclinabileſque ſategit. In idem deſcendit certamen Schickardus, & Fullerus. &c. 3. Quod judicia Euſebii, S. Hieronymi, & poſtea Scaligeri confidentia plena, ſecundum acrem atque ſecuram genii utriuſque naturam, multis qui putarunt eos abunde inſtructos omnibus ad ferendum judicium ſubſidiis, impoſuerunt. Sane poſſumus non immerito exiſtimare vulgarem illam ſententiam, quam refert Euſebius, auctores habuiſſe Samaritanos, qui eodem modo quo ſe jactabant a Joſepho ortos apud Joſeph. Antiq. lib. 9. cap. ultimo, potuerunt conſequenter ejus literarum hæredes ſe prædicare; & ob falſum Eſdram ad cujus teſtimonium alludunt Euſebii verba, ipſe fidem iis adhibuit, quoniam dotibus ad æquum ju-

judicium requisitis destituebatur, & suspectam habebat infensissimorum Judæorum contradictionem. Licet etiam dubitare, an S. Hieronymus ullam linguæ Samaritanæ notitiam, & ipsas Samaritanorum literas habuerit perspectas, vel ipso Scaligero judice: affirmat enim S. Hieronymus ut antea patuit, quod *antiquis Ebræorum literis quibusque hodie utuntur Samaritani, extrema thau litera crucis habet similitudinem. Nihil falsius dici potuit*, inquit in Euseb. animad. Scaliger. Et revera nullam cum cruce habet convenientiam *thau* Samaritanum, & consequenter incognitum fuit S. Hieronymo, ut fusius postea probabitur. Præterea bisque terque dicit Hieronymus se ad Samaritanorum codices ad assequendum genuinum quorumdam S. Scripturæ locorum confugisse Galat. 3-10. ubi ex lege citat, *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis*, Deut. 27-26. Cum autem non inveniret in textu Ebræo *omnis*, neque *in omnibus*, quibus judicabat vim argumenti inniti, & suspicaretur Judæos delevisse ex suis codicibus, scribit: *Quam ob causam Samaritanorum Ebræa volumina relegens inveni* כל, *quod interpretatur omnis, sive omnibus, scriptum esse, & cum* LXX *interpretibus concordare; frustra igitur illud tulerunt Judæi, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia implere, quæ scripta sunt, cum antiquiores alterius gentis literæ id positum fuisse testentur.* Mitto quod hic contra morem fonti Ebræo & Judæis sit minus æquus, quam solet; mitto loci sensum satis patentem, cum Deut. 27-14. Deus jubeat verba legis suæ ad omnes Israelitas recitari, & verba legis absolute sic proposita ne unum quidem sinant excipi. Unde Apostolus sensui addictus illum, additis *omnis* & *in omnibus*, perfecte exposuit. Sed quod dicit כל ibi inventum interpretari *omnis*, sive *omnibus*, ancipitemque præbere expositionem, minime constat: licet enim vox illa Ebræa sit utriusque generis & numeri, attamen ibi minime verti potest *omnis*, quasi cum voce *maledictus* jungeretur; sed verbis legis juncta evidenter cernitur, cogitque necessario vertere dumtaxat *in omnibus*, & ex hac interpretatione vix colligi potest eruditionem Hieronymi ad Samaritanos codices distincte legendos se extendisse. Præterea non semper literis Samaritanis libri Samaritanorum scribuntur, & Samaritana plurima Ebræis literis ex quibus potuit judicium ferre, exarantur. Incomparabilis Scaliger ingenti divinæ mentis acumine abdita quæque facile penetrabat, sed paucissima scripta Samaritanorum vidit, eaque literis plerumque inexplicabilibus, quodque miserius adhuc fuit, ab ignaris con-

confuſe ſcriptis, ita ut vix ullus ingenio ſuo ſe exercendi locus patuerit. Quamobrem ut optatam his literis obtineret auctoritatem, ad numiſmata confugit, ut multi alii; idcirco ea conſiderabimus, ſed loco opportuno.

Nunc licet dicere, linguam Samaritanam eſſe notiorem: libri plurimi Samaritani etiam proſtant, extant inſuper vocabularia, dictionaria, & grammaticæ, ex quibus omnibus colligere poſſumus magnam eſſe affinitatem inter linguam illam & Ebræam, plurimas voces inter ſe habere communes, vixque differre verborum flexiones, formationes nominum, atque eorum conſtructiones, ita ut tamen Ebræa Samaritanæ, ut etiam cæterarum ſecundum S. Hieronymi obſervationem, matrix non obſcure videatur. Unde ęquum eſt colligere ejus literas Samaritanarum ſimiliter haberi debere matrices, atque prima exemplaria.

CAPUT VII.

De Pentateucho Samaritano, & innumera variarum lectionum copia, qua ex Ebræo duxiſſe originem probatur.



SEd validius, & omni exceptione majus argumentum nobis ſuppeditare videtur Samaritanus Pentateuchus, qui Ebræis vocibus, & literis Samaritanis conſtat; ita ut cum Judaico Pentateucho optime concordet etiam quoad ſenſum. Sunt tamen quoad voces quædam diverſitates, & lectiones variæ, ut inter manuſcripta a diverſis exſcriptoribus facta, & libros etiam editos a variis Typographis, qui iiſdem uſi fuiſſent codicibus. Hæ autem diverſitates, & variæ lectiones invitis auctoribus oriri perhibentur ex quarumdam literarum ſimilitudine, aut ſimili literarum etiam ſono, qui earum permutationem facile introducit. unde harum obſervationum opera Critici ſolertes ſolent genuinas lectiones ſæpe numero reſtituere. Qua propter non dubitamus, quin variæ lectiones Ebrææ Samaritanæque eamdem utilitatem nobis præſtent, primam originariamque lectionem in-

indicent, atque antiquam ſcripturam ſimul valeant declarare; quippe quæ declarabunt originem ſuam, ſive ex ſimilitudine literarum vocumve, aut ex ſimplici earum ſono deductam. Hinc autem facillimum erit nobis dijudicare, quænam illæ primæ literæ fuerint harum diverſarum lectionum cauſæ: ſatis enim manifeſte diſcriminantur a ſe invicem Samaritanæ literæ & Ebraicæ, ut primo oculorum aſpectui pateant, quæ ſimiles ſint, aut diſſimiles. Jamvero ſi maxima pars illarum diverſitatum orta perhibeatur a Samaritanarum literarum ſimilitudine, conſtabit a Samaritano exemplari literiſque Samaritanis exarato ab initio, prodiiſſe hodiernos Samaritanorum pentateuchos; ſed ſi contra a ſimilitudine hodiernarum literarum orta ſit, adhuc clarius conſtare debet, ab exemplari literis illis exarato ſuum ortum duxiſſe pentateuchos Samaritanos, cum aliunde non potuerint irrepere hæ diverſæ lectiones. Huic igitur argumento totus impræſentiarum incumbam, prætermiſſis Judæorum auctoritatibus, & variis rationibus, quæ apud Buxtorfium & ejuſdem ſententiæ propugnatores poſſunt videri.

Cum autem Pentateuchus ille Samaritanus ſit mihi hoc modo lapis Lydius, expedit ante omnia Ebræi Judæorum Pentateuchi ſartam tectam etiam conſervare dignitatem, atque definire, utri judicium, cum diſſident, ſit deferendum, & præcipua auctoritas concedenda, ne dubii ancipiteſque identidem hæſitemus: quod inſtituta inter utrumque comparatione ſtatim præſtabitur.

Pentateuchus Ebræus peculium eſt Eccleſiæ, ſacratiſſimum Dei fœderis cum ipſa inſtrumentum, & ejus in ipſam benevolentiæ ſanctiſſimum pignus: Pentateuchus vero Samaritanus ex ipſamet propugnatorum ſententia eſt obſoletum rudimentum, quod prophetæ & pii Judæi neglexerunt, & ab uſu ſuo dejectum genti prophanæ libenter projecerunt. Pentateuchus Ebræus invigilantem ſuæ conſervationi divinam providentiam ſemper habuit, & licet innumeri tyranni & hoſtes in ejus exitium conjuraverint, nunquam tamen contra ipſum prævaluerunt, vel minimam etiam partem de ejus integritate fidem dirigente potuerunt delibare: contra Pentateuchus Samaritanus effrænæ fœdifragorum Iſraelitarum & idololatrarum Cuthæorum licentiæ expoſitus fuit, & licet invicta divinæ veritatis vi fretus nefarios plurimorum impoſtorum conatus ſuperaverit, non nullas tamen excepit corruptelas, ut hoc ipſo a legitimo exemplari diſcerneretur. Sane refert Beatus Eulogius apud Photium

cod.

cod. 230. quod Dositheus Samaritanus in Prophetas maledicus, & in Patriarchas contumeliosus: Ἐις ἑαυτὸν πάντα καὶ τὴν προφητείαν, καὶ τὴν ἄλλην περιέσπα θειότητα, μυρίαις καὶ ποικίλαις ἄλλαις νοθείαις τὴν Μωσαϊκὴν ὀκτάτευχον κατακιβδηλεύσας. *Sibi omnia, & prophetiam, & reliquam divinitatem arrogavit, & Mosaicum octaplum innumeris diversisque corruptelis adulteravit.* Quid vocet octaplum Mosis, non liquet; nemo enim hactenus Mosi tribuit præter quinque libros, & forsitan Jobi historiam, quam quidam in deserto volunt ab ipso scriptam ad confirmandam piorum Israelitarum patientiam secundum hæc Thalmudis in *Bava bathra i.e. porta suprema* 4. partis *nisikin* sive *de damnis*: כן משה כתב ספרו ופרשה בלעם ואיוב ויהושע כתב ספרו ושמונה פסוקין שבתורה *Sic Moses scripsit librum suum, & sectionem Balaam & Jobum: Josua vero scripsit librum suum & octo legis versus*, ultimos scilicet qui ad calcem Deuteronomii mortem Mosis referunt, & ab ipso, nisi saltem prophetice scribi non potuerunt. Sic octaplus non nisi mendose dici potuit pro pentaplo, aut sextaplo; nisi existimemus libros integros Mosaicis additos qui octonarium numerum compleverunt, quibus adulteratus pentateuchus postea victrici veritatis opera purgatus est, & pristinam integritatem cum legitimo pentateuchi nomine recuperavit. Verum enimvero si generalem hanc labem potuit effugere, particulares excepit, quæ cum cantione legi debere monent, docentque præcipuam ejus auctoritatem ab ejus cum Ebraicis Judæorum codicibus consensu pendere. Non in exemplum afferam loca contentioni obnoxia, sed unico magni momenti & in oculos incurrente nunc ero contentus, qui desumitur ex Deuteron. 27—4. ubi nomen montis *Garisim* in locum nominis *Hebal* substituitur. Non autem fortuito & incogitanter ille error irrepsit: omnes enim Israelitæ reclamantes illum redarguerunt, Samaritani vero pertinaciter propugnarunt, eique ut firmissimo schismatis sui fundamento adhæserunt, & ad hunc usque diem adhærere perhibentur. Sic autem se habet locus ille celeberrimus secundum veritatem & paraphrases versionesque omnes Samaritanis solis exceptis, quibus alibi etiam ad fraudem convincendam sacri codices manifeste astipulantur: *Et erit cum transiveritis Jordanem, erigetis lapide istos*, (ad inscribendam eis legem dispositos) *quos ego vobis præcipio hodie in monte Hebal, & illinies illos calce, & ædificabis ibi altare domino Deo tuo; altare lapidum, super quos non exercetur ferrum; altare domini tui lapidibus*

integris ædificabis, & offeres super ipsum holocausta domino Deo tuo, pacificaque mactabis, & comedes ibi, & lætaberis ante faciem Domini Dei tui. &c. Totus ille locus iisdem verbis legitur in codice Samaritanorum, excepto solo nomine *Hebal*, cujus locum occupat *Garisim*, ut legentes persuadeantur expresso Dei mandato cultum religiosum monti *Garisim* affixum, ibique omnia sacrificia legitime posse offerri. Versio Samaritana nomen *Hebal* similiter abegit, & *Garisim* substituit contra fidem omnium codicum, Ebræorum, Chaldæorum, Græcorum, Syrorum Arabum, Persarum, & cæterarum omnium gentium, qui unanimiter falsitatis arguunt codices Samaritanos. Præterea non contenti sunt corrupisse hunc locum; ut duplicarent scelus, totum hunc locum addiderunt Exod. 20—17. post decem mandata. immo triplicarunt: addiderunt enim etiam Deut. 5—21. tam textui sacro, quam versioni suæ, ut trina falsificatio trium testium vices perageret. Et hæc erroris fraudisque pertinacia non casum redolet, sed industriam, ut verbis S. Augustini utar, & astute ita compacta, ut, quia non potuit errore contingere, difficilius veniret in suspicionem: verum omnia exemplaria, & cæteræ versiones ne una quidem excepta illam redarguerunt. Nemo autem objiciat benedictiones e Garisimo monte pronunciatas, & ex Hebale maledictiones, quasi sacrificia ad illas pertinerent, cum revera sacrificia iram & maledictionem Dei significent, & ad illas averruncandas manifestissime tendant, ut cuivis patet. Quin veritas ab Ebræorum & aliorum interpretum partibus adeo evidenter stat, ut in solemni cæterarum gentium judicio victrix triumphaverit: siquidem Josephus Antiq. lib. 13. cap. 6. refert ingens inter Judæos & Samaritas exortum dissidium ob templa sua, Judæis ex lege sua contendentibus unum Hiesolymitanum esse legitimum, Samaritis contra ex eadem lege Garisitanum propugnantibus; adeoque confidenter & animose controversiam ab utraque parte agitatam fuisse ante supremum Ptolemæi Philometoris regis tribunal, ut utriusque partis patroni juraverint se ex lege acturos, consenserintque, ut, qui succumberent, extremo afficerentur supplicio: succubuisse autem Samaritanorum patronos, rege decernente Hierosolymitanum ex Mosis sententia esse conditum & Garisitanum absque ullo jure; & consequenter illius patronos constituto supplicio esse addicendos. Jure equidem atque merito, cum in subsidium causæ titulum fraudulenter adulteratum proferrent, & genuino legitimoque Judæorum au-

audacter opponerent. Quamvis etiam tituli æqualis ponderis visi fuissent, Samaritanus tamen non potuisset stare, quoniam testis ipsius unicus erat & nullum præter hunc locum corruptum proferre potuit, at Judaicus ipsum falsi arguens altero sibi consono invicte sinceritatem suam demonstrat. Nam Josuæ 8—30. expresse refertur post ingressum Israelitarum in Chananitidem, & simul atque illam occupando ad montem Hebal potuerunt pervenire: *Tunc ædificavit Josua altare domino Deo Israelis in monte Hebal, quemadmodum præceperat Moses servus Dei filiis Israelis, secundum scriptum quod habetur in libro legis Mosis; altare lapidum integrorum super quos ferrum non fuit exercitum, & immolarunt super illud holocausta domino, & pacifica sacrificaverunt.* An non coram quovis æquo judice hic locus controverso loco penitus parallelus, dubitationem omnem, si qua esse potuit, inter primum & unicum, ab utroque pentateucho didiverse relatum, diremit; & cum Samaritarum causa uni loco in subsidium suum depravato inniteretur, Ebræorum autem jus argueret falsitatis illum locum, & altero affini loco veritatem a se conservatam astrueret, innumerisque auctoritatibus solemnia religionis sacra Hierosolymæ addicta probaret, cadere debuit Samaritarum causa, & tota simul Samaritani Pentateuchi, qua est Samaritanus scilicet, quaque opponitur Ebræo, auctoritas? Id clarius adhuc patebit absolvendo institutam inter illos comparationem; Ebræus enim Pentateuchus præter assiduam divinæ providentiæ curam præpositos ecclesiæ Israeliticæ pastores habuit suæ conservationi semper intentos, secundum Malachiam 2-7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia est legatus Domini exercituum. &c.* Divinitus itaque constituti sacerdotes pro suo munere debuerunt indesinenter invigilare, ne aliqua labes in textum sacrum eorum curæ demandatum irreperet. Quin singuli Israelitæ debuerunt pro modulo suo satagere, ut perfecta legi maneret integritas, quoniam omnes Israelitæ tenebantur legem illam propria manu, cum poterant; aliena, cum per se non poterant, habere descriptam. Audiamus R. Mosem Maimonidem in *Jad Chaz.* part 1. libro 2. *de dilectione in constitutionibus de precibus & de schedulis januæ affigendis & libro legis*, cap. 7. sect. 1. מצות עשה על כל איש ואיש מישראל לכתוב ספר תורה לעצמו שני ועתה כתבו לכם את השירה כלומר כתבו לכם תורה שיש בה שירה זו לפי שאין כתובים את התורה פרשיות פרשיות ואע״פ שהניחו לו אבותיו ספר תורה מצוה לכתוב משלו ואם

ואם כתבו בידו כאלו קיבלה מהר סיני ואם אינו יודע לכתוב אחרים כותבים לו וכל המגיה ספר תורה ואפילו אות אחת הרי הוא כאלו כתבו כולו וגו׳׳ *Præceptum est affirmativum obligans unumquemque Israelitam ad scribendum sibi ipsi librum legis secundum hæc verba* Deut. 31—19. *Et nunc scribite vobis hoc canticum. &c. Quasi diceret, Scribite vobis legem, in qua extat illud canticum, quoniam non est mos scribendi particulares quasdam sectiones seorsim. Et quamvis relictum a majoribus quis haberet librum legis, jubetur tamen alterum sibi ipsi propria opera describere, & cum ita manu propria descripsit, idem est ac si illud accepisset ipse e monte Sinai: si autem non didicit scribere, alii debent in ejus vicem illum describere ipsi. Verum qui corrigit librum legis, etiam unicam litteram restituendo, idem est ac si totum integre descripsisset.* Verba hæc omnia referre coegit utilitas eorum ad demonstrandum vix ullos errori patuisse ad Ebræum textum aditus, cum totidem exemplaria legis extarent, quot Israelitæ erant; imo quot fuerunt, quoniam majorum libros ita conservabant, ut a novis sibi describendis non eximerentur. Quamobrem in quavis familia inveniri plurima exemplaria debuerunt, & eorum subsidio facillimum fuit observare errores simul atque obrepebant, quoniam horum lectioni assidue vacabant, atque magnam eorum partem memoriæ impressam conservabant. Præsertim observatione dignum est ingens præmium correctoribus propositum, nempe totius legis descriptioni par reputatum unius litteræ vitium emendasse in aliquo exemplari. Sed ne aliquis existimaret id solum tenuisse Maimonidem, expedit addere sapientem Aben Esram in citatum Deuteronomii versum etiam referre, unicuique Israelitæ imperatum sibi describere legem, modo nosceret scribere, & in eumdem locum Bagnal hathurim observare, quod constare debeat cantico a singulis Israelitis describendo, seduloque memoriæ recondendo totum Mosis pentateuchum debere intelligi ex verbis his וְלַמְּדָהּ אֶת־בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל, *& doce illud filios Israelis.* Quæ gematrice, celebri inter Judæos expositionis ratione, referunt הוּא תוֹרָה בִּכְתָב, *id est lex scripta.* ut pateat communi Judæorum suffragio Maimonidis sententiam comprobari. Ad conservandam Pentateuchi Judaici integritatem multum contulisse tantum exemplarium numerum & propositum etiam correctoribus, privatis scilicet qui secundum correcta authentice exemplaria errores emendabant, præmium nemo potest inficiari; accessisse tamen ingens ad privatorum studium ex regis exemplo pondus existimandum est.

eſt. Rex enim ipſe tenebatur, ut cæteri ſubditi, ſibi propria manu deſcribere Pentateuchum, ſecundum hæc legis verba Deut. 17-18. *Et erit ſimul atque inſederit ſolio regni ſui, ſcribat ſibi exemplar legis hujus, ſecundum librum lectioni ſacerdotum deſtinatum, & erit ſemper ſecum, legetque in eo ſingulis diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & obſervare omnia mandata legis hujus.* Nolite autem putare nihil illi privatim mandari. optime enim Maimonides loco proxime laudato ſcribit: והמלך מצוה עליו לכתוב ספר תורה אחר לעצמו לשם המלך יתר על ספר שהיה לו כשהוא חדיוט, *Et regi*, inquit, *imperat ſex ſcribere ſibi, unum legis librum quatenus rex eſt, præter illum quem antea ut privatus habebat*; nempe mandatum exprimit expreſſe tempus ſequens ejus inaugurationem. Unde Philo de creatione principis ἀφ' ἧς δ' ἂν ἡμέρας παρέλθῃ τὶς ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, κελεύεται τὴν ἐπινομίδα γράψαι αὐτοχειρίᾳ; *ab illa die, qua quis perveniebat ad imperium, jubebatur propria manu legis compendium ſive deuteronomium deſcribere. &c.* Præcipue tamen nobis attendendum eſt obſervationi poſtea factæ a ſapientiſſimo illo Rabinorum his verbis ejuſdem cap. 1. lect. 2. ומגיהין אותו מספר העזרי על פי בית דין הגדול זה שהיה לו כשהוא הדיוט מניחו בבית גנזיו וזה שכתב איש נכתב לו אחר שהמלך יהיה עמו תמיד ואם יצא למלחמה כפר תורה עמו נכנס וחוא עמו יושב בדין והוא עמו מיסב והוא שני והיתה עמו וקרא בו כל ימי חייו *Et corrigunt illum ſecundum librum Eſdræ ante conſilium juridicum ſupremum; librum autem alterum quem privatus habuerat, reconditum ſervat in domo theſaurorum ſuorum; alter vero quem ſcripſit, aut ſcribendum curavit* (ſi per ſe ipſum facere non potuit ſcilicet) *ab eo tempore quo rex eſt, erit ſemper cum ipſo; & ſi in bellum proficiſcitur, liber legis ipſum comitabitur; conventum adit, liber legis etiam; ſedet in judicio, liber legis ipſi aſſidet; denique ne privata quidem commercia agendo hunc librum a ſe divelli patitur, dicente lege, Et erit cum ipſo, & leget in eo omnibus vitæ ſuæ diebus. &c.* O ter quaterque beata tempora, quibus reges individuo legis divinæ comitatu civium ſuorum res gerebant, & jura pacis bellique adminiſtrabant, atque dum in itinere gerebant illam, domi ut peculium ſuum pretioſiſſimum aſſervari curabant, ne ullo caſu ea unquam ſpoliarentur! Gandavenſes Præſules videntur optatiſſimam illam felicitatem pervidiſſe, cum naſcenti Carolo Quinto, cui principes

& omnes civium ordines certatim dona afferebant, duo Dei teſtamenta cum hac inſcriptione, *Hac ſedula evolve manu biblia*, obtulerunt. Sed ſuccedentibus indeſinenter ipſi, ſimul atque indiſpenſabili hoc officio fungi valuit, negotiis, prætermittere illud coactus eſt, & adventante demum ſenio monitus depoſuit imperium, ut ſalutari illi ſtudio vacaret. Adeo verum eſt pios reges non poſſe ſatis æſtimari, quandoquidem ipſi agnoſcant, quod regibus nunc vix licet eſſe piis. Feliciores Judæorum reges erant, quibus pietas & aſſiduum legis divinæ ſtudium primam regiæ dignitatis partem conſtituebat, legemque Dei conſtantem ejus normam cum diademate ſuo accipiebant incorruptam a ſuis præſulibus, qui divino Prophetæ Ezdræ αὐτογράφῳ duce nullos in ea nævos patiebantur adhærere. Sane minime licet in dubium revocare, quin quamdiu aliquem pietatis ſenſum conſervarunt, ſategerint ſecundum perfectiſſimum exemplar eorum curæ commiſſum cæteros libros & regium imprimis accuratiſſime diſcribi; maxime cum tenerentur (& hoc inprimis ſedulo obſervandum) ob minimum defectum codices reddere prophanos & ad ullum uſum ineptos, teſte noſtro ipſo Maimonide ſect. 12. citati capitis: ספר תורה שאינו מוגה אסור לשמור יותר על שלשים יום אלא יתקן או יגנז וגומ׳ *Liber legis qui non eſt correctus, prohibetur aſſervari ultra triginta dies; corrigi debet, aut ſeponi, ut occultus jaceat.* Poſſem ex eodem Rabino oſtendere nec plurimas etiam correctiones in uno codice toleratas, ſed certum iis præſcriptum fuiſſe numerum, ut exſcriptores diligentiorem adhiberent operam, ne laborum ſuorum præmio fraudarentur; tantique æſtimatos codices correcte exaratos, ut licet aliquis plures habuiſſet, ei tamen nefas fuerit aliquos vendere etiam ad neceſſarium cibum familiæ ſuæ comparandum, ſed tantum ad conducendum præceptorem, qui legem in iis contentam illum doceret, aut ad uxorem ducendam. præter duas illas neceſſitates extremas nulla fuit, quæ a ſervandis inæſtimabilibus ſuis codicibus illum eximere potuerit.

His diutius immorari libuit, quo clariſſime paterent media quibus ſarta tecta codicis Ebræi, ſaltem ab Eſdræ ſeculo, conſervata eſt integritas, & poſtea etiam: nam licet reges defecerint, qui in illorum ſucceſſerunt locum principes, morem divinitus conſtitutæ legi gerere, & pontifices, maximusque magiſtratuum conſeſſus certatim ſuis integerrimis codicibus regios, qui cæteris exempla eſſent, aſſimilare debuerunt, donec

repu-

republica Judæorum funditus cum omni ordine ſuo deleta hos codices aſſervandos Chriſtiani per totum terrarum orbem diſperſi religioſe ſuſceperunt. Quamvis ne tunc quidem illorum laudandam ſollicitudinem Rabini abjecerint; nam viris Synagogæ magnæ, qui cum Eſdra ſedulam legi conſervandæ operam dederunt, Judæi ſucceſſiſſe teſtantur ſuos רַבָּנִים, *Rabbanim*, his תַּנָּאִים, *Tannaim*, ſive Miſnæ auctores, (ab iis enim Rabi Hacados totam illam traditionum ſeriem habuit; cum poſtremus eorum circa annum ab Hieroſolymæ poſtremo excidio 120 & Chriſti 190 defeciſſet) quibus אֲמוֹרָאִים, *Amoraim*, ſive doctores Gemaræ quæ Miſnæ poſt 326 annos ſecundum Judæos addita, & tandem omnibus סְבוּרָאִים, *Sburæos, incertos*, גְּאוֹנִים, *illuſtres*, & innumeras recentiorum Rabinorum catervas, qui mutuam ſociarunt operam, ut ſuum legi ſemper maneret decus. Quin celebres Academiæ eumdem ſcopum ſibi propoſuerunt, modo ad orientem in Babylonia vel ejus vicinia ſtatim ab initio captivitatis, ut quibusdam Judæis placet, vel poſtquam pars doctorum Hieroſolymitanorum Judæa a Romanis deſolata ſecundum alios eo confugeret, & modo in occidente ſive Chananitide & quidem in Babyloniæ vicinia *Soræ*, *Pumbeditha* & *Naphardea*, urbibus ad Euphratem ſitis. Inter quas *Nahardea* ob ſingularem eruditionis famam celeberrima emicat, ut ex ipſo nomine patet; nam נְהַר דְּעָא, eſt *fluvius ſcientiæ*, quod ex ea ut ex uberrimo alveo ſcientia efflueret, totumque terrarum orbem abunde irrigaret. In Chananitidis vero urbibus יַבְנֶה, *Japhne*, ſive *Joppe*, ab *elegantia* ſic dicta; צִיפּוֹרָא, *Sephoria*, ab *aurora* hoc nomen ſortita, quod illius inſtar micaret, & urgentes ignorantiæ tenebras profligaret; *Cæſarea* inſuper, & *Tiberias* ab Auguſto Cæſare & Tiberio dictæ. Hæc quæ vicino mari ſuum etiam nomen tribuit, cæteris clarior evaſit ob egregium Maſoræ opus, quod per excellentiam מָסוֹרָה, *maſora. i.e. traditio* dici meruit, & ſæpis inſtar legem contra ingruentes corruptelas circumvallavit; unde Judæi ſolent dicere, מָסוֹרָה סְיָג לְתוֹרָה, *maſora ſepes legis.* Jure equidem ac merito, quandoquidem ejus auctores ſtudium legis & linguæ ſanctæ cognitionem in dies labaſcere cernentes indefeſſo labore literas, vocesque iis compoſitas uniuſcujuſque libri legis numerarunt, diverſaſque literarum ſedes obſervarunt, ut pateret quoties unaquæque litera dictiones incipiat, aut terminet, aut ejus medium occupet, imo quæ medios libros dividant, ne ulla transpoſitio, vel mutatio in iis fieri poſſet. Quamobrem Judæi per omnes orbis regiones diſperſi iiſdem codicibus gaudent, neque vel

una

una vox poteſt addi, aut loco moveri, quin id in omnium oculos ſtatim incurrat; quodque eorum fidem imprimis commendat, varias lectiones antea introductas conſervare non neglexerunt, ita ut facilem præbeant rationem eligendi convenientiores, & ſecundum fidei analogiam præſtantiores, ſi præſtantiores quædam ſint aliis. Adeo enim invigilavit divina providentia codicum ſacrorum integritati, ut paucæ alicujus momenti variæ lectiones in iis obſerventur. Veniat nunc in comparationem Pentateuchus Samaritanus, jactetque ſuas prærogativas, & præſidia, arteſve, quibus ſuam protexit integritatem: deſtitutus omni ope ſemper patuit infidelis & indoctæ gentis libidini, nullos unquam nactus ſuſceptores ſinceros aut vindices, & firmiſſimum ejus præſidium in tenebris quibus obſeptus jacuit, conſtituendum eſt. Sed facinoroſos ipſa ignorantia aliquando reddit audaces & abſque propoſito tutiora etiam valet attentare; imo ſæpius, cum vult ſanare, perdit atque pesſundat. Quare in omnibus Judaico Pentateucho cedere debet Samaritanus, & ab eo, utpote divinis & humanis præſidiis, quibus ipſe caret, inſtructiſſimo omnem ſuam mutuare auctoritatem, ita ut emendari debeat, cum a Judaico diſſidet; cum vero concordat, ab hoc conſenſu vim totam obtineat, quia tum demum conſtare debet nullas corruptorum Samaritarum manus ad ſacros Judæorum codices habuiſſe acceſſum; nam ii ſæpe plurima addunt textui. vid. Exod. 8--4.

His poſitis ſumma Pentateucho Judæorum debetur auctoritas, & quamvis alienis literis deſcriberetur, nativis non propterea ſpoliaretur decoribus in ſenſuum medulla, non in vocum cortice, conſtitutis. Præterea ſupponitur facta ab Eſdra propheta divinis luminibus illuſtrato illa literarum mutatio, quod a minima labis ſuſpicione illam penitus vindicat. Attamen expediet, intus & in cute idem abſque ulla alteratione præſtantiſſimum illud divinæ doctrinæ corpus conſtanter permanſiſſe, eamdemque legem iisdem literis ſcriptam eccleſiam conſervaviſſe, quia ſic manifeſtius erit ad interiora non penetraſſe mutationem, quæ ne quidem exteriora attingere valuit.

Itaque ex diverſis lectionibus, quæ in Pentateucho Samaritano extant, & a Judaico diſcrepantem arguunt, videamus an poſſit colligi legem a Moſe revera literis Samaritanis ab initio fuiſſe deſcriptam, & ab Eſdra demum in hodiernam Judæorum ſcripturam fuiſſe tranſlatam, ut volunt Adverſarii; an, quod nos contendimus, hodiernæ Judæorum literæ

ſint

ſint eadem, quibus Moſes & Patriarchæ uſi fuerunt, quibuſque lex & prophetica oracula ſemper eccleſiæ veteris oculis proſtiterunt. Diverſas etiam Pentateuchi Judaici lectiones comitem cum auctoritate rationem habere paſſim demonſtrabimus, ut victoriam non tam jure extorquere, quam ſibi merito deberi perſuadere videatur Judaicus Pentateuchus.

In Samaritanorum Pentateucho literæ ſimillimæ ſunt ב, *beth*, & ר, *reſc.* ſic י, *jod*, & צ, *thade.* ſic נ, *nun*, & פ, *pe*, & totum diſcrimen in tribus illis paribus minimi apices conſtituunt. Quis autem credat ex codicibus his literis initio exaratis totum exſcribi potuiſſe Pentateuchum, quin ſæpius una pro alia harum literarum irreperet? At ne ſemel contigiſſe poſt ſedulum examen obſervavi; hoc autem validi argumenti vim habere debet, & corroborare rationes, ex permutatione affinium inter Judæos literarum frequentiſſima petitas. ג *gimel*, & ו *vau* nonnullam etiam inter ſe habent convenientiam, nullas tamen fecerunt diverſas lectiones, & cum præcedentibus ſuum conſtanter ſervarunt locum. Denique ne ullam inter has literas ſimilitudinis umbram conſulto prætermiſiſſe videar, eſt nonnulla affinitas inter ט *teth*, & ע *gnain*, & ſemel inveni hanc literam pro illa uſurpari, nempe Exod. 18—26. in quibuſdam exemplaribus ſecundum Waltonum in ſuis ad hunc locum obſervationibus, ſed alia melioris notæ exemplaria errorem arguerunt. unde in editos codices non admiſſus, ſed in iis conſtanter legitur de electis e populo judicibus, ut in textu Judaico, יִשְׁפְּטוּ, *judicabunt*, non יִשְׁפְּעוּ. nullo convenienti ſenſu. Quin verſio ipſa Samaritana textum quem exponit fuiſſe rectum teſtatur, reddens יפשרון ejuſdem ſignificationis cum verbo Ebræo. Præterea ſi diverſa illa lectio admitteretur, potius aſſignanda eſſet literis Ebræis, quæ ſimiliores ſunt inter ſe quam Samaritanæ. Itaque cum ſimilitudo literarum Samaritanarum nullas inter Judaicum & Samaritanum Pentateuchum effecerint diverſas lectiones, concludere licet ab hoc illum non fuiſſe exſcriptum, cum ſoleant exſcriptores paſſim ſimiles literas confundere, ut jam jam patebit multiplici Samaritanorum exſcriptorum exemplo.

Innumerabili copia ex ſimilibus Ebræorum literis orta lectionum diverſitas nunc ſeſe offert, & ad vitandam confuſionem ordo alphabethi neceſſario obſervandus eſt, ut per claſſes diſtributæ illæ diverſæ lectiones ſeriatim procedant.

א cum ע maximam obſervantibus ipſis Judæis habet ſimilitudinem & facile confunduntur, niſi ad obſervandam diſtinctionem ſedula attentio adhibeatur: hinc paſſim exſcriptor Samaritanus א pro ע accepit & vice verſa etiam ע pro א; qui loci obſervandi ſunt, ne error Ebræis exemplaribus tribuatur. Ille qui עֵפֶר inter filios Madiam ſcribitur in codice Judæorum, ſcribitur in Samaritano אפר Gen. 25-4. Hic error levis eſt momenti, cum ſit in nomine proprio, & mutationem ne quidem inferat pronunciationi. עַל, *ad*, legitur in codice Jud. Gen. 50-21. & Exod. 18-23. & 26-13. Num. 16-14. Deut. 25-5. In iſtis quinque locis Samaritanus codex legit אֶל, cujus præpoſitionis vis poteſt cum præcedenti componi, neque ex illis permutationibus ſenſus magnopere perturbatur, licet præcedens præpoſitio, quæ *ſuper* etiam ſignificat, magis conveniat. Majoris momenti eſt mutatio adverbii עַתָּה, *nunc*, in אַתָּה, *tu*, Exod. 6-1. Nam in ſignis jamjam adeo exhibendis conſiſtit vis promiſſionis Moſi factæ, quæ inefficacior eſſet ſi indeterminatum tempus habuiſſet, neque ad iter Moſis accelerandum fuiſſet idonea: hinc LXX Græci Interpretes, & cæteræ verſiones *nunc* illud ſive *tempus præſens* deſignare ſategerunt. Sic Num. 11-23. Iſraelitis qui ſpreto manna carnes anhelabant, & ipſi Moſi qui Deum his cupiditatibus licet effrænis morem gerentem viſus fuerat admonere impoſibilitatis rei his verbis, Num greges & armenta mactabuntur eis? Num ſufficienter invenientur? etſi omnes maris piſces etiam caperentur an ipſis ſufficerent? dixerat Deus: Num manus Dei ullis coarctatur limitibus, עַתָּה, *nunc* & *in hoc ipſomet inſtanti videbis* an ſtem promiſſis, vel non: hic *nunc* illud adeo neceſſarium ad præſentiſſimum divinorum promiſſorum complementum ſignificandum mutarunt in אַתָּה, *tu, tu videbis*, ex quo ſermoni vis nulla accedit. Alias pro עַל Samaritanus legit אֶת, ſive pro præpoſitione accuſativum regente ſimplicem accuſativi notam, ut Levit. 4-8. pro עַר הַקֶּרֶב, *ſuper inteſtinum* (agitur de adipe illud cooperiente) Samaritanus habet ſimpliciter אֶת: Contra vice verſa cap. ſeq. verſ. 7. ubi conceditur pauperi, qui non poteſt offerre agnum, facultas offerendi duos turtures aut duas columbas, *afferet*, inquit ſacer Judæorum textus, אֶת־אֲשָׁמוֹ, *delictum ſuum*, phraſi ſcripturæ ordinaria pro delicti victima. Samaritanus enim א in ע permutato reddidit inepte עַל־אֲשָׁמוֹ, *ſuper delictum ſuum*, & nihil exprimit quod ei debeat ſuperaddi. Eodem errore Num. 23-21. ubi Balamus dicit Deum non videre, ſive non pati אָוֶן in Jacobo i. e. *luctum*, aut *dolorem*.

vem, Samaritanus habet עון, *iniquitatem*, quæ lectio arguitur evidenter erroris ex altera versus parte hanc, ut passim S. Scripturæ mos, exponente, in qua extat עָמָל, *labor*, quem conservavit Samaritanus. duo enim illa vocabula ita affinia sunt, ut raro separentur, Job. 4-8. *arantes* אָוֶן, *luctum*, & *seminantes* עָמָל, *laborem*. 5--6. *non egredietur de pulvere* אָוֶן, *luctus*, & *de humo* עָמָל, *labor*. 11-3. *concipere* עָמָל, *laborem*, & *parere* אָוֶן, *luctum*. Psal. 7—15. *parturiet* אָוֶן, *luctum*, & *concepit* עָמָל, *laborem*. Jesa. 10—1. væ statuentibus statuta אָוֶן, *vanitatis*, & *scribere facientibus* עָמָל, *laborem*. 59-4. *concipiendo* עָמָל, *laborem*, & *pariendo* אָוֶן, *vanitatem*. Conjunctim etiam incedunt Ps. 55-11. אָוֶן וְעָמָל, *vanitas & labor in medio ejus*. 10—7. עָמָל וָאָוֶן, *labor & vanitas sub lingua ejus*. sic 90—10. & alias, debent enim hæc exempla sufficere ad Judaici textus lectionem confirmandam. Sed quod præcipuum est, עון nihil potest significare quod huic loco possit adaptari, & mentem scopumque auctoris omnino perverteret. Vidimus אֶל pro עַל usurpari ob illam τῶ ע cum א similitudinem; sic contra עַל pro אֶל ob eamdem rationem usurpatum invenimus Gen. 24-11. & 20. 37-35. 43-33. 50-16. Exod. 9-14. & 21. 12-22. bis. 14-5. & 24. 28-7. 24. & 26. 32-34. Levit. 4-12. 8-8. 9-22. 14-51. 18-18. Num. 32-14. 33-54. Deuteron. 4-39. 7-10. bis. 20-10. 30-1. 33-28. &c. Permutatio trigesies septies facta ob similitudinem duarum literarum in uno Pentateucho posset sufficere ad probandum propositum nostrum; sed expediet in aliis literis idem experimentum facere.

א proxime accedit ad ה, cum scriptura non est accuratissime formata; quare etiam solent frequenter permutari in Pentateucho Samaritano. sic 1. Genes. 12-6, מוֹרֶה, *moreh*, refertur a Samaritano מורא substituto א in locum ה. quod fit similiter Deut. 11-30. Ratione hanc permutationem non arguam, quia est nomen proprium, & nominum rationes non semper patent: id facilius præstabo in sequenti exemplo 2. ex Gen. 14-23. petito. Ibi recusat Abrahamus divitias a rege Sodomæ oblatas, Ne inquit, dicas, הֶעֱשַׁרְתִּי, *ditavi* Abrahamum: Samaritanus vero mutato similiter ה in א habet אעשרתי contra omnes regulas flexionum verborum inter Ebræos observatas, quæ requirunt ה in præterito hiphil, & א dumtaxat admittunt ad denotandam primam singularis futuri personam quæ in תי non debet terminari. Quin ipsa versio Samaritana textus sui errorem corrigit: nam habet עשרתי verbo Ebraico conservato, & sola mu-

 tata

tata conjugatione, quod nullius est momenti. 3. Gen. 15-1. Deus declarat suam erga Abrahamum benevolentiam dicendo: Ego tibi *scutum*, *& merces* הַרְבֵּה, *multa*; sic omnes paraphrases, & versiones, exigente ipso sensu. At Samaritanus, ארבה, *multiplicabo*, non sensu quidem alieno, sed incongruo, cum verbum illud pro adjectivo positum, uni dumtaxat substantivorum conveniat; non enim plura scuta sunt necessaria. 4. Gen. 19-29. Deus emittit Lothum e medio הַהֲפֵכָה, *subversionis*, Sodomæ: Samaritanus secundo ה in א mutato exhibet האפכה vocem nihili, & Ebræis inusitatam, cum ה sit radicale genuinæ. 5. Gen. 32-32. Jacob in sua cum Angelo lucta læditur in nervo הַנָּשֶׁה, quod nomen Judæi volunt ab eventu sic dici, quia hac læsione nervus ille loci sui fuerit oblitus, & illum deinceps non repetierit. Verbum Ebræum in hac significatione frequenter usurpatur; *sed alteram ejus significationem lingua Arabica videtur conservavisse. sic enim Arabes vocant ligamentum sive nervum, quo femur coxendicis aceabulo connectitur, Græcis ἰσχίον. Quin ipsi Arabes ipsum ἰσχιάδα νόσον articulariorum morborum acutissimum sic etiam vocant, & multis experientiis constat nervum illum brevissimum post violentam extensionem semper divagari, & perfectam raro admittere curationem; unde satis probabile est sic læsum Jacobum, qui post luctam illam semper claudicasse refertur. Pessumdat utramque illam originem, & significationem Samaritanus legendo הנשא. 6. Judæ amicus Gen. 38-1. & 12. חִירָה scribitur in Pentateucho Judaico, at in Samaritano perperam חירא. sed est nomen proprium, in quo mutatio literæ affinis soni non magnum hinc momentum. 6. Versu 16. Juda ait ad nurum suam הָבָה־נָּא, *Concede quæso*. Samaritanus vero הבא vocem nihili habet; nam יָהַב in imperativo debet habere הַב & cum ה paragogico הָבָה; sed nulla ratio patitur א. 7. Gen. 40-19. וְתָלָה, *& suspendet*, de pistore Pharaonis, quod eventus comprobavit vers. 22. & 41-13. unde versio Samaritana convenienter reddidit per צְלַב, *crucifixit*; at exscriptor Pentateuchi Samaritani inepte, & absque sensu habet in tribus illis locis תלא verbum Ebræis ignotum. 8. Gen. 42-2. duplici errore ex הִנֵּה, *ecce*, particula anxiam ob ciborum penuriam Jacobi familiam erigente in spem obtinendi eos ex Ægypto, fecit, אֲנִי, *ego*, nullius utilitatis, & omnes interpretes adversos præterea habet. 9. Gen. 43-11. מִשְׁגֶּה, *error*, in patrocinium argenti in saccis Israelitarum reperti adducitur. Samaritanus legit משגא contra Ebræorum usum & leges, atque legiti-

gitimum ſenſum. 10. Gen. 46-3. מֵרְדָה, *a deſcenſu in Ægyptum nihil timeas*, inquit Deus Jacobo; Samaritanus nullo ſenſu legit מרדא, & contra genium linguæ Ebrææ, quæ dat רֵד, & cum ה paragogico רְדָה infinitivo verbi יָרַד, quod ſignificat deſcendere, ſed א ibi alienum eſt. Sic 11. terra Ægypti fame תְּלַה, *laboravit*, pro quo Samaritanus ob eaſdem rationes inepte habet תלא. 12. Inter liberos Joktanis Gen. 10--27. extat הֲדוֹרָם, *Hadoram*; Samaritanus legit אדורם, *Adoram*, & licet nomen ſit proprium, redargui poteſt falſi, quia eadem genealogia repetitur 1. Chron. 1-21. ubi lectio Ebræa confirmatur, & duos teſtes divinitus actos ſibi oppoſitos Samaritanus habet. Præter duodecim illa exempla ex ſola geneſi, alia plurima ſunt in aliis libris obvia. 1. Exod. 2-9. filia Pharaonis inventi Moſis matrem alloquitur hoc verbo הֵינִיקִהוּ לִי, *lacta mihi*. Samaritanus primum ה τῆς hiphil chacteriſticum mutat contra omnem rationem & normam in א quod primis ſingularis futuri perſonis convenire poteſt, legitque אנקהו, quaſi ipſa regia puella ſe eum lactaturam inepte polliceretur. 2. Bis eumdem in uno verbo admittit errorem ejuſdem capitis v. 19: de Moſe דָלֹה דָלָה, *hauriendo hauſit aquam*, & frequens eſt in hoc ſenſu verbum דלה; at Samaritanus abſque exemplo & jure habet דלא דלא. 3. 3-18. Deus alloquitur Moſem, & jubet, ut declaret Pharaoni eſſe Iſraelitis omnibus iter trium dierum ad deſertum faciendum ut Deo ſuo ſacrificarent, quia dices, Deus ille Ebræorum נִקְרָה, *occurrit nobis*, vel ut Syrus ܐܬܓܠܝ ܠܢ *apparuit* nobis, & Arabs Erpenianus تجلى, *illuxit ſuper nos*; Waltonianus vero وافانا امره, *præceptum ejus pervenit ad nos*, eodem fere ſenſu; at Samaritanus legit נקרא, *invocatur*, ſuper nos: quod novum non eſſet, nec iter inſolitum urgeret; ſed quod primo evenit habet ſocios, qui eodem modo legerunt, & א pro ה acceperunt, nempe Græcos Interpretes qui habent προσκέκληται ἡμᾶς, *vocavit nos*. id quod primo intuitu judicari poteſt, cum προσκαλέω & קרא affinia ſint verba, & *vocare* ſignificent. Sed cum verbum Ebræum ſit in conjugatione paſſiva, non poteſt active reddi niſi paraphraſtice, & hac ratione apparitionem Dei, ejuſque occurſum potuerunt illi Interpretes per vocationem convenienter exponere, quoniam revera Deus advocavit Moſem. &c. Chaldæi etiam Paraphraſtæ viſi ſunt ad ſenſum invocationis reſpexiſſe, ut patet Latina Onkeloſi verſione. at immerito. ipſe enim, & Jonathan ben Uziel habent אִתְקְרֵי a קְרֵי, *occurrit*, non a קְרָא, *vocavit*. Quare

ſola Vulgata Latina reſtat, quæ LXX interpretes ſequitur, & eamdem admittit expoſitionem, ſed eos ab errore vindicare non poteſt ejus ſuffragium. 4. In cantico Moſis 15-4. exaltatur virtus illa Dei potentiſſima, quæ Pharaonem, exercitum ejus, apparatumque ſuperbum proſtravit & in profundum maris demerſit יָרָה, *dejecit in mare*, inquit, at mutatione ה in א frigidam reddit vim hujus verbi. legit enim ירא, *vidit*, quod minimis Iſraelitis, & Ægyptiis etiam tribus potuit; & cum addatur illico electos duces in mari ſubmerſos, certum eſt antea debuiſſe dejici & agi præcepites, ut Ebræa veritas & cæteræ verſiones unanimiter declarant. Leviticus liber unum ſaltem ſuppeditabit exemplum cap. 26-43. ubi agitur de terra quietem nacta בָּהְשַׁמָּה, *in deſolatione*. ſuffragantur huic lectioni Chaldæi, Syri, Arabes, Perſæ, Græci, & verſiones vulgares, ipſaque verſio Samaritana; habet enim בשממה verbo Ebræorum conſervato. At Samaritanus exſcriptor exhibet באשמה אשמה autem *peccatum*, & *ſcelus*, aut ſacrificium pro illis, quæ cum hujus loci ſcopo minime quadrant. Novi quidem nonnunquam אָשַׁם confundi cum שָׁמַם & quamdam vaſtationem importare, ſed id excuſationi Samaritani nullum præbet locum, cum ה ejus infinitivo deberet præponi, ut vim nominis ſortiretur, ſicut præponitur in בָּהְשַׁמָּה. Numerorum liber plura ſuppeditabit exempla: cap. 23-3. Balaam conſulturus Deum ambulat *in occurſum* ejus, & ait, Forſan יִקָּרֵה, *occurret* Deus, ut ſupra Exod. 3-18. & eodem modo erravit Samaritanus; exſcripſit enim יקרא, quod ſignificat *vocabit*. Sed a propria verſione deſeritur, quæ reddit per יזמן, *occurrit*, ut cæteræ verſiones, & eventus requirit. illico enim refertur quod occurrit Balaamo Deus. Quin eo ſenſu etiam exſcriptor potuit accipere, cum קָרָא ſignificet etiam Ebræis *occurrere* & mutatione ה in א ſignificatio non mutetur, ſed ſufficiet mutaſſe literas ut tanquam infidelis exſcriptor condemnetur, quia illas cum ſenſu debet exhibere. Eadem iterum fit mutatio verſ. 15. ubi pro אִקָּרֶה, *occurram*, Samarit. habet אקרא. Verſ. 21. ſimili mutatione contra omnium interpretum fidem mutat tertiam perſonam, & quod dixit Balaamus de Deo, Non הִבִּיט, *videre facit*, vanitatem in Jacobo, tribuit Balaamo ipſi ſcribendo אביט, *non aſpexi*, ſed proprio teſtimonio argui poteſt falſi; nam conjunctio ſequens quæ verbum eidem tempori & perſonæ alterum ſociat illud tertiæ perſonæ exhibet, nempe & non רָאָה, *vidit laborem in Iſraele*. Ubi corrigenda verſio Latina tam textus Ebræo-Samaritani, quam verſionis Samaritanæ, quæ duo illa verba in

prima persona facit concordare, reddens: *Non aspexi iniquitatem in Jacob, neque vidi prævaricationem in Israele.* Plura adhuc hujus permutationis exempla dabit Deuteronomium. 1. Pluviam tempestati convenientem Deus pollicetur 11-14. nempe יוֹרֶה *matutinam*, & serotinam. Nota illa vox Ebræis & passim a sacris auctoribus usurpata, ut Hos. 6-3. Jerem. 5-24. & semper serotinæ conjungitur, atque sic scribitur, neque regulariter potest scribi aliter; at Samaritanus habet יורא, quod vocabulum a grata irrorantis gratia alienissimum, & *terrorem* dumtaxat exhibet. 2. Cap. 15-2. jubentur creditores septimo quoque anno remittere debitoribus suis מַשֵּׁה, *debitum.* Samaritanus habet משא, *onus*, unde Samaritana versio reddidit eodem sensu מסבל. Et debita quidem onera sunt, sed non vicissim onera omnia sunt debita, & hoc generaliori vocabulo pervertit sensum, & a textu, cæterisque interpretibus prava lectione recessit, atque bis hoc fecit. nam pro יַשֶּׁה, *mutuo dedit*, habet etiam ישא, *levavit.* 3. Filii מוֹרֶה, *contumacis*, pœna constituitur: Samaritanus legit descripsitque מורא, *pinguedinem*, aut *magisterium* significans, quod ad mentem Legislatoris non potest accommodari. vers. 20. cum iisdem vocibus idem error repetitur. 4. Lex de rebus quæ mutuo dantur agens Deut. 24-10. & 11. antecedens verbum repetit כִּי תַשֶּׁה, *cum mutuo dederis*, & נוֹשֶׁה, *mutuo dans. &c.* utrobique ה pro א usurpatum ab exscriptore Samaritano, qui legit יתשא & נושא contra sensum & rationem, ut demonstratum. 5. Denique 32-21. textus sacer repræsentat Dei indignationem in Israelitas ob הַבְלֵיהֶם, *vanitates eorum*, sive idololatrias; Samaritanus legit & retulit אבליהם, *luctus* & *mærores* eorum, alieno sensu, quem Versio corrigere voluit reddens בטלין, *vana* & *abominanda.*

Non autem mirum est exscriptorem Samaritanum toties in eamdem literam impegisse; quandoquidem ipsi Ebræi cum incomparabili diligentia qua utuntur in exscribendis codicibus sacris, ipsa א cum ה similitudine decepti bis terque hanc literam cum altera etiam permutaverint, & eumdem erraverint errorem. Sic apud Ezechielem 14-3. הַאִדָּרוֹשׁ nullis Ebræorum conjugationum formis potest adaptari, licet verbum דָּרַשׁ sit regulare; at restituendo ה in locum א omnia quadrabunt, & sensus tempusque verbi ejusdem immediate sequentis probe convenient, nempe sic, הַהִדָּרֹשׁ אִדָּרֵשׁ, *requisitus requiram*, vel *requirendo requirar.* Etiam Psal. 76-6. אֶשְׁתּוֹלְלוּ, *spoliati se*, omnino irregulare, & ratio normaque requirit הִשְׁתּוֹלְלוּ legi. Et 2. Chron. 20-35. אֶתְחַבַּר, *consociavit se*, pro הִתְחַבֵּר extat,

se-

ſecundum linguæ Ebrææ normam ; quod ultro ipſi Judæi agnoſcunt. nam in h. l. R. D. Kimchi אתחבר כמו התחבר האל״ף תמורת הה״א וכן וכל מלבושי אגאלתי כמו הגאלתי *Scribitur* אתחבר *quaſi* התחבר א *vice* ה, *ſicut* , *Et omnia veſtimenta mea inquinavi* , *quaſi ſcriberetur* הגאלתי. Ita quartum ex Eſaiæ 63-3. ſuppeditatur exemplum, ſecundum Ebræorum leges manifeſtiſſimum. in primum quidem ex Ezechiele teſtimonium idem Kimchi alia ratione utitur ad excuſandam anomaliam: ſcribit enim, האל״ף במקום הה״א כי כבדה על הלשון לקרא שני הה״ין כאחד, א *in loco* ה *quia durum in lingua Ebræa duo* ה *ut unum legere.* mavult ſcilicet hanc comminiſci linguæ concinnitatem alias non obſervatam , quam exſcriptores Judæos erroris arguere. Ad Pſalmum autem 76-6. R. Aben Ezra ingenue ſcribit : אשתוללו האל״ף תחת הה״א התפעל כמו אתחבר *Scribitur* אשתוללו א *pro* ה *characteriſtica hiphil* , *ut etiam* אתחבר 2. Chron. 20-35. Poſſem plura ſimilia addere , ut Jeſa. 19-6. ubi Propheta vehementi expreſſione vult ſubitam propugnaculorum Ægypti ruinam deſignare , & ſcribit quod flumina , quæ primum tenent locum, הֶאֱזְנִיחוּ , *in fugam acta retrocedent. &c.* ubi א ſecundum omnium interpretum ſententiam irrepſit in locum הֶ , unde legendum הַזְנִיחוּ reſtituto ה cum puncto ipſi debito ſecundum R. Moſem Kimchium teſte R. D. Kimchi ejus fratre in h. l. ſic ſcribente : ואחי ר׳ משה פירש כי האל״ף במקום הא הבנין *Frater meus R. Moſes interpretatur dicendo, quod* א *ponitur pro* ה *conjugationis quintæ characteriſticæ. &c.* ſic Jerem. 25-3. אַשְׁכֵּים , *mane ſurgendo*, pro הַשְׁכֵּים & Gen. 41-43. אַבְרֵיךְ , *genua flecte*, pro הַבְרֵיךְ. Sed a propoſito tramite non eſt diutius recedendum : ut igitur hæ varietates in textu Ebraico ex ſimilitudine harum literarum , ſic in Samaritano. Quemadmodum igitur exſcriptores Judæi in lingua ſua Ebræa verſatiſſimi , & zelo religionis erga codices ſacros eorum deſcriptioni attentiſſimi non potuerunt ita ſibi cavere , quin ſimilitudine harum duarum literarum ter aut quater in toto veteris teſtamenti libro decepti fuerint ; ita facile accidit ut exſcriptor Samaritanus alienis literis intentus eadem ſimilitudine ſæpius in ſolo Pentateucho deciperetur , cum eadem religione tantopere non teneretur , neque adeo verſatus eſſet in codicum Ebræorum verſione , præſertim cum nativo gentis ſuæ genio ad mutandum ה in א ferretur. Non latet enim omnes Chaldaicæ linguæ peritos , frequentiſſimum eſſe ut Ebræa vocabula fiant Chaldaica , ſola ה in א permutatione ; Chaldaicæ autem linguæ

Sa-

Samaritana esse debuit affinis. Ne tamen solus huic permutationi dedisse locum mos ille Chaldaicus crederetur, sed manifeste pateret similitudini literarum errorem esse potius tribuendum, erroremque illum rationi morem minime gerere, sed passim adversari, exscriptor Samaritanus א Chaldæis suis dilectum nonnunquam similiter permutat in ה, quia ejus formam præ se ferre videbatur. sic Genes. 3-8. de Adamo וַיִּתְחַבֵּא, *abscondit se*: Samaritanus legit & retulit ויתחבה. & vers. 10. pro וָאֵחָבֵא, *& abscondi me*, idem retulit ואחבה. sic Gen. 8-7. mons cui substitit arca nuncupatur אֲרָרָט, *Ararat*, Græci Interpretes Ἀραράτ etiam reddunt, & eodem modo etiam idem nomen refertur 2. Reg. 19-37. ubi refertur filios Sancheribi post illius necem fugisse in montes אֲרָרָט & a propheta Jesaia 27-38. Jeremiaque 51-27. quod ipsa nominis ratio comprobat: אַר enim est *maledictio*, & ירט, *declinavit*, nempe in eo monte Noachus declinavit atque effugit maledictionem, quæ diluvio totum terrarum orbem obruit, secundum hos ipsos Sibyllæ versus lib. 1. Sibyll. Orac.

Ἔστι δέ τι Φρυγίης ἐπὶ ἠπείροιο μελαίνης,
Ἠλίβατον τανύμηκες ὄρος, Ἀραράτ δὲ καλεῖται,
Ὅττ' ἄρα σωθήσεσθαι ἐπ' αὐτῷ πάντες ἔμελλον.

Assurgit Phrygiæ mons quidam in finibus atræ,
Arduus, alta petens, Ararat quem nomine dicunt,
Quod fatale fuit illic evadere cunctis.

Haud exigui forsitan hoc testimonium videbitur esse ponderis, cum tamen genuinam nominis illius scripturam, & interpretationem allatam referat confirmetque, producere libuit; imo Benjaminum Judæum quoque, qui in itenerario suo montem illum describit, & nomen ut vulgo adhuc notum refert, additque non longe ab illo monte Ararat ex arcæ reliquiis templum Muhamedanorum sive Mesquitam olim condidisse Omarem Sultanum. Contra tot testes & rationem evidentem Samaritanus exscriptor א in ה mutato montem nuncupat הררט absque sensu, & teste. Præterea Genes. 13-9. Abrahamus elegantissima brevitate nepoti Lotho exposita necessitate a se invicem discedendi ob ingentem armentorum, & pecudum, servorumque copiam ait: Elige, *si dextra tibi placet* אַשְׂמְאִילָה, *sinistrabo i. e. sinistram* petam; *sin contra sinistra placeat*, אֵימִנָה, *dextrabo.* i. e. *dexteram partem* sequar. Utrobique א est nota essentialis primæ futuri personæ, attamen contra omnem rationem in

utroque verbo locum א dedit τῷ ה, nec vel minimum futuri aut primæ personæ characterem conservavit Samaritanus, scripsitque השמאילה & הגמנה, sine ullo sensu.

Similiter 18-15. Sara quæ risu suam prodiderat incredulitatem, cum Deus ipse pollicebatur filium, & postea metu risisse se negabat, sic ab ipsomet corripitur לֹא כִּי צָחָקְתְּ, *Non*, (supple *debes negare*) *quoniam revera risisti. &c.* Samaritanus vero *non* illud totius sensus clavem mutat in pronomen, inepte scribendo לה *ipsi*, contra cæterorum interpretum exemplum: Chaldæus enim לָא & LXX τὸ οὐχὶ habet.

21-24. Error incurrit adhuc manifestus & in oculos: invitatus enim ad confirmandum juramento suo fœdus Abrahamus respondet Abimeleco regi, אִשָּׁבֵעַ, *Juramentum libenter præstabo.* ubi א primæ futuri personæ, ut supra, indicium est; mutatur tamen in ה sensui etiam adversum a Samaritano, qui exhibet השבע. quodque observatu dignum, tam patentem errorem correxit versio Samaritana, & abjecto ה restituit א legitimum verbi tempus אשתבע usurpando.

27-3. Isaacus Esavo petente benedictionem, quam ejus nomine paulo ante concesserat Jacobo, mirabundus exclamat, אֵפוֹא, *ubi ille. &c.* at Samaritanus mutato א in ה substituit vocem nihili.

31-47. Mirabilius tamen est Samaritanum in voce Chaldaica ipsi vernacula שָׂהֲדוּתָא, *testimonium*, cespitasse. Literarum tamen figuræ magis quam sensui intentus cespitavit: scripsit enim שחרותה vocem ineptam. unde ab ejus exemplo recessit Samaritana versio reddens סערותה qua voce Samaritani solent significare *testimonium*, sicque cæterorum interpretum exemplum sequitur, suo exemplari posthabito.

49-9. Jacobus Judam filium dicit esse כְּלָבִיא, *sicut robustum leonem*, a לב *corde* generositatis sede nomen habentem; illud autem nomen passim in S. Scriptura usurpatur, ut Hos. 13-8. & Psal. 57-5. Sic vero semper scribitur cum א, neque unquam ה admittit nisi cum leænam significat, ut Ezech. 19-2. & ה est fæmininæ speciei nota. Adeo huic nomini mascula indoles est propria; attamen exscriptor Samaritanus reddidit כלביה quamvis de fortissimo patriarcha agatur. sic inf. Num. 23—24.

Exod. 23-7. simili mutatione corrupit sensum, & verbum exemplumque Dei enervavit ad hominem transferendo; si quidem Deus ibi prohibet innocentis cædem, additis minis: *Non enim* אַצְדִּיק *justificabo impium.*

pium. i.e. gravissimis pœnis mulctabo: habet enim Samaritanus הצדיק, *justificabitur* impius. Ut etiam pateat pronus ad duarum illarum literarum similium permutationem lapsus, eodem modo legerunt LXX Græci Interpretes, qui reddiderunt *οὐ δικαιώσεις τὸν ἀσεβῆ*, *non justificabis impium*: sed cæteri alii interpretes inoffenso pede sequuntur recta Judaici textus vestigia.

32—31. Samaritanus exscriptor bis in una voce trium literarum peccavit, illamque totam deformavit. Pro Israelitis intercedit Moses, & utitur voce אָנָּא, *obsecro, quæso*, in ardentissimis deprecationibus usurpari solita; reddit autem ille חנה, *ecce*, quod ibi frigidum est. Ne tamen ipsi minus æquus videar, observabo duo illa vocabula in ipso textu Ebræo, ut ejusdem valoris videri adhibita; nam 2 Sam. 7-2. David ægre ferens quod templum non ædificavisset Deo, dicit Nathani Prophetæ, *Vide quæso* נא, *habito in domo cedrina & arca Dei in textorio hospitatur*. & 1 Chro. 17-1. dixisse refertur: הִנֵּה, *Ecce habito in domo cedrina. &c.* Sed hic *ecce* vim maximam habet ob adjunctarum circumstantiarum concursum: videtur enim comparare Deum cum Davide, & fragile tentorium cum superbo palatio, quod rei indignitatem præ oculis manifeste proponit. Præterea licet historicus diversimode rem referret, non liceret eadem uti libertate exscriptori.

39—23. תַּחְרָא, *lorica*, redditur a Samaritano תחרה, quod esset minoris momenti, nisi se ad ipsas literas fideliter exhibendas obstrinxisset.

Num. 11-17. Deus ait Mosi אָצַלְתִּי, *seposui*, Samaritanus הצלתי verbo Ebræis ignoto: neque ad conjugationem hiphil recurrere licet, in qua verbum illum haberet הֶאֱצִילְתִּי.

vers. 20. לְזָרָא, *in nauseam.* Samaritanus habet לזורה: non alieno sensu, sed diversa scriptura.

23-24. Israel comparatur leoni generosiori כְּלָבִיא, & Sam. ut supra depravat כלביה ut Gen. 49-9. sic infra 24-9. & 33-20.

Deut. 2-25. Deus ait Israelitarum duci Mosi, Nunc אָחֵל, *incipiam terrorem immittere populis*: Samaritanus reddit, החל, *Incipe terrorem immittere. &c.* & iterum LXX Græci interpretes similiter legerunt reddentes, *Ἐνάρχου δοῦναι τὸν τρόμον σου, Incipe dare timorem tuum. &c.* At contra Ebræo Judæorum textui suffragantur Chaldæi, Syri, Arabes, Persę, Latini, & vulgares omnes interpretes. jure sane ac merito: opportuit enim adimpleri promissum.

Exod. 23-27. *Terrorem meum mittam ante te. &c.* & conſtat hoc uno Dei terrore Iſraelitas Chananæis terribiles evaſiſſe.

24-20. In judicium a patre adducendus dicitur filius סֹבֵא, *potator*, voce frequenti & notiſſima; at Samaritanus inepte reddidit סובה, ignota & aliena voce.

23-1. דַּכָּא, *attritio.* Samar. דכה.

Judæi exſcriptores accuratiſſimi licet, ipſa harum literarum ſimilitudine capti nonnunquam ה pro א uſurparunt. ſic Ezech. 14-4. pollicetur Deus ſe reſponſa daturum etiam viro idololatriæ reo qui per Prophetam ipſum conſuluerit, ipſis Judæis auctoribus: *Reſpondeo* (inquit Deus) לוֹ בָה, *ipſi venienti. &c.* Unde R. David Kimchi poſt maſoram: בהי' בה כתיב בהא'' וקרי באל''ף כי אותיות אהו''י מתחלפות, *Scribitur* בה *per* ה *& legendum per* אלף *quia literæ* אהוי *ſunt permutabiles.* Sic Jeſ. 21—14. הֵתָיוּ, *venite*, pro אֵתָיוּ. unde R. D. Kimchi in h. l. התיו כמו אתיו id eſt, הֵתָיוּ *quaſi* אֵתָיוּ. Exempla ſimilia non favent Samaritano exſcriptori, ſed probant, has literas Ebraicas ob ſimilitudinem poſſe etiam ſedulos lectores decipere, & conſequenter ex Ebraico exemplari deſcriptum Pentateuchum Samaritanum.

Alterum literarum inter Ebræos ſimilium *par* eſt ב & כ, quorum totum diſcrimen conſtat in angulis, quos rectos illud elementum habet, hoc obtuſos. Sed felicior fuit illis pingendis primus ſcriptor, vel exſcriptor in referendis quam in præcedentibus: raro enim in Pentateucho Samaritano inter ſe confunduntur. Aliquando tamen confundi perhibentur, ut Gen. 50-3. Adamus dicitur genuiſſe Sethum בְּצַלְמוֹ, *in imagine ſua.* Samaritanus autem legit & deſcripſit כְּצַלְמוֹ, *ſecundum imaginem ſuam*; cujus erroris ſocios habet LXX Græcos Interpretes vertentes *κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ*, *ſecundum ejus ſpeciem.* Rarius autem hæ literæ confunduntur, quia ſolent eſſe ſerviles, & eſſentialibus literis ſuperadditæ ſenſum ita variant, ut facile a ſe invicem diſcriminentur ſenſu, licet forma videatur eadem.

Tertium par longe frequentius, quia literæ ſunt etiam ſimiliores: complectitur enim ד, & ר. Genes. 14-2. rex Tſeboim nuncupatur שֶׁמְאֵבֶר, *Scemeber.* ſic omnes legunt interpretes, excepto Samaritano, qui legit שמאבד, *Scemebed.*

24-20. Servus Abrahami *potum* petierat a Rebecca, quæ dedit, & poſtea ut cameli ejus etiam biberent, urnam in canalem תְּעַר, *evacuavit*:

LXX ἐξεκένωσε, & verbum עָרָה eo ſenſum familiare Ebræis. at Samaritanus in verbum penitus diverſum mutavit: exſcripſit enim תורד, *deſcendit*, in *daleth* mutando *reſc*, & ex ע faciendo *vau* & *reſc*, quæ duæ literæ ſimul junctæ ad illius figuram accedunt.

25-15. Qui inter Iſmaelis filios חֲדַר, *Chadar*, nuncupatur, redditur a Samaritano חדד, *Hadad*, reclamantibus cæteris interpretibus. Et verſu præcedenti ſimiliter ex קֵדָר, *kidar*, fecit קדד, *kidad*. Sic 36-39. ex הֲדַר, *hadar*, fecit חדד. *chadad*; ubi præter ד ſubſtitutum in locum ר, ח etiam in locum ה ſubſtituitur exemplo contrario illi quod primum propoſitum eſt. Licet autem hæ mutationes videantur parvi momenti, quoad ſenſum, ſunt tamen momentoſæ, quoad ſcripturam, quia alias ſenſus ipſe corrigit lectorem, qui ut in nominibus uni exemplari ſuo dumtaxat innititur, ſic in iis quæ ſcripturam ſpectant, totum ſuum pondus habent.

Gen. 14-14. Abrahamus וַיָּרֶק, *in aciem eduxit*, ſervos ſuos ad Lothi nepotis liberationem; Samaritanus refert וַיָּדֶק, *inſpexit* & *attente conſideravit*. Adeo autem pronus videtur ab uno horum verborum ad aliud lapſus, ut ipſimet ſacri ſcriptores illum non effugiſſe videantur, ſiquidem 2 Sam. 22-43. David cecinit canticum ob liberationem ab hoſtibus, & Saule imprimis, ab eaque certam concipit fiduciam frangendi cæteros qui deinceps in ipſum inſurgerent, dicendo, אֲדִקֵּם, *Comminuam illos*. hanc enim ſignificationem etiam obtinet illud verbum. At in numerum Pſalmorum relatum, & decimum octavum conſtituens eod. verſ. 47. legitur אֲרִיקֵם, *exinanibo eos*. Sed cum ריק & דיק eodem ſenſu huic loco convenienti polleant, Propheta potuit alterutro indifferenter uti, imo utrumque in diverſis exemplaribus apponere; at in loco Moſis ריק particularem & propriam habet ſignificationem, quæ τῷ דיק non convenit, & conſequenter non potuerunt a ſimplici exſcriptore niſi mendoſe permutari.

47-21. Error errorem ſequitur in his duobus verbis, quæ ſignificant, Phraonem, ad demonſtrandum jus in bona civium, qui terras, ut frumentum compararent, vendiderant, eſſe conſtans & firmum, transportari curaſſe cives unius regionis in oppoſitam, הֶעֱבִיר אוֹתוֹ לֶעָרִים, *Fecit tranſire populum ad alias urbes*; Samaritanus enim legit, הֶעֱבִיד אוֹתוֹ לעבדים, *In ſervitutem redegit, ut ſervi eſſent*, gravi errore, quo tamen Græci Interpretes ſimiliter laborant. habent enim, κατεδουλώσατο αὐτὸν εἰς παῖδας, *in ſervitutem redegit, ut ipſi ſervi eſſent*. At his ſolis inter-

pretibus exceptis omnes lectionem Judaicam approbant, & quæ immediate sequuntur apud omnes, *ab una extremitate Ægypti ad alios ultimos fines*, sat innuunt illam transmigrationem & minus conveniunt cum simplici servitute. Præterea notum ex sacris & prophanis historiis, orientales reges ab antiquissimis temporibus ad recentiora transportationibus semper usos ad securiorem reddendam subditarum gentium servitutem. Sic Sesostris antiquissimus Ægyptiorum rex, qui in Græciam Scythiamque ipsa victricia circumtulit arma, ingentem debellatarum nationum multitudinem repetens patriam secum abduxit, ut lib. 2. Herodotus testatur. Sic Assyriæ reges Israelitas primo, & postea Judæos ipsos in diversas Babylonici imperii provincias abduxerunt, & inde novos etiam immiserunt in Samariam Judæamque colonos: & hoc ipso seculo rex Persiæ post fractos variis præliis Georgianos innumerabilem utriusque sexus in suum regnum multitudinem transtulit, Petro della Valle, qui partem hujus calamitatis propriis occulis vidit, teste locupletissimo.

Num. 16-15. Moses in Israelitas conjuratos iratus suam coram Deo declarat innocentiam, & manus violentiæ & rapinarum expertes, dicendo, *Nequidem* חֲמוֹר, *asinum unum ab ipsis abstuli.* Asinum autem in exemplum profert, quia animal vilissimum est nulliusque pretii; at Samaritanus legit & retulit חמוד, *rem desiderabilem & optandam*, sensu penitus contrario, cui similitudo literarum aditum præbuit. unde ipsimet LXX Interpretes eodem errore verterunt ἐπιθύμημα, *desiderium*. Verum quidem est Rabinos velle, hunc locum esse unum ex tredecim locis quos consulto mutasse scribas in lege tradunt, ne gentes inde ansam arriperent errandi, ut verbi gratia ex hoc potuisset inferre Ptolemæus Mosem quidem ab Israelitis asinum non rapuisse, sed forsitan alia pretiosiora sibi inique attribuisse; ut talis suspicio amoveretur, pro asino rem desiderabilem quæ omnia cupiditatibus hominum bona obnoxia comprehendit, substituisse. Sed commentum ad illos excusandos excogitatum existimamus, & cum Samaritano ד pro ר legisse, debet constare.

21-28. Ignis e Sichon dicitur consumere עָר, *Ar*, nomen urbis Moabitarum, de qua ad vicinas debebat serpere: at Samaritanus urbem illam transmutavit in particulam עד *usque*, & ipso sensu refellitur, cum *Ar* Moabitica non debeat esse ultimus ignis terminus, sed ulterius debeat promoveri. LXX depravatam illam lectionem tamen similiter sequuti

sunt,

ſunt, & cum Samaritano a cæteris interpretibus male legendo receſſerunt. habent enim ἕως, *uſque*, patetque eodem exemplari ſimiliter abuſos.

24-17. In oraculo Balaami de Meſſia, quem ut *ſtellam* ob ingentem ab ipſo diſtantiam deſcribit, non ut *ſolem*, quemadmodum propior Malachias 4-2. dicitur quod קַרְקַר, *domuit* & *ſubjugavit omnes filios Sethi*, ſive totum terrarum orbem a Sethi poſteris dumtaxat occupatum. Senſus verbi illius minus Ebræis notus, Chaldæus tamen Onkelos optime reddidit per יִשְׁלוֹט, *imperabit*, & *ſummum exercebit dominium*. At Samaritanus corrupit legendo קדקד, *verticem capitis filiorum Sethi*, ſive nomen pro verbo; quodque evidentius ineptam illam reddit lectionem, ei verbum *transfiget* præcedens, quod inflicta capiti vulnera male repræſentat, cogitur aſſociare.

26-16. עֵרִי, *Heri*, recenſetur inter filios Gadis & dicitur caput familiæ הָעֵרִי, *Heritarum*: Samaritanus legit utrobique עַדִי, & LXX ſimiliter Ἀδδί. ſed cæteri interpretes textui Judaico ſuffragantur, & hos literarum Ebræarum ſimilitudine deceptos arguunt.

Deut. 1-22. refert Moſes, quomodo Iſraelitæ judicarunt, antequam aggrederentur Chananæos, mittendos eſſe exploratores, qui terram יַחְפְּרוּ, *explorarent*, & *ſcrutarentur*. Samaritanus legit יחפרו, & Num. 13-1. ubi inſeritur textui hæc hiſtoria, idem repetit verbum, quod Ebræis inuſitatum ignotumque eſt, & ex prava lectione dumtaxat habet originem.

Contrario errore idem exſcriptor ſæpe ר pro ד uſurpat, ut pateat abſque conſilio, ſed ex prava lectione has permutationes feciſſe. ſic Gen. 41-4. vaccæ Pharaoni per ſommum oblatæ etiam דַקּוֹת, *tenues*. Samaritanus retulit רקות eodem ſenſu, ſed diverſa ſcriptura, ut pateret ſola harum literarum ſimilitudine deceptum, unam in alterius locum ſubſtituiſſe.

42-22. Pro צָעֲדָה, *procedit*, Samaritanus legit צעירי, *i. e. parvus*: locus autem ille difficilis viſus eſt omnibus interpretibus ob figuratam eloquutionem & propterea etiam diverſimode lectus. Judæus codex habet: בָּנוֹת צָעֲדָה עֲלֵי־שׁוּר, *rami procedens ſupra murum*. ubi ne conſtructionis quidem ratio patet, cum ſubſtantivo plurali verbum ſingulare non debeat conjungi. At conſiderare opportet, Joſephum, quem hæc verba ſpectant, dictum antea בֵּן פֹּרָת, *ſurculum fructificantem*, notum unicuique

cuique בֵּן, *filium*, significare, sed cum de Josepho dicatur, & jungatur verbo fœminino, genus illud a Josepho alienum monet metaphorice accipiendum, & intelligendum *ramum* arboris filium, qui in lingua Ebræa fœmininus est gaudetque consequenter verbo fœminino. Ad amœnæ significationis vim augendam representatur ad עָיִן fontem consitus ille ramus, ut in irriguo & uberi solo affatim crescat; jam vero fœcundo illi ramo בָּנוֹת, *bini surculi*, tribuuntur, nempe Manasse & Ephraim, quibus sub ratione surculorum consideratis verbum fœmininum צָעֲדָה optime convenit. Singulare autem est, quia distributive intelligendum est de unoquoque illorum, qui supra murum *processit* superans omnes obices & impedimenta, quibus vis ejus initio visa est cohiberi. Cum hæc non caperet Samaritanus, mutavit בָּנוֹת in בְּנִי & צָעֲדָה in צְעִירִי, sive *filium meum parvulum*, sicque totum sensum & eloquutionis elegantiam pessumdedit. Similiter LXX Græci Interpretes, qui legisse videntur similiter בְּנִי צָעִיר; sed præterea pro עֲלֵי שׁוּר, *super murum*, עָלַי שׁוּב, *redi ad me*, verterunt, υἱός μου νεώτατος πρὸς μὲ ἀνάστρεψον, *Filius meus junior ad me redi.* Sic mala lectione, & pejori interpretatione textum corruperunt, monentque non semper interpretibus esse fidendum.

Deut. 28-49. minatur Deus Israelitis, fore, ut ad illos affligendos advocet remotam gentem, quæ יִדְאֶה, *advolabit* ut aquila. Samaritanus legit יראה, *videbit*, vel *apparebit.* inepte. nam licet visu, sicut velocitate præpolleat aquila, attamen patet non ab acumine visus peti comparationem, sed a velocitate, quæ incautos opprimeret; sicut omnes interpretes nullo excepto legerunt, & minantia Dei verba exposuerunt. visu enim non nocet aquila, sed rostro feroci & sævis unguibus, quæ meruerunt ut militiæ Romanæ præsideret.

33 25. Agitur de benedictionibus a Mose unicuique tribui impertitis, & Asceri privatim senectus vegeta & florenti ætati æqualis promittitur, Sicut dies tui præteriti דָּבְאֶךָ, *senectus tua*: pro quo verbo Samaritanus exhibet רביך, *doctores tui*, alieno sensu & inepto. non enim cum annis doctrina, aut doctores debent mutari, aut senes debent ad scholas reduci.

Quartum par constituitur literis ה & ח simillimis, cum minimo interstitio dumtaxat discriminentur; unde acumini Judaico imposuerunt. Masorethæ enim observant, Dan. 9—24. pro לְחָתֵם

ibi

ibi legi debere לְהָתֵם. Quidquid ſit, frequenter permutat has literas Samaritanus exſcriptor. Gen. 8—22. quatuor anni tempeſtates partiri deinceps annum, & conſuetis dominari legibus debere declarat Deus; hyems autem nuncupatur חֹרֶף vocabulo in ſacris codicibus frequenti, & a חָרַף, *læſit*, & *injuria opprobrioque affecit*, quia multas injurias toti rerum naturæ infert ſæva hyems, cum ſcilicet *frigidus ſylvis aquilo decuſſit honorem.* Samaritanus vero legit & retulit הרף, quæ Ebræis & aliis orientalibus ignota & inuſitata vox.

23-8. Hephronis pater nuncupatur צֹחַר, at Samaritanus צהר habet. ſic 25—9. & Exod. 6—15. ubi idem nomen uni filiorum Scimeonis tribuitur.

25-15. Similiter qui inter Iſmaelis poſteros dicitur חֲדַר, *Hadar*, eum Samaritanus nuncupat הדד, *Hadad.*

36-13. & 17. Unus Eſavi nepotum dicitur נַחַת, *Nachat*; eum etiam Samaritanus utrobique nuncupat נהת, *Nahat.*

Gen. 41-45. Pharao cum nova dignitate Joſepho imponit novum nomen, & vocari vult *Tſaphenath pagnaneah*; at pro פַּעְנֵחַ Samaritanus legit פענה. male proculdubio. nam LXX Græci Interpretes ſuam in Ægypto adornantes verſionem non ignoraverunt Ægyptium illud nomen; hinc reddunt Φανὴχ, & Joſephus Ψονθομφανὴχ dictum refert, & Pentateuchus Ægyptius ipſe habet Ψονθομπανὴκ. *i. e. futurorum vates.&c.* & Chronicon Alexandrinum levi mutatione teſtatur etiam dictum Ψονθομφαγχθή. ſic ubique per χ aut κ referunt τὸ ח, quod imprudenter Samaritanus in ה permutavit, contra ſenſum, & linguæ Ægyptiacæ genium.

Exod. 21-28. lex fertur de bove cornu feriente, ſive qui יִגַּח, *cornu ferit*, & verbum נָגַח id proprie ſignificat Chaldæis ſicut Ebræis; unde ſola literarum ſimilitudine decipi potuit Samaritanus, qui reddidit יכה quod ſignificat *percutere*, ſed non peculiarem bovis modum feriendi. Et alter error in eodem verbo; nam ג mutavit etiam in כ, licet ſimilitudo non ſit tanta, & ג dextrum fulcrum habeat, quo deſtituitur כ. Longe tamen majus eſt diſcrimen inter utrumque characterem apud Samaritanos: ſunt enim omnino diverſi, quandoquidem ſic pingitur *guimel* ꠲ & hoc modo *caph* כ. eumdem tamen repetiit errorem verſ. 29.

30-34. Sacri unguenti conficiendi ratio deſcribitur, & ejus compoſitionem debuit ingredi חֶלְבְּנָה aroma, quod Chaldæi Syrique ſimili-

ter vocant, Græci etiam Interpretes χαλβάνην, Latini asperius *galbanum* dicunt, sed *g* solet τῷ χ respondere. at Samaritanus exscriptor in ה illud ח mutavit, reddiditque הלבניה.

39-21. יִזַּח, *dimoveret.* & notum נָזַח & נָסַח Ebræis esse loco moveri, & a sede debita avelli; agitur autem de ligamento detinente pectorale in convenienti loco. at Samaritanus habet יזה, quod aspersionem, aut nihil designat, neque forsitan alias a Samaritanis ipsis usurpatum.

Numer. 13-34. exploratores missi ad considerandam Chananitidem deterrent fratres ab ingressu tentando, dicentes incolas esse longe robustiores, & vix comparatione habita inter utrosque, Israelitas videri non majores, quam חֲגָבִים *locustas.* Quæ sic ad augendam Chananæorum magnitudinem, & Israelitarum debilitatem comparant: secundum scripturæ morem enim Jesa. 40-22. homines cum Deo ipso comparati locustis comparantur. Numerantur autem inter cibos licitos Num. 11-22. & redduntur a LXX Græcis Interp. ἀκρίδες, ut pateat, nihil insolitum, si Joannes Baptista ἀκρίδας comederit Mat. 3-4. & ex illo vili cibo ejus frugalitas commendatur. At Samaritanus rem & nomen corrupit reddendo הגבים. quare Samaritana versio nomen illud inusitatum Ebræis, & significationis ignotæ reddidit per גרזים, ab Ebræo גָּרַז, *abscidit*, & *amputavit*, quia dentibus noxiis gramina, plantas, & arbusta ita arrodant, ut radicitus exscindant: unde μυριόστομον ξίφος, *ensis decies mille acierum*, tribui solet locustarum agmini. Ut pateat exemplaris sui errorem agnovisse, atque evitasse.

Deut. 28-27. inter plagas Ægyptiis divinitus inflictas refertur חֶרֶס, *prurigo*, ab ardenti humore producta, & nomen habens; Samaritanus tamen legit & retulit הרס, nomine nihil tale significante, & prorsus alieno. Ebræum autem nomen non tantum optime legerunt cæteri interpretes, sed Chaldæus etiam retulit, prout habetur in Pentateucho Judaico.

33-8. Elogium *pii* tribuitur Leviticæ tribus auctori & ejus successoribus, qui in fratres obvios cædes exercuerunt, ut divino mandato morem gererent, & iram Dei placarent. חֲסִידֶךָ, *pium unumquemque* ex illa designat, & Chaldæus nomen illud præ cæteris ad hanc pietatem designandam aptum judicans retinuit, & alii interpretes; Samaritanus vero mutavit in הסידך vocem nihili, & in nullo sensu inter Ebræos usitatam. unde versio Samaritana nescio quas in ea excogitavit libationes.

Addam

Addam denique ex eodem hoc libro מֵחֲדָרִים, *conclavia*, oppoſita iis quæ foris accidunt. Samaritanus retulit inepte & nullo ſenſu מהררים 32-25.

Ex adverſo non minus frequenter ח pro ה uſurpat, ut error ejus undique pateat. ſic Gen. 33-14. Jacobus excuſat ſe a comitatu Eſavi ob armenta & pecudes quæ lente gradiebantur, dicitque, Pedetentim אֶתְנַהֲלָה, *ducam me cum ipſis*. Vox frequens, notiſſima, & intentioni Patriarchæ accommodatiſſima; unde eam convenienter legerunt, & expoſuerunt cæteri interpretes. נָהַל enim ſignificat *lente & leniter deducere*. At Samaritanus legit & refert אנחלה; conſtat autem נָחַל ſignificare, *hæreditare & poſſidere*. Quid hic autem cum hæreditate? Abſurda ſane lectio, & ſuamet abſurditate rejicienda in lectoris errorem, unam literam pro ſimili uſurpantis.

36-39. Inter Eſavi poſteros numeratur הֲדַר, *Hadar*, Samaritanus reddidit חדר, *Chadad*: quem errorem ratione non impugnamus, quia eſt nomen proprium. ibid. pro מְהֵיטַבְאֵל legitur prave מחיטבאל.

31-47. Laban nuncupat lingua ſua Syra monumentum fœderis cum Jacobo icti שָׂהֲדוּתָא Samaritanus שחדותה, duplici errore: ה enim in ח transmutat, & א in ה. Sed dum primum errorem arguebamus, rationes attulimus, quæ ad hunc ſecundum debellandum etiam ſufficiunt, & inde ſunt petendæ.

Exod. 2-16. filiæ Raguelis ad ſuas pecudes adaquandas hauriunt aquam, & implent הָרְהָטִים, *canales*, & vox ſenſuſque quadrant cum hiſtoria; at Samaritanus vocem illam Ebraicæ originis notam in הרחטים ignotam Ebræis cæteriſque orientalibus vocem mutavit. unde ad ſenſum Ebræi textus reſpexit verſio Samaritana quæ habet מרכחיה, *canales*, ut ante Gen. 30-38. & 41. & exemplar ſuum non eſt imitata.

Levitic. 11-29. inter reptilia immunda narratur הַצָּב ſpecies reptilis. Samaritanus exhibet pro ea החצב, multiplici errore & ſponte in oculos incurrente; nam 1. addit ה demonſtrativum nominibus ad majorem emphaſim addi ſolitum, & conſequenter quo non debuit vox Ebræa deſtitui in nativo & originario textu. 2. male legendo non animadverterat ה illud in הַצָּב. mutaverat enim in ח, & hac ratione inductus fuit ad illud addendum; ſed periit indicio ſuo ſorex, & non poteſt excuſari. חצב enim Ebraicum nihil habet in ſuis ſignificatis quod poſſit convenire reptili, & nomini הַצָּב, quia צָב eſt revera reptilis ſpecies, aliis *ſalamandra*, aliis *crocodilus*, aliis *rubeta* ranarum genus medicaminibus aptum, aliis

 deni-

denique *teſtudo*, quod præferrem, cum de eduliis agatur, & neminem lateat inter cupedias fuiſſe teſtudines. Unde etiam præſcriptus eſt edendi modus, qui ceſſit in proverbium, ſcilicet *ἢ δεῖ χελώνης κρέα φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν*, *teſtudinis carnem aut edas, aut non edas*, ad ſignificandum eam affatim eſſe edendam, aut minime attingendam, ne nimium relinquat leviter deguſtata poſt ſe deſiderum. Alii tamen obſervant id ad ſanitatem conducere, quia ſi modice comedatur, ventri tormina infert; at copioſe, illa aufert. Iſraelitis autem eſus ille prohibitus, quia frugalitati legiſlator eos addicere voluit & ſimplicitati etiam, unde veſtimenta ex filo & lana, conjunctionem bovis & aſini, & ſimilia prohibet. teſtudines autem inter amphibia numerantur, & ancipitem cum terrenis & aquaticis ducunt vitam. Præterea צָב & Arabicum nomen ipſi reſpondens ضب, *dſab*, *tectum concameratum* ſignificat, & utrumque nomen invenitur in illo ſenſu Num. 7-3. ubi de plauſtris tectis agitur; talia autem occupant, & ſecum deducunt teſtudines in ſuis teſtis ſemper habitantes. Verum illuſtris. Bochartus Hieroſ. part. 1. lib. 4. cap. 1. multis docuit ex percipuis Arabum auctoribus reptile illud inter illos frequens eſſe, & in Lybia præſertim, ubi regio ab iis ob illarum copiam dicta eſt ضبب, *dſabib*, & مضبب, *medſabbab*, quia *tſade* diverſimodo ab Ebræis ſono pronunciant, & cum puncto ſuo ad *d* blæſum referunt. Reptile illud inſuper, ut obſervat, contra teſtudinis mores aquas averſatur & fugit; unde qui captant, affundunt foraminibus ejus aquam, & ſic ad egreſſum cogunt. Unde & Arabes de rebus nunquam eventuris ſolent dicere:

افعله حتي يرد الضب الالا

Non faciam, donec Dſab deſcenderit ad aquam.

quod Virgilius dixit his verſibus Eclog. 1.

Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces;
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

& Ovidius in Ibin:

Deſinet eſſe prius contrarius ignibus humor,
Junctaque cum luna lumina ſolis erunt:

Parſque

Parſque eadem cæli zephiros emittet & euros,
Et tepidus gelido flabit ab axe notus.

Quamobrem opus eſt Ebræum צָב ab Arabico ضب diſtinguere, aut agnoſcere utroque deſignari lacertam quamdam, aut terreſtrem crocodilum. Sed quocunque nomine nuncupare libeat, dicitur Ebraice צָב, & conſequenter erravit Samaritanus vocando חָצָב, cum addito חָ ut declararet, pro radicali illud, quod in vocabulo Ebræo in ח mutavit, habuiſſe. LXX vertunt κροκόδειλον.

Deut. 23-17. de proſtitutis extat hæc lex: *Non* תִהְיֶה *erit proſtituta inter filias Iſraelis*, vel *ex filiabus*; Samaritanus habet, *Non* תחיה, *vivet*, quaſi innuptarum ſcortationes morte plecti debuiſſent. aliter Ebræi. unde R. Moſes ben Maimon in halac. Iſcoth c. 1. hanc ipſam legem exponens, *Non ſit proſtituta ſeu meretrix ex filiabus Iſrael*, ait, לפיכך כל הבועל אשה לשם זנות בלא קידושין לוקה, *Quicunque ſtuprum inferebat mulieri, abſque ſponſalitiis, vapulat ſecundum legem.* Lex autem ſeverior in viros non ſimplici vapulatione animadvertiſſet, ſi mulieres morti addicendæ fuiſſent. Sed minime a propoſito recedendum & ſufficiet adjeciſſe, quod repetito errore ibidem pro *Non* יִהְיֶה, *ſit cinadus*; Samaritanus etiam habet, *Non* יִחְיֶה, *vivat*. Si proprio damnandus ſuffragio foret, error eſſet lethalis.

Verſ. 29-19. agitur de contumace, qui concupiſcentiæ fræna laxans ſibi blanditur, & impunitatem expectat, dicendo: *Addam ſiti* הָרָוָה *ebrietatem*. Samaritanus vero legit הָרוחה. Ubi duplex error; nam addit ultimum ה & antecedens mutat in ח, unde ex *ebrietate* fecit *reſpirationem*, ſive ſenſum oppoſitum. ebrietas enim ſuffocat. Correxit Samaritana verſio, quæ habet הרואה, *ebrietatem*, & Ebraicæ veritati ſuo calculo aſtipulatur contra ducem ſuum.

Quintum par literarum ſimillimarum conſtitunt ו *vau* & י *jod*, quæ ſola extenſione differunt: illa enim major, hæc minor, & cum hæc paululum creſcit aut iſta decreſcit, illico confunduntur, atque a ſe invicem diſcernere dificillimum eſt. Quamobrem paſſim eas permutat Samaritanus exſcriptor. itaque non omnia producam exempla, ſed quædam dumtaxat ex Geneſi, ne nimia copia lector obruatur.

Gen. 2-12. הַהוּא Samaritanus reddit ההיא ſic 3-12, 20. 7-2. 10-11. 12-18. & 19. 14-7. & 8. 18-10. 19-20. & 38. 20-2, 3, 5. & 12. 22—

20. & 24. 23-2. & 19. 24-44. 25-21. 26-7. bis. & 12. 27-38. 29-2, 9, & 25. 32-18. 34-14. 35-19, 22. & 27. 37-32. 38-14, 15, 16, 21. & 25. 43-11. & 32. 47-6. & 17. & 18. 48-7. Non placet plura exempla afferre, & ex aliis libris, licet obvia sint, producere; neque propugnabo hos Samaritani exscriptoris errores esse intolerabiles. sæpe enim pronomen fœmininum cum *jod* scribitur, ut fecit; sed sufficit Judæorum codices habere *vau*, ubicunque hic posuit *jod*, & Judæos id linguæ suæ genio conveniens docere, ut a recto tramite decessisse pateat.

In nominibus propriis eadem mutatio frequens. Gen. 10-27. recensetur inter filios Sem אוּזָל, *Uzal*: Samar. habet איזל. & sic ipsi videntur legisse Græci: nam in manuscripto Alexandrino, cujus diversæ lectiones in Bibliis Londinensibus referuntur, invenimus Αἰζήλ. & vers. seq. עוּבָל, *Hubal*, ab eodem Samaritano refertur עיבל, qui Græcis paulo aliter legentibus est Ἐυάλ.

In verbis etiam eadem mutatio passim occurrit. Gen. 11-30. observatur Saræ sterilitas, & additur majoris explicationis gratia, *non fuit ei natus* וָלָד. hanc ipsam vocem Chaldæus Onkelos, ut propriam retinuit, & Arabs interpres etiam, alii convenienter exposuerunt; Samaritanus mutavit in ילד ejusdem significationis.

Gen. 15-3. deplorans Abrahamus orbitatem suam dicit, Verna יוֹרֵשׁ, *hæres est* meus. Vox regularis est, & in participio præsentis vicem agente inter Ebræos: Samaritanus malis oculis, vel codice non satis distincto usus legit absque sensu & ratione יורש, quod satis alienum, cum verba in *jod* incipientia illud soleant abjicere, aut in *vau* mutare; hic contra videamus *vau* locum sibi debitum τῷ *jod* cessisse.

24-25. Servus Abrahami quærit a Rebecca, an domi suæ locus esset לָלוּן, *ad pernoctandum*. familiare est verbum Ebræis, & flexio regularis; quare sola similitudine literarum potuit induci ad illud mutandum in ללין ejusdem prorsus significationis Samaritanus exscriptor.

35-8. Quercus, sub qua nutrix Rebeccæ est condita, nomen inde habuit & *quercus* בָּכוּת, *fletus*, dicta est: pro hoc nomine manifeste rei respondente retulit בכית, substituendo, ut supra, י in locum ו, eorum similitudine deceptus.

45-7. Josephus fratribus ob suam in illum perfidiam turbatis ad amovendam eorum perplexitatem dicit, Deum omnia ista direxisse, & in utilitatem omnium convertisse, nempe לָשׂוּם, *ad constituendum ipsis in terra resi-*

reſiduum; quia ipſis omnibus pereundum fuiſſet, niſi antea miſſus eſſet in Ægyptum, & jam rebus Ægypti præpoſitus neceſſaria vitæ eorum ſubſidia ſuppeditaret. Samaritanus convenientem hujus verbi modum mutavit ſcribendo לשים.

41-6. Pharaoni in ſomnio apparent ſpicæ שְׁרוּפוֹת *arefactæ.* ejus origo eſt participium ſecundum regulas formatum, & conſueta ſignificatio origini reſpondens. Uno verbo omnia quadrant; nihilominus exſcriptor Samaritanus, abſque ulla rationis ſpecie habet שריפות, ſola confuſione literarum duce.

Ver. 32. mutavit iterum ו in י in verbo עַל הִשָּׁנוֹת, *cum iteraretur* ſomnium Pharaonis, ut LXX περὶ δὲ τοῦ δευτερῶσαι, & fere eodem modo cæteri interpretes. Samaritanus vero habet שנית, *bis*, & quia ſenſus nullus apparebat abſque verbo, & ut optime Ebræi, שִׁבְשְׁתָּא דְעַל עַל *error ſemel ingreſſus alterum admittit*, præpoſitionem עַל, *ſuper*, cum ה characteriſtica niphal ex הִשָּׁנוֹת ablata transformarunt in עלה, *aſcendit*; ſic ſenſus reſtituitur. Sed manifeſtum ex textu erroneam eſſe illam lectionem, cum ſequatur פַּעֲמָיִם, *duabus vicibus*; inde enim patet שנית, *bis*, ſupervacuum fore, & הִשָּׁנוֹת legendum eſſe, ut pateat repetitum fuiſſe ſomnium, & binis quidem vicibus.

46-30. Jacob exultans gaudio ob Joſephum filium recuperatum elegantiſſima exclamatione hac utitur, *Moriar* אַחֲרֵי רְאוֹתִי, *poſt me videre*; quam ſimili permutatione Samaritanus corrupit præteritum adhibens ראיתי, *vidi.* LXX interpretes quidem reddunt fere eodem modo, ἐπεὶ ἑώρακα, *quandoquidem vidi faciem tuam*; eſt tamen in hac Græca quædam vis peculiaris. præterea convenit interpretibus nonnulla libertas in phraſibus mutandis, quæ exſcriptoribus minime conceditur.

49-7. Damnat Jacobus Simeonis & Levi inexcuſabilem vindictam, quam a Sichemitis petierant dicendo אָרוּר, *maledictus eorum furor.* Vox nota, frequens, & ſecundum normam, pro qua Samaritanus inſuetam exhibet אריר.

Verſ. 19. Jacob ad nomen Gad alludens in ſua benedictione dicit elegantiſſima paronomaſia: גָּד גְּדוּד יְגוּדֶנּוּ, *Turma turmatim invadetur, & viciſſim invadet ipſum*, ſcilicet invadentem; nempe in limite Judææ ſitus Gad (cujus nomen ſignificare turmam patet Gen. 30-11.) cum finitimis ſæpe pugnavit, eorumque expoſitus incurſionibus in eos etiam generoſas fecit irruptiones. At pro יְגוּדֶנּוּ Samaritanus inepte habet יגידנו: ſenſus

Sensus etiam potest esse, Gad exercitus est, aggredietur eum. Postea additur, & tandem יָגֻד, *victor evadet*: Samaritanus iterum ו in י transmutato exhibet יגיד.

Non finiremus, si cæteros Pentateuchi libros evolveremus, quia his permutationibus similiter scaterent: sed expedit observasse nulla propensione in *jod* toties ei tribuisse τȣ̃ *vau* debitum locum, cum vice versa solo errore duce *jod* ipsum in *vau* permutet. Gen. 12-2. Deus ait Abrahamo, הְיֵה, *Esto benedictio*: Samaritanus contra rationem & normas legit, היו.

Gen. 22-23. Bethuel יָלַד, *genuit* Rebeccam: Samaritanus retulit הוליד absque ulla ratione.

25-16. בְּחַצְרֵיהֶם, *in oppidis suis*: Samar. habet בחצרות inutili mutatione.

27-36. הֲכִי, *an quod*, ex הֲ, & כי compositum & frequenter in S. Scriptura usurpatum mutavit Sam. in הכי nullius usus, aut significationis.

32-30. Jacob votis suis victor in lucta sua cum Deo locum nuncupavit פְּנִיאֵל, *facies Dei*, & ut LXX *εἶδος θεȣ̃*, quia facie ad faciem viderat Deum: Samaritanus exhibet פנואל, & Vulgata similiter *Phanuel*, & Judic. 8-8. sic nomen illud etiam scribitur. Sed quod consideratione dignius, in hoc ipso loco & versu immediate sequenti similiter scribitur פְּנוּאֵל, ita ut pateat duplici modo scribi solitum. Id tamen non absolvit Samaritanum exscriptorem, qui unum silentio non debuit prætermittere, sed textum suum sequi; verum error sequenti lectione fultus prævaluit.

36-5. Si unquam exscriptori a suo exemplari recedere liceret, hic culpa vacaret Samaritanus: in textu Judaico enim scribitur irregulariter unus filiorum Esavi, nempe יְעִישׁ, ubi *jod* punctatum in ventre valet *scurek*, & pronunciatur *Jegnus*. sic etiam refert Samaritanus integre י in ו mutato יעוש, Onkelos Chaldæus similiter, Syrus, Arabs, & LXX Ἰεȣ̀ς: at cum imago debeat conformari suo exemplari, Samaritanus debebat Judaici Pentateuchi nativam referre speciem, & interpretibus suam intactam relinquere libertatem. Vers. 14. eadem libertate abutitur. Notum autem irregularitatem illam in sacris codicibus esse frequentem, neque officere lectoribus.

45-7. Dicit Joseph fratribus se a Deo præmissum, ut remaneret ipsis in terra שְׁאֵרִית, *residuum*, sive ut superstites permanerent; vox autem illa fre-

frequens, & origini regulisque conveniens: at legit & retulit Samaritanus שארות vocem nihili, & omnino inusitatam.

49-5. Jacob damnans iram Simeonis & Levi, eos vocat כְּלֵי חָמָס, *instrumentum*, sive *arma furoris*. sic Syri, Arabes, Persæ, alii legerunt, & legendum esse textus evidenter demonstrat, tam constructione nominum, quam ipso sensu. Samaritanus tamen figura similium literarum deceptus legit כלו, *perfecerunt*, sive *consummaverunt violentiam*. Eodem errore duce legerunt similiter Græci Interpretes: habent enim *συνετέλεσαν*, *perfecerunt*. Neque mirum, si sæpissime in eadem vitia incurrant, cum in codices iisdem literis exaratos intenti eadem literarum similitudine decipi facile potuerint.

Vers. 12. Juda dicitur in benedictione patris חַכְלִילִי, *rubicundus*, aut *rutilus oculis præ vino*. Vini & vitis fit frequens mentio, cum de Juda agitur, quia feracem vinis suavissimis regionem sortitus est. Oculi autem micantes cum ardenti vini purpura comparantur, dicunturque excellere: nam מ præpositum vino est signum comparativorum inter Ebræos. Samaritanus vocem adeo convenientem ab omni parte corrupit in הכלילו, *fecit omnibus numeris absolutum*, *& perfectum* oculis, præ vino. At non comparatur absolute Juda cum vino, sed tantum micans in oculis ardor, vini igneo rubore adumbratur; & sequens comparatio dentium cum candore lactis, id sufficienter demonstrat. Unus Samaritanus etiam ex nomine verbum fecit, & frustra gratiam oculis Judæ inditam in eo quæreres; sed LXX Interpretibus oculi Judæ sunt *χαροποιοί*, *gratifici*, Syro *rutilantes*, Arabi *pulchri*. *&c.*

50-26. Post aromatibus conditum Josephi corpus legitur *terræ mandatum* וַיִּישֶׂם: Samaritanus vero habet ויושם. Ingenue autem agnoscendum hanc lectionem ob genuinæ viciniam quibusdam Judæis etiam probari; unde R. Aben Ezra scribit in h. l. השרש ישם על משקל וייצר ויאמר ר׳ יונה המדקדק כי החירק תחת שורק והוא רחוק בעיני *Radix est* ישם *secundum formam* וייצר: *dixit autem R. Jona Grammaticus, quod jod est loco scurec; sed hoc alienum a sententia mea.* Licet eligere ex alterutra opinione unam; si cum Jona *jod* censeatur poni pro *vau*, id confirmabit facilem esse harum similium literarum permutationem, cum vix ac ne vix quidem ipsi Judæi in textu sacro illam vitare potuerint. Si sapientis Aben Ezræ sententia potior existimatur, habebimus intentum, & hic locus confirmabit, Samaritanum e textu Judaico

ſuum deſcribendo exemplar in literis ſimilibus erraſſe, & unam pro alia uſurpaſſe.

Antequam has dimittam literas, obſervare convenit Samaritanum exſcriptorem *vau* ſuperaddidiſſe vocibus Ebraicis in uno Geneſis libro ducenties, & amplius; unde quæſo illa ſuperadditio niſi ab exiguitate literæ, quæ una ſimplici linea paululum incurva conſtat, quam ſibi viſus eſt obſervare ubi non erat, forſan ex alterius paginæ quodam apice altius impreſſo. Regeret aliquis id factum ad juvandam lectionem veriſimilius eſſe, & hoc revera plurimis exemplis poterit confirmari. Sed opponi poterit quod idem *vau* lectioni adeo utile, contra pluſquam centies in eodem libro deficiat, & a vocibus Ebræis ſublatum fuerit, ut obſervanti conſtabit. Quamobrem ſola literæ exilitas videtur fefelliſſe ſcriptorem celeriter agentem, ita ut modo abeſſe, modo adeſſe abſque ulla ratione illam exiſtimaverit: quod validius adhuc probatur exemplo literæ *jod*, quæ adhuc exilior eſt, & ſimiliter frequenter additur aut omittitur, cum in ſola Geneſi centies ſuperadditam, & ſexagies omiſſam & amplius obſervaverim. Mirum forſitan videbitur *vau* ſæpius omiſſam aut ſuperadditam, indeque colliget aliquis non id ab exilitate ortum, cum *jod* adhuc exilior ſæpius aut addi, aut omitti debuerit. Sed ſciendum *vau* ob duplicem ſuum uſum ſæpius adhiberi; nam proprium in verborum nominumque formis locum quemadmodum *jod* habet, & præterea conjunctionem ET ſignificat, & conſequenter verba nominaque plurima ſolet connectere in quibus *jod* nullum habet locum.

Denique revocandum eſt in memoriam has exiles in alphabetho literas, in Samaritano eſſe magnas, & *jod* præcipue cæteris aliis eſſe majus, atque inter ſe nullam habere affinitatem; ac conſequenter ex ſcriptura Samaritana ſupra deſcriptas permutationes, additioneſve, & omiſſiones minime ortas, at in tranſlatione ſcripturæ Judaicæ in Samaritanam eſſe factas conſtare debet.

Superſunt duæ literæ omnium ſimillimæ, nempe *mem* finale ם, & *ſamec* ס. Totum enim horum elementorum diſcrimen in angulis dumtaxat conſiſtit: anguli enim *mem* quadrati ſunt & acuti; at τȣ̃ *ſamec* obtuſi ſunt atque rotundi. Jamvero nunquam inveni has literas permutatas in Pentateucho Samaritano; & aliquandiu cogitavi ab hoc exemplo aliis contrario poſſe fortaſſis confici argumentum, quod cæteris oppoſitum vim eorum confringeret. Verum iniquum eſſet tot exemplis luce meri-

meridiana clarioribus nostræ sententiæ patrocinantibus unicum opponere; præsertim cum vix literis annumerari mereatur *samec* cujus vicem ש cum puncto sinistro solet gerere. Præterea in sola vocum extremitate hæ literæ potuerunt existimari similes: in hac autem extremitate *mem* solet in longum ita produci, ut cum rotundo *samec* minime possit confundi. *Mem* finale insuper sæpius terminandis pluralibus masculinis inservit, & hæc terminatio illud sufficienter distinguit a vocabulis in *samec* terminatis, quæ paucissima sunt. Denique nullus dubito, quin usus literarum finalium recens sit; saltem recentior Pentateuchi Samaritani descriptione, qui inter initiales finalesque literas ne minimam quidem unquam adhibuit differentiam. Hic fatentes habemus ipsos Judæos: nam Thalmud Hierosolym. tract. Megilla docet, quod in lege priscorum לא מיים שלהם סתום הא סמך סתום *mem non habebant clausum, sed samec fuit clausum. &c.* Et qui in contraria steterunt sententia, & propugnarunt literas מנצפך referri debere ad הלכה למשה מסיני *traditionem* Mosis *e monte Sinai*, & auctores non habere posteriores prophetas; tamen fatentur, quod Israelitæ שכחום וחזרו צופים ויסדום *obliti sunt eas, & venerunt videntes & iterum fundarunt eas.* Quidquid sit, non extabant in codice exscriptoris Samaritani, alioqui non accepisset *guimel* pro *caph* in voce שְׂרוֹךְ, *corrigia*, Gen. 14-23. pro qua legit שרוג. habet enim multam affinitatem cum ג ordinarium כ, & exiguo apice in basi anteriori dumtaxat discriminatur, sed omnino diversum est *caph* finale. Sic נ partem maximam facit literæ ם, & apice anteriori obliterato paululum, eamdem speciem præ se fert; unde confudit sæpius Samaritanus exscriptor. sic Gen. 31-43. לִבְנֵיהֶן, *filius earum*, optime de liberis filiarum Labanis; at contra normam Samarit. לבניהם. Sic in nomine בִּנְיָמִין, *Benjaminus*, ubi nihil certius quam eo significari *filium* יָמִין *dexteræ*, Genes. 35-18. ibi tamen & errori suo tenaciter adhærens scribit בנימים, & vers. 24.42-4, 36. 43-14, 15, 16. & 29. & 34. 44-12. 45-14. & 22. 46-19. & 21. 49-27. Exod. 1-3. Num. 26-35. 34-21. Deut. 27-12. & 33-12. Constat autem *nun* finale ne minimam quidem cum *mem* finali habere convenientiam. Errore opposito pro *mem* etiam usurpavit *nun*. sic Gen. 41-23. pro אַחֲרֵיהֶם Samarit. אחריהן, Exod. 23-27. pro בָּהֶם Samarit. בהן, Num. 27-7. pro אֲבִיהֶם Samarit. אביהן, Deut. 32-27. pro צָרֵימוֹ, *hostes eorum*, habet צרינו, inepte & absque ullo sensu. hæc obiter.

Tot tantisque variis lectionibus in Samarirano Pentateucho, ex literis similibus Judæorum ortis evidenter debet constare, ex codice his literis exarato hunc Pentateuchum primo descriptum & nullis amplius opus esse argumentis. Sunt tamen viri adeo certitudinis amantes, ut nullis velint parci laboribus ad veritatem omnibus rationum præsidiis muniendam. Itaque in eorum gratiam petitum a supradictis variæ lectionis exemplis argumentum confirmabimus similibus variarum lectionum exemplis, quæ sponte offerunt versiones Græcæ & Chaldaicæ ab Ebræis Judæorum codicibus similiter ortæ: cum enim demonstraverimus similitudinem literarum Judaicarum varias induxisse lectiones in textum Græcum & Chaldaicum, sponte sequetur, similes Samaritanorum varias lectiones ab eodem principio originem duxisse.

CAPUT VIII.

Discrepantiæ Versionis Græcæ, Chaldaicarum Paraphrasium, atque Vulgatæ Latinæ a textu ad superioris argumenti confirmationem observantur.



NE diutius in his versionum a textu sacro discrepantiis hæreamus, eodem tenore Græcas, & Chaldaicas, Vulgatamque Latinam nobis constitutum est exhibere, & eumdem sequi ordinem, quem in Samaritanis tenuimus. א & ע primum literarum similium ordinem constituunt, testibus Rabinis, & Alphesio inprimis: hæ literæ permutatæ ab illis Interpretibus perhibentur. Sic 2. Reg. 5-24. cum Gehasi pervenisset ad הָעֹפֶל, *arcem*, aut *munitionem in loco excelso sitam.* hujus vocabuli in hoc sensu frequens mentio. Jonathan reddit לַאֲתַר כַּסִּי, *in locum coopertum*, & LXX *εἰς τὸ σκοτεινὸν*, *tenebrosum*; sc. legerunt הָאֹפֶל, *tenebrosum*, & *caligine opertum.* eam denique lectionem præcipue sequutus est Vulgatæ Latinæ auctor, qui habet: *cumque venisset jam vesperi.*

Num. 14-44. יַעְפִּלוּ, *efferi superbia fuerunt*, verbo a præcedenti origine deducto, quia solent superbire ii, qui undique præsidiis septos se

credunt.

credunt. hinc LXX. reddunt *διαβιασάμενοι*, *vim facientes*: at auctor Vulgatæ cœpto errori insistens *obtenebrati*, quasi legisset יַאְפִלוּ.

Jos. 8-14. rex *Hai*, & cives ejus egrediuntur tempore constituto in prælium contra Israelitas *ad faciem* הָעֲרָבָה, *planiciei*. *τῆς ἐνέδρας*, *insidiarum*, secundum editionem Græcam Hervagii, & legisse opportet הָאֲרָבָה, *insidias*. Non mirum ab Interpretibus has permutationes factas, cum in ipsum textum similes irrepserint, ut Ezech. 9-5. עַל תָּחוֹס, *ne parcat*, pro אַל תָּחוֹס, ut legendum monet Masora, & R. D. Kimchi.

Ostendimus א proxime etiam ad ה accedere, & sæpe etiam inter se confundi a Samaritano exscriptore plurimis exemplis probavimus. Sic Zachar. 12-5. Græci Interpretes pro אַמְצָה, *corrobora*, legerunt אֶמְצָא, habent enim *εὑρήσομεν*, *inveniemus*. sic Arabs & forsan Chaldæus: habet enim אִשְׁתְּכַח פּוּרְקָן, *inventa est salus*, a מָצָא. nam necesse fuit illud verbum revocare, ut inveniendi significatio ipsi tribueretur.

Alterum literarum similium par constituunt ב, & כ. permutantur etiam Eccles. 5-16. יֹאכֵל, *comedet*, LXX Interpretes Græci reddunt *ἐν πένθει* in luctu, quia legerunt וְאֵבֶל, *& luctu*, repetieruntque e præcedenti nomine præpositionem. Hanc ipsam lectionem sequitur Arabs, qui Græcam versionem elegit ducem. Eccl. 8—10. de impiis יִשְׁתַּכְּחוּ, *oblivioni tradentur*: at Græci *ἐπῃνέθησαν*, *laudati sunt*, & Vulgata *laudabantur*, quia legerunt יִשְׁתַּבְּחוּ, & permutarunt *caph* cum *beth*, ut supra.

1 Sam. 10-3. Samuel prædicit Sauli in occursum ejus venturos tres homines, quorum unus portaret tres panes, sive placentas orbiculares, e quibus duas ipsi daret: vocantur in textu כִּכְּרוֹת, *orbes*; Græci in sua versione dicunt dedisse *δύο ἀπαρχὰς*, *duas primitias*. legere debuerunt בִּכּוּרוֹת, & huic sensui potuit respondere etiam veritas, & illos homines primitias revera tulisse, nihilominus adversatur textui.

Gen. 49-5. מְכֵרֹתֵיהֶם, *gladii eorum*: nam gladiis occiderant duo illi fratres Sichemitas sup. 34-25. & ut ab antiquissima gente usus armorum cœpit, sic incipere potuit gladiorum nomen. Sane Græcis est *μάχαιρα*, *gladius*; non tamen inepte vox illa ex lingua Arabica posset explicari, in qua مكر, *dolus* & *insidiæ*. dolo enim & per insidias iidem Sichemitas agressi sunt, alioqui eorum gladii non suffecissent. Hanc vocem convenientissimam in duas diviserunt Græci: habent enim *ἐξ αἱρέσεως*, *ex electione*, sive *proposito ipsorum*. quamobrem legerunt מִבְּרִיתֵיהֶם ex electio-

electione, a בָּרָה, *elegit*. ſic autem, non uno verbo legendum ἐξαιρέσεως, ut ſolet.

Job. 3-5. כמרירי, *caligines*. Vulgat. *amaritudine*, quia legit במרירי.

Eſa. 63-6. וַאֲשַׁכְּרֵם, *& inebriabo eos*: Targum Jonathan reddit וַאֲרוּשִׁשְׁנוּן, & LXX κατεπάτησα, *comminuam & conteram*; quia legerunt וַאֲשַׁבְּרֵם, *& frangam eos*. Pſal. 4—3. כְּבוֹדִי לִכְלִמָּה, *gloria mea in ignominiam*, LXX βαρυκάρδιοι ἵνα τί, *gravi corde cur*. legerunt כבודי לב למה. Viciſſim iidem Interpretes pro ב, *beth*, ſæpe legerunt כ, *caph*. ſic

1 Sam. 15-4. Saul recenſuit populum בַּטְּלָאִים, Jonathan in ſua Paraphraſi interpretatur בְּאִמְּרֵי פִּסְחַיָּא, *per agnos paſchales*. Sane poſſunt victimæ paſchales numerum aliquo modo repræſentare, unde refert Joſephus de bello lib. 7. cap. 45. ſecundum Græc. diſt. Ceſtium Neronis in Judæa præfectum ex iis collegiſſe gentis Judaicæ ſummam, quam miſit Imperatori; quia ex pontificibus didicit per ſingula contubernia, quæ non poterant pauciorum quam decem virorum eſſe, licet ad vigeſimum numerum ſæpe pervenirent, unum agnum mactari. At unde colligitur tunc contigiſſe celebrandi Paſchæ feſtum? Præterea an in campo debuerunt agni offerri, & Paſcha celebrari? R. Salomo Jarchi aliter interpretatur, vultque Saulem juſſiſſe unumquemque accipere agnum, & poſtea numeratis agnis cognoviſſe militum numerum, illiſque uſum fuiſſe, quia non licuit numerare Iſraelitas; ac R. David Kimchi optime probat ex R. Eliezere, non prohibitum abſolute illos numerare, ſed dumtaxat, ſine neceſſitate, & idcirco ad has artes fruſtra recurri. Docet poſtea *Thelaim* eſſe proprium loci nomen, ut etiam optime viderunt Syrus, Arabs, & LXX Græci Interpretes. At Vulgatæ auctor tenuit ſententiam priorem, ſed pro ב legit כ & dicit Saulem Iſraelitas numeraſſe *quaſi agnos* כַּטְּלָאִים, *non in agnis*, & ita ב in כ transmutavit.

1 Sam. 17-18. עֲרֻבָּתָם, *pignus ipſorum* capies, inquit Iſai ad Davidem de fratribus, de quorum ſtatu valetudineque certior per ipſum fieri voluit. LXX Græci Interpretes reddiderunt ὅσα ἀναχρήζωσιν, *quibus indigent*. ſic legere debuerunt צָרְכָּתָם non tantum ב in כ mutato, ſed inſuper ע in צ. at Vulgata verſio habet: *cum quibus ordinati ſunt*. Legebat igitur illius auctor עֶרְכָּתָם, *ordinationem eorum*, ſimplici ב in כ mutatione.

Par tertium conſtituitur ex ד & ר, quæ literæ ut ſimillimæ ſæpius quam

quam cæteræ aliæ inveniuntur permutatæ. Sic Gen. 3-17. dicit Deus Adamo post ejus peccatum, Maledicta est terra בַּעֲבוּרֶךָ, *propter te.* sic omnes versiones & paraphrases, excepta Græca & Latina. LXX enim habent ἐν τοῖς ἔργοις σȣ, & Latina *in opere tuo.* legerunt בַּעֲבוֹדֶךָ, *in cultu tuo.* & Jerem. 14—4. similiter בַּעֲבוּר, *propter terram.* LXX habent τὰ ἔργα τῆς γῆς, *opera terræ*, quia sicut antea legerunt. Sed soli fuerunt, & Vulgata cæteris interpretibus hoc loco suffragatur.

Gen. 22-13. Abrahamus a sacrificando filio prohibitus; vidit *arietem* אַחַר, *post se*, designantem agnum Dei qui a morte debuit post multa secula redimere ecclesiam. LXX habent εἷς, *unus*: ecce *aries unus.* legerunt אֶחָד, *unus.* Sic Gen. 43-13. pro אַחֵר, *alterum*, legerant similiter אחד, *unum*, habentque τὸν ἕνα de altero illo filiorum Jacobi cum Benjamino detento jussu Josephi in Ægypto. Sic Psal. 109-13. *in generatione* אַחֵר, *altera.* LXX ἐν γενεᾷ μιᾷ, *in generatione una*, legerunt אֶחָד.

Gen. 47 21. Joseph post acquisitas Ægyptiorum possessiones, eos הֶעֱבִיר לֶעָרִים, *transire fecit in alias urbes.* LXX Græci κατεδȣλώσατο εἰς παῖδας, *servos servituti addixit.* legerunt הֶעֱבִיד לַעֲבָדִים. Sic Psal. 81—7. manus ejus a fornace *transibunt* תַּעֲבֹרְנָה. LXX similiter legerunt תַּעֲבֹדְנָה: habent enim ἐδȣ́λευσαν, *servierunt.* Sic Levit. 18-21. prohibetur ne Israelitæ darent filios לְהַעֲבִיר, *ad faciendum transire per ignes Molochi.* LXX legerunt: לְהַעֲבִיד, *ad faciendum servire Molocho.* habent enim λατρεύειν ἄρχοντι. Videatur infra eadem mutatio 2 Sam. 19-18.

49-14. Isscacar dicitur ob pigritiam חֲמוֹר, *asinus*, & LXX vocant τὸ καλὸν, *bonum sive desiderabile.* legerunt חָמוּד, *desiderabilem.* Sic Num. 16-15. Moses testatur se ab Israelitis ne asinum quidem, sive rem vilissimam vi rapuisse. LXX habent ἐπιθύμημα, *desiderium*, ut supra Samaritanum etiam legisse male חמוד, observatum. Videantur rationes.

Vers. 22. צָעֲדָה *incedens*, LXX νεώτατος, *adolescentior.* legerunt צְעִרָה, ut supra observatum ad hunc locum ex Samaritano. sic Lament. Jerem. 4-18. צְעָדֵינוּ, *gressus nostros*, LXX μικρὰς ἡμῶν, *parvulos nostros.* legerunt צְעָרֵינוּ.

Exod. 35-35. spiritu sancto repletur Betsaleel & Aholiab, ut varia perficerent opera, & inter alia חָרָשׁ, *fabri*, artem spectantia. LXX reddiderunt τȣ̃ ἁγίȣ, *sancti*, quia legerunt חָדָשׁ. Sic Jesa. 41-1. הַחֲרִישׁוּ, *tacete.* LXX ἐγκαινίζεσθε, *renovamini.* sic Arabica versio, quæ eos duces sequuta est تجددوا, *renovamini.* nempe utrique eodem modo legerunt הִתְחַדְּשׁוּ, *renovamini*, ר dumtaxat in ד transmutato.

Num.

Num. 21-28. ignis comedit עָר, *montem* Moabi, LXX leg. עַד, *usque*, & verterunt ἕως Μωάβ, *usque ad Moabum*, ut supra Samar. ubi vid.

Adeo inevitabilis harum literarum permutatio, ut in ipso textu sacro contigisse videatur; nam Deut. 14-13. inter secundam seriem avium immundarum primatum agit הָרָאָה, *milvus*, sic dictus a visus perspicacitate summa, unde in proverbium abiere *milvini oculi*. Levit. 11—14. nuncupatur דאה a pernicitate volatus. Ne autem diversæ species existimentur, prohibet Onkelos, qui in Deuter. habet בַּת־כַּנְפָא, *filia alarum* sive *alis præstantissimis prædita avis*, quod probat דָאָה legisse, & existimasse illam a suo volatu sic dictam esse.

Jud. 11-3. ad Josuam se adjunxerunt homines רֵיקִים, *vacui & destituti*. LXX secundum vulgares editiones λιτοὶ, *tenues*, quasi legissent דַּקִּים. Sed editio Sixtina habet κενοὶ, *vacui*. optime.

Jud. 7-21. וַיָּרִיעוּ, & *vociferati sunt*. LXX Græci ἐσήμαναν, *significaverunt* & *docuerunt*, legendo וַיֹּדִיעוּ, *fecerunt cognoscere*. Sic 8-16. וַיֹּדַע, *& erudivit*. LXX κατέξανεν, *contrivit*, & Jonathan in Paraph. וְתַבַּר, *fregit*. legerunt וַיָּרַע, *afflixit*.

Josua 9-4. Gabaonitæ occurrerunt Israelitis וַיִּצְטַיָּרוּ, *& finxerunt se legatos*. Targum Jonathani וְאִזְדְּוַדוּ, *& viaticum paraverunt*: & LXX Græci similiter ἐπεσιτίσαντο, *cibaria sibi comparaverunt*, quia legerunt וַיִּצְטַיָּדוּ, *& viaticum sumpserunt*, nempe צַיִד, *viaticum* ut צִיר, *legatus*.

Job. 35-16. יַכְבִּיר, *multiplicabit sermones*. LXX βαρύνει, *aggravat*. quamobrem oportet eos legisse יַכְבִּיד.

1 Sam. 19-16. Mical, ut David maritus haberet tempus sufficiens ad fugiendum, finxit in lecto eum morbo laborare & imaginem viri composuit, cujus caput pelle caprina texit, ut pilis capillos referret. Id dicitur כְּבִיר, *caprina pellis*, sive ut Jonathan in Paraphrasi נוֹדָא דְעִזֵּי, *uter caprinus*: LXX vero reddiderunt ἧπαρ τῶν αἰγῶν, *jecur caprinum*. scilicet legerunt כָּבֵד, *jecur*, & lectio illa debuit ipsis manifestissima etiam videri, cum sensui & proposito minime inserviret. Ut LXX legit Joseph Antiq. lib. 6. cap. 14. putatque jecur recens palpitasse, & motu alternante Davidis ægre anhelantis speciem exhibuisse, quod placuit Theodoreto quæst. 49. 1. Reg. sed longe melius Aquila reddens στρογγύλωμα τριχῶν, *orbem pilorum*, caput capillatum referentem.

2. Sam, 19-18. וְעָבְרָה הָעֲבָרָה, *& transivit scapha*. LXX καὶ ἐλειτούργησαν τὴν λειτουργίαν, *& ministraverunt ministerium*. legerunt וְעָבְדוּ הָעֲבֹדָה. Sic etiam

etiam Syriaca verſio quæ habet, ܘܥܒܕ ܘܡܥܒܕܐ eodem prorſus ſenſu, & eadem duorum ד in duo ר mutatione, ut ſupra Geneſ. 47-21.

Proverb. 11-8. Juſtus liberatur מִצָּרָה, *ex anguſtia*. LXX ἐκ θήρας, *ex venatione*, vel *perſequutorum laqueis*; nempe legerunt מִצְּדָה, *a venatione*, a צָדָה, *inſidiari & venari*. Melius Symmachus & Theodotion legerunt; nam verterunt ἐκ θλίψεως, *ex anguſtia*. at Arabs ſequitur LXX.

Jeſa. 8-9. רֹעוּ, *confringimini*. LXX γνῶτε, *cognoſcite*. legerunt דְּעוּ, *cognoſcite*. melius cæteri interpretes, qui a רָעָה deducentes verterunt *congregamini*, ſancto Hieronymo teſte. Eadem literarum permutatio Jeremiæ 15-12. הֲיָרֹעַ, *an conteret?* LXX εἰ γνωσθήσεται, *ſi cognoſcetur*. legerunt הֲיִוָּדַע, & Arabs etiam. inepte. tantum enim de ferro agitur, quod non eſt cognitionis capax.

Verſ. 20. Non erit illi שחר, *aurora*, ſive *proſperitas*. LXX οὐκ ἔστι δῶρα δοῦναι, *non eſt dona dare*. legerunt שֹׁחַד, *donum dedit*. Syrus & Arabs eamdem lectionem ſequuti ſunt.

45-16. חָרָשֵׁי צִירִים, *fabricatores idolorum*. LXX Interp. ἐγκαινίζεσθε πρός με νῆσοι, *innovamini ad me inſulæ*. legerunt חִדְשׁוּ צִיִּים, *renovamini inſulæ*, & bis in duobus illis vocabulis erraverunt ר mutando in ד & *jod* in ר. ſic etiam Interpres Arabs. Sic 41-1. הַחֲרִישׁוּ, *taceant inſulæ*. LXX ἐγκαινίζεσθε, *innovamini* ad me inſulæ. legerunt, ut ſupra, הֶחֱדִישׁוּ, *innovamini*. Melius Theodotion, juxta quem, teſte Euſebio, præcipitur inſulis κωφεύειν καὶ σιγᾶν, *mutire & tacere*. ſic etiam cæteri interpretes, ſolo Arabe excepto qui Græcis ſuffragatur.

Ezech. 23-34, חֲרָשֶׂיהָ, *teſtas ejus*, ſive *fragmenta* calicis. LXX νεομηνίας, *novilunia*, eodem errore, quo ſupra, legerunt חֳדָשֶׁיהָ. Arabs etiam.

Sophon. 3-17. ſimiliter יַחֲרִישׁ, *ſilebit*, LXX καινιεῖ, *innovabit*; Arabs etiam.

Jeſaia 29-3. Circumdabo te כַּדּוּר, *ſicut circulum*. LXX Græci Interpretes abſurdiſſime ὡς Δαβίδ, *ut David*. legerunt כְּדָוִד.

Jeremiæ 5-6. lupus עֲרָבוֹת, *veſperarum*, ſive veſpertino tempore, cum ingruentibus tenebris e latibulo ad prædam ſe ſolet comparare. LXX reddunt mira depravatione ἕως τῶν οἰκιῶν, *uſque ad domos*. legerunt עַד בָּתִּים duplici permutatione ſcilicet ר in ד, & ו in י. eamdem lectionem ſequutus eſt Arabs, quia ſolet eorum veſtigia premere.

Mich. 6-16. וְיִשְׁתַּמֵּר, *& cuſtodietur*. LXX καὶ ἀφανισθήσεται, *& diſſipabitur*,

bitur. legerunt וְיִשְׁתַּמֵּר a שָׁמַר, *destruere*. Subjungitur tamen ex altera & meliori interpretatione καὶ ἐφύλαξας, *& custodisti*. Ut pateat versionem Græcam nunc esse mixtam, & primam dumtaxat Interpretationem ut genuinam τῶν LXX agnoscit S. Hieronymus & se auctorem alterius secundum veritatem Ebraicam exhibet; ut videre est tom. 5. Operum ejus, ubi utramque versionem in distinctis columnis repræsentat. Arabs tamen utramque amplectitur lectionem, ut pateat ex Græco suam fecisse dumtaxat versionem post mixtionem.

Zachar. 1-21. לְהַחֲרִיד, *ad terrendum*: LXX Græci Interp. τοῦ ὀξῦναι, *ut exacuant*. legerunt לְהַחֲדִיד, *ad acuendum*, a חָדַד, *exacuit*.

Aggæi 2-20. הַזֶּרַע, *semen* in germine. LXX ἐπιγνωσθήσεται, *cognoscetur*. legerunt הוּדַע, *cognoscitur*, non tantum mutando *resch* in *daleth*, sed etiam *zain* in *vau*, contra manifestissimum loci sensum.

Sophon. 3-9. linguam בְּרוּרָה, *puram*, aut *electam*. LXX εἰς γενεὰν αὐτῆς, *in generationem ejus*. legerunt בְּדוֹרָהּ: melius, ut ex Theodoreto patet. Aquila & Theodotion χεῖλος ἐξελεγμένον, & Symmachus χεῖλος καθαρὸν, *labium electum*, & *labium purum*.

Contra ratione omnio opposita pro *resc* lectum est *daleth* sæpissime, ut Gen. 24-26. וַיִּקֹּד, *& inclinavit*: LXX reddunt καὶ εὐδοκήσας, *benedicendo celebravit*. legerunt וַיְקָר, *honore affecit*.

Exod. 35-5. momento אֶחָד, *uno*. LXX πληγὴν ἄλλην. legerunt אַחֵר, *alium*, & pro רֶגַע, *momentum*, נֶגַע, *plaga*, id est, נ pro ר, & ר pro ד.

Jud. 2-3. Deus non vult expellere omnes Chananæos ante Israelitas; sed vult quosdam remanere לְצִדִּים, *in eorum lateribus*. Jonathan in Paraph. reddit לִמְעִיקִין, *ad tribulationes*; & LXX εἰς συνοχὰς, *in angustias*; & Vulgata Latina, *ut habeatis hostes*. legerunt omnes לְצָרִים, *in hostes*, & sensus ille satis conveniens, & ab ipsa textus intentione non recedit, licet aliter exprimatur.

1 Sam. 1-21. Doeg הָאֲדֹמִי, *Idumæus*, dicitur τοῖς LXX Σύρος. sic Josephus l. 6. c. 14. legerunt הָאֲרַמִּי, *Syrus*. Contra cæteri interpretes, & in edit Compl. Ἰδουμαῖος etiam.

1. Samuel 24-12. צֹדֶה, *insidians animæ meæ*, LXX δεσμεύεις τὴν ψυχήν μου, *ligas animam meam*. legerunt צֹרֶה a צוּר, *coercuit & ligavit*.

Job. 32-19. sicut utres חֲדָשִׁים, *novi*. LXX legerunt חֲרָשִׁים: habent enim ὥσπερ φυσητὴρ χαλκέως, sicut *flabellum* fabri ærarii. nam חָרָשׁ, *faber ærarius* est, & ab ejus nomine artis suæ instrumentis nomina etiam imponuntur.

Psalm.

Psalm. 131-2. humiliationem multis argumentis declarat Propheta, & inter alia dicit, וְדוֹמַמְתִּי, *feci silere* animam meam : LXX contra ejus propositum habent ὕψωσα, *exaltavi* animam meam. sic etiam Vulgata, & legisse constat ורוֹמַמְתִּי, *exaltavi*, a רוּם, *exaltare*.

Psal. 19-14. מִזֵּדִים, *a superbiis*. LXX ἀπὸ ἀλλοτρίων, *ab alienis*, & Vulgata similiter. legerunt מִזָּרִים, *ab extraneis*. Æthiopica similiter, quæ habet *ab extraneis*: nempe hæ versiones Psalmorum a Græca LXX Interpretum duxerunt originem. Quod observandum, ut discrepantiarum rationes agnoscantur, licet sæpe difficile sit. Quod in memoriam Jobi 9-26. locus egregius nobis revocat, atque illustrari meretur. Illustris ille vir queritur, quod vita ejus, ut aquila, velociter avolaret, & ut *naves* אֵבֶה, *cupiditatis*. i.e. quibus venti & mare omniaque favendo optatum cursum promovebant. Chaldaica Paraphrasis figuratam illam locutionem aliter exposuit: nam habet, *transierunt cum*, אִלְפַיָּא דִטְעִינִין מִגְדְּנַיָּא *navibus onustis fructibus optimis*. tales siquidem naves satagunt celerrime suam conficere viam, ne mora fructus illos corrumperet. אֵבֶה igitur in sensu אֵב, *fructus*, ab אבב, exposuit satis apposite. At LXX absque sensu, An est ναυσὶν ἴχνος ὁδοῦ, *navibus vestigium via*? nihil enim excogitari potest, quod hanc expositionem excuset. In quibusdam editionibus fit mentio *navium* ἰσχυρῶν, *validarum*, & ut sic verterent, debuerunt mutare ה in ר & legere אַבִּר, ut *fortes* naves significarent fortes volatu. An ex ἰσχυρῶν potuerit deinceps formari ἴχνος ὁδοῦ; judicent eruditi. Sufficiet mihi observare Symmachum optime mentem Jobi expressisse ναυσὶ σπευδούσαις, *navibus festinantibus*. superat enim omnem diligentiam cupiditatis impatientia. Si ad alteram lectionem respexissent, אֵבֶר significat *pennas* quibus aves remigantur, & vela velocissimi navium cursus instrumenta manifeste repræsentantur. Sed ad propositum:

Jesa. 16-4. Defecit שֹׁד, *vastator*. LXX ὁ ἄρχων, *princeps*. legerunt שַׂר. *i.e. princeps*. Manuscriptum autem Alexandrinum venerandæ vetustatis in Bibliis Londinensibus extans habet, *Ablata est* ταλαιπωρία καὶ ὁ ἄρχων, *molestia & princeps*. nempe duas oppositas interpretationes conjunxit; quod non esse infrequens jam observavimus.

Jesa. 35-2. Deus pollicetur Cyro fore, ut iter expeditum ipsi paret, & complanet הֲדוּרִים, *eminentia*. LXX ὄρη, *montes*. legerunt, הֲרָרִים, *montes*.

Jerem. 8-14. נִדְּמָה, *Silebimus*, quia Deus noster הֲדִמָּנוּ, *silere nos fecit*.

LXX ἀποῤῥιφῶμεν, *projiciamur, quoniam Deus* ἀπέῤῥιψεν ἡμᾶς, *projecit nos.* legerunt הִרְמָנוּ & נרמה, a רָמָה, *ex alto dejicere*, & *prosternere.* sic etiam Arabs.

Ezech. 16-7. Et ambulasti בַּעֲדִי עֲדָיִים, *in ornamento ornamentorum.* i. e. *ornatissimo.* LXX, Ingressa es πόλεις πόλεων, *civitates civitatum.* sic Arabs, & Syrus etiam, nisi quod *urbes* dumtaxat habet. Legere debuerunt, בְּעָרֵי עָרִים, *in civitates civitatum*: quod eo mirabilius est, quod ipsi omnes versu 11. Deum dicentem repræsentent, אֶעְדֵּךְ עֶדִי, *Ornavi te ornamento.* Hæc enim exprobratio debuit ipsis revocare in memoriam ornamenta illa, quæ absurda metaphora permutarunt in civitates, sola literarum similitudine ducti.

34—16. Deus sub pastoris habitu se oves suas probe curaturum pollicetur, & dicit, quod perditas requiret, infirmas sanabit. &c. sed robustas & pingues mactabit: אַשְׁמִיד, *destruam.* LXX φυλάξω, *custodiam.* Syrus, Arabs, & ipsa Vulgata sequuntur Græcos Interpretes qui legere debuerunt, אשמיר *servabo:* Chaldaicaque Paraphrasis textui sola adhæret, habetque: וְיַת חַטָּאֵיָא וְיַת חַיָּבַיָּא אֱשֵׁיצֵי, *& peccatores impiosque consumam.*

Joel. 2-8. Vir fratrem suum non יִדְחָקוּן, *urgebunt.* Secundum linguæ genium plurale adhibetur cum nomine generalitatem designante, ut præceptum omnes homines complecti censeatur; utque imprimis reciprocum inter omnes habeatur. LXX mutarunt tamen in singulare & ד in ר, ἀφέξεται, *recedet*; & sensus etiam mutatur, quia legerunt, יִרְחָקוּן, *disjungetur.* sic Arabs individuus Græcorum Interpretum comes.

Amos. 1-4. בֶּן הֲדַד, *Ben Hadad*, LXX υἱοῦ Ἄδερ, *filii Ader.* sic Arabs. male. Nam ipse Josephus Antiq. lib. 7. cap. 6. refert Nicolaum antiquissimum scriptorem meminisse illius Adadi, & retulisse, quod Damasci & totius Syriæ dominus extiterit, & dominium nomenque posteris reliquerit. Nicolaus autem ille historicus fuit ipse Damascenus, & familiaris Herodi, & Imperatori Augusto, adeo ut Augustus ficus & placentas, quas in deliciis habuit, ab ipso *Nicolaos* dici voluerit, quia plurimas e patria ad ipsum solebat mittere, ut testatur Athenæus lib. 14. c. 18. & biblioth. Photii Cod. 189. in 1. versu: בַּנֹּקְדִים *in pecuariis*, LXX ἐν ἀκκαρείμ, mutato ד in ר.

Vers. 5. עֵדֶן LXX legerunt עֵרֶן. reddunt enim Χαῤῥὰν, χ pro γ.

4-5. תּוֹדָה, *confessionem.* LXX תורה legerunt: habent enim νόμον, *legem*, & Arabs hoc ipsum nomen retinuit الناموس Cæteri autem interpre-

tes,

tes; vel ipſam vocem Ebræam, vel ejus ſenſum exhibent.

Abdiæ 1-5. נִדְמֵיתָה, *ſiluiſti.* LXX ἀπερρίφης, *projectus es.* legerunt נִרְמֵיתָה, ut ſupra in Jer. 8-14.

Vix exiſtimaremus tot permutationes duarum literarum eſſe poſſibiles, niſi invita ſtudioſiſſimorum Rabinorum diligentia in ipſum textum ſacrum ſimiles manifeſte irrepſiſſent. Verbi gratia qui Genes. 10—3. רִיפַת, *Riphat*, dicitur, 1. Chron. 1—6. דִּפַת, *Diphat*, nuncupatur. Quod ipſimet ultro agnoſcunt Judæi. unde in h. l. R. David Kimchi: דפת בד׳לת ובספר בראשית הוא בר״יש: *Diphat per daleth & in libro Geneſis ſcribitur per reſc. &c.* & qui ibidem in hoc Chronicorum libro רוֹדָנִים, *Rodanim*, in Geneſi l. c. דוֹדָנִים, *Dodanim.* unde idem Kimchius pergit: ורודנים כתוב בר״יש ראשונה ובספר בראשית כתוב בשני דלתין וגו׳ *& Rodanim ſcribitur per reſc in principio, ut in Geneſis libro ſcribitur per duo daleth. &c.* Sic qui Genes. 36—26. חֶמְדָּן, *Chemdan*, 1 Chron. 1-41. חַמְרָן, *Chamran*, dicitur; & qui Gen. 36-39. הֲדַר, *Hadar*, 1. Chron. 1-50. הֲדַד, *Hadad*, qui etiam 1. Chron. 11-27. שַׁמּוֹת הַהֲרוֹרִי *Scammoth Harodites*, 2. Sam. 23-25. שַׁמּוֹת הַחֲרוֹדִי, *Scammoth Charodites*; denique qui 2. Samuel 8-3. הֲדַדְעֶזֶר, *Hadad-ezer*, 1. Chron. 18-3. nuncupatur הֲדַרְעֶזֶר, *Hadar-ezer*. Tales autem ſunt hæ permutationes ſacri textus, ut ex ipſo poſſint reſtitui, & ſtudium judiciumque attentum lectoris requirant, ad eliminandam a religione omnem penitus ſocordiam. Poſſunt enim nonnullæ alicujus etiam momenti occurrere, & incauto negligentique aliquam creare moleſtiam.

Par quartum literarum ſimilium ex ה & ח, minimo interſtitio a ſe invicem diſtinctis conſtituitur. eas interpretes, non ſecus ac Samaritanus exſcriptor ſæpe permutarunt. Primo ה uſurparunt pro ח, ut

Job. 38-36. Quis poſuit ſapientiam בַּטֻּחוֹת, *in renibus.* LXX γυναιξὶν ὑφάσματος, *textura mulieribus.* legerunt בַּטְּהוֹת, *in nendo*, & ad ſapientiam mulierum pertinere judicarunt concinne fila torquere, & texere telam, ſecundum axioma illud Ebræorum, אין חכמה לאשה אלא בפלך: *Non eſt ſapientia mulieri niſi in colo.* Unde ſapiens mulier deſcribitur *tenens colum*, Prov. 31-19. & ſapientes mulieres hanc artem, ut propriam, exercuiſſe in uſum tabernaculi leguntur Exod. 35-26. Notus antiquiſſimus mos ad noſtra uſque tempora multis in regionibus obſervatus novæ nuptæ dandi cum fuſo plenam colum. Quin Tarquinii Priſci uxor colum cum lana & fuſo dicavit, ut arma propria, in templo M.

Anci, & diutiſſime a Romanis conſervata perhibentur. Denique mulieribus addicti ea tractant, ut Sardanapalum mulieri habitu, inter ſcortorum greges purpuram colo mentem deſcribit Juſtinus lib. 1. cap. 3. & Herculem ipſum Deïanira Ovidii his verſibus:

Non pudet, Alcide, victricem mille laborum
Raſilibus calathis impoſuiſſe manum;
Craſſaque robuſto deducis pollice fila,
Æquaque formoſæ penſa rependis heræ.

Artis illius ſumma magiſtra habetur aranea; unde a verbo illo טָוָה, *fila ducere & texere*, ſolet nuncupari מְטַוְיַאתָא.

Job. 30-2. periit כָּלַח, *ſenium:* LXX συντέλεια, *perfectio & conſummatio.* legerunt כָּלָה. Melius Symmachus πᾶν τὸ πρὸς ζωὴν, *quidquid ad vitam facit*, ut extremum omnibuſque deſtitutum ſenium intelligatur.

Judic. 5—10. equitantes aſinas צְחֹרוֹת, *candidas.* LXX μεσημβρίας, *meridie.* legerunt צָהֳרוֹת pro צָהֳרַיִם, *meridiem*, conſtantem ex ultima parte temporis antemeridiani, & prima pomeridiani, unde ob duplex illud tempus numeri dualis terminatio ipſi tribuitur.

Deut. 20-6. Quis plantavit vineam, & non חִלְּלוֹ, *profanavit eam*, inquit ad verbum Pagninus, & appoſite, licet non ob eam quam ad marginem adhibuit expoſitionem, nempe quod vindemiata *vinea muſto maculatur.* id enim immerito diceretur prophanatio. Sed cum prophanum ſit, ſecundum Varronem, *quod ante fanum*, ſive *conjunctum fano*; ſeu, ut mavult Feſtus, *quod fani religione non tenetur*; vel denique ut Sextus Pompejus, *quod non eſt fanum*, & opponitur ſacro. quod confirmatur his Plauti verbis: *ſacrum an prophanum habeas, parvi penditur.* Quocunq; enim modo accipiamus prophanationis nomen, hic proprium invenietur reſpectu vineæ de qua agitur, quæ nondum uſui domini ſui inſervivit. Scilicet ſecundum legem omnia primogenita divino cultui erant conſecrata, ſive animalia eſſent, ſive fructus, neque licebat dominis in proprios uſus illa convertere. Per triennium inprimis arborum omnium fructus reputabantur earum præputia, & cum vix altero anno a ſatione producerent, fructus dumtaxat anni quinti conceduntur dominis Levit. 19-25. Vinea igitur profana eſſe demum cœpit, cum fani religione deſiit teneri, & fano quidem proxima ad ipſum non amplius pertinuit, ſed communi vitæ & hominum utilitati potuit addici.

Quam-

Quamobrem jubet Deus a belli periculis haberi immunes, qui vineam plantaverant, quæ sacris & religioni soli hactenus tota fructuosa fuerat, & nullos privatæ domini utilitati fructus antea ediderat; quoniam inter maledictiones divinitus infligendas annumeratur vineam plantare, & ejus fæcunditate non frui, Deut. 28-30. ut benedictionibus annumeratur partis labore suo deliciis tranquille frui, & fructus e vinetis suis uberrimos colligere, Psal. 107-37. & Jesa. 37-30. Egregium hunc sensum LXX Interpretes non animadverterunt; quia vertunt οὐκ εὐφράνθη ἐξ αὐτοῦ, *& non est epulatus ex ea*, vel potius *exhilaratus ex ea*, legentes יְהִלְלוּ, *ex ea exultavit*, vel *gavisus est ejus fructibus*. Licet enim a proposito vix recedant, multum tamen ab expressione absunt, quia male legerunt. Licet etiam eadem expressio repetatur Deut. 28-30. ubi ancipites de sensu videntur; ibi enim pro εὐφράνθη habent τρυγήσεις αὐτὸν, *vindemiabis eam*. Longe melius ex omni parte sanctus Paulus 1. Cor. 9-7. Τίς φυτεύει ἀμπελῶνα καὶ ἐκ τοῦ καρποῦ αὐτοῦ, vel secundum manuscriptum Alexandrinum τὸν καρπὸν αὐτοῦ οὐκ ἐσθίει; *Quis plantat vineam, & ex fructu, aut fructum, ejus non edit?*

Nunc patebit vicissim ח pro ה passim etiam hos Interpretes usurpasse. Sic Psal. 29-2. בְּהַדְרַת, *in decore*. LXX ἐν αὐλῇ, *in aula*. legerunt בְּחַדְרַת, *in conclavi*.

Psal. 66-12. לָרְוָיָה, *ad irriguam*. Paraphrastes Chaldæus legit לְוָיָח, *respirationem*, & reddidit iisdem fere literis לִרְוַחְתָּא. sic etiam LXX qui habent ἀναψυχὴν, *refrigerium*, & Vulgata Latina reddens ad verbum *latitudinem*.

Proverb. 5-11. וְנָהַמְתָּ, *& rugis*: LXX καὶ μεταμεληθήσῃ, *& pœnitebit te*. legerunt וְנִחַמְתָּ. etenim נִחַם, *doluit & pœnituit*, significare compertum est. Melius Aquila, Symmachus, & Theodotion verterunt στενάξεις, *gemes*: hanc enim significationem admittit verbum Ebræum, & sic illud est interpretatus auctor Vulgatæ. sed Syrus & Arabs sequuntur Græcos. At omnes possunt erroris argui propriis calculis, quoniam idem verbum extat cap. 28-15. & convenienter explicatur. Syrus enim ipsummet conservat utpote eodem sensu Syriace usitatum, & leonis rugitum designans. LXX vero & Arabs pro leone rugiente *famelicum* habent, quia fame stimulatus solet ingentes rugitus edere. At errorem repetiit Ezech. 24-23. ubi Israelitis Deus calamitates acerbas minatus dicit וּנְהַמְתֶּם, *Et gemetis*, vel *rugietis unusquisque ad fratrem suum*; ut

omnis

omnis omnium desolatio repræsentetur. LXX autem habent παρακαλέσετε, *consolabimini* unusquisque suum fratrem. sic Syrus & Arabs. Unde patet male legisse וְנִחַמְתֶּם: nam נִחַם, *consolari* etiam significat, minime autem ad ingentes calamitates pertinet consolatio.

Proverb. 10-3. וְהַוַּת, & *pravitatem impiorum. &c.* LXX ζωὴν, *vitam.&c.* sic Arabs legit וְחַיַּת.

Jesaia 40-11. יְנַהֵל, *portabit.* LXX παρακαλέσει, *consolabitur.* agitur autem de ovibus fœtis. legerunt יְנַחֵם non ה tantum in ח, sed etiam ל in ם permutatis; sicut etiam

51-18. non מְנַהֵל, *ductor.* LXX παρακαλῶν, *consolator.* legerunt מְנַחֵם duabus iisdem literis, ut in præcedenti exemplo, transmutatis. Sic etiam hic legit Jonathan; nam hoc ipsummet nomen retinuit דִמְנַחֵם, ut Syrus atque Arabs.

Jerem. 22-17. הַמְּרוּצָה, *contritio*: LXX φόνον, *cædem* vertunt. legerunt הַמְּרוּצַּת; nam רָצַח, *occidit.* Arabs sequitur solus τοὺς LXX.

Ezech. 7-11. נֹהַּ, *lamentum.* Vulgata *requies.* legit illius auctor נַחַ. Manuscriptum Alexandrinum ὡραϊσμὸς, *pulchritudo*, legendo נוה, supplendo ו, quod revera suppleri debuit, aut saltem subintelligi.

13-14. בְּתוֹכָהּ, in *medio ejus*: LXX μετ' ἐλέγχων, *cum increpationibus.* legerunt בְּתוֹכַחַ, ut etiam Arabs; licet sensus pro genuina lectione non obscure militet, & cæteri interpretes illam sequantur.

Quintum par ו & י constituunt, & sola quantitate distinguuntur; ita ut sufficiat hoc producere, & illud decurtare, ut in se invicem transmutentur. Hinc in ipso sacro textu illa ipsa elementa inter se permutata nonnumquam inveniuntur. sic eadem urbs, quæ Gen. 36-39. פָּעוּ, *Pagnu.* 1. Chron. 1-50. פָּעִי, *Pagni*, nuncupatur; qui 1. Chron. 1-51. עַלְיָה, *Gnalia*, Gen. 36-40. עַלְוָה, *Gnalua*, vocatur; & qui 2. Chron. 2-3. חוּרָם, *Chouram.* 1. Reg. 5-1. חִירָם, *Chiram.* Sic in supra dictis versionibus hæ literæ vicissim locum sibi præripiunt, ut exemplis sequentibus demonstratur. ו occupat locum י Genes. 49-5. כְּלֵי, *vasa.* Græci Interpretes verterunt συνετέλεσαν, *perfecerunt*: Onkelos vero in Paraphrasi עֲבַדוּ גְבוּרָא, *fecerunt* fortitudinem. legerunt כָּלוּ, quod *absolvere*, & *propositum negotium perficere* significat.

Psal. 73-7. עֵינֵימוֹ, *oculi eorum*: LXX ἡ ἀδικία αὐτῶν, *iniquitas eorum.* legerunt עֲוֹנֵימוֹ a עָוָה, *perversus fuit.* sic etiam Syrus & Arabs Vulgataque Latina.

Psalm.

Psalm. 87-7. מַעְיָנַי, *fontes mei.* LXX ἡ κατοικία, *habitatio.* sic Arabs, & Vulgata. legerunt מְעוֹנַי a עוֹן, *habitavit.*

Hos. 10-5. וּכְמָרָיו, *& sacerdotes ejus.* LXX καὶ καθὼς παρεπίκραναν αὐτὸν, *& sicut irritaverunt illum.* legerunt כַּמְּרוּ a מָרַר, *exacerbare.* sic etiam legit Arabs, ut assolet Græcorum vestigia premens.

Zach. 14-6. יְקָרוֹת, *pretiositatum* lux. i. e. *pretiosissima,* LXX καὶ ψύχη, *& frigus.* sic Vulgata, sed quia sensus incongruus, quia calamitas prædicitur, & negativa particula præcedebat, adversativam loco conjunctionis posuit, *sed frigus. &c.* legerunt וְקָרוּת a קָרַר, *frigescere.*

Contra alternantibus vicibus י *jod* pro ו *vau* solet usurpari, ut Psal. 22-30. וְנַפְשׁוֹ, *anima ejus.* LXX καὶ ἡ ψυχή μου, *anima mea.* sic etiam Vulgata, Æthiopica, & Arabica versio. at melius Theodotion, ψυχὴ αὐτοῦ.

Psalm. 56-8. עַל־אָוֶן, *super vanitatem* evasio ejus. i. e. *vana evasionis spes.* LXX ὑπὲρ μηθενὸς, *pro nihilo.* sic etiam Vulgata; ac bene Symmachus διὰ τὴν ἀδικίαν, *propter injustitiam.* legerunt LXX עַל־אַיִן, *propter nihil.*

73-10. וּמֵי, *& aquæ.* LXX ἡμέραι, *dies.* legerunt יְמֵי, *dies.* sic Arabs & Vulgatæ auctor.

Proverb. 29-4. Vir תְּרוּמוֹת, *donorum.* LXX παράνομος, Vulgata *iniquus.* sic Syrus. legerunt (ut etiam Chaldæus Paraphrastes, qui habet עַוְלָא, *iniquus*) תַּרְמִית, *fraudis,* a רִמָּה, *decepit.* Melius Aquila & Theodotion ἀφαιρεμάτων, *demtionum,* aut *oblationum*; nam quæ partes oblationum Deo proprie offerebantur, ab aliis dividi solebant.

Jesaiæ 10-13. עֲתִידֹתֵיהֶם, *præparata ipsorum.* Vulgata *principes eorum.* legit עַתּוּדֵיהֶם, *principes,* & *gubernatores populi.*

Jerem. 5-6. עֲרָבוֹת, *desertorum* lupus. LXX λύκος ἕως τῶν οἰκιῶν, *lupus usque ad domos.* legerunt, עַד בָּתִּים, *usque ad domos,* mutatis ו in י & ר in ד.

Amos. 5-5. Bethel erit לְאָוֶן, *in vanitatem.* Hujus loci desolatio prædicitur allusione ad nomen a longo tempore ipsi datum: sicut enim ob divinam Dei visionem Jacobo factam primo Bethelis sive domus Dei nomen meruit; sic ob idololatriam erga vitulum a Jeroboamo constitutum dici postea debuit, ut proxima ipsi urbs Beth-aven pro Bethele. Jam Propheta declarat eventum nomini etiam tandem responsurum, & in אָוֶן vanitatem tandem redigendam. Chaldaica Paraphrasis habet לְלַמָּא,

in nihilum, & LXX ὡς οὐχ ὑπάρχουσα, *quasi non sit*. legerunt לְאַיִן, *in nihil*, ut supra.

Ut omnimoda inter has varias lectiones, & eas quas ex Pentateucho Samaritano supra collegimus, convenientia manifestissime pateat, videndum etiam, an quasdam suppeditent in *mem* finale ם, & *samec* ס. Verum enim vero post sedulum examen semel unum pro altero sumi dumtaxat observavimus, nempe *mem* finale pro *samec* Esa. 30—4. siquidem חָנֵס, *Chanes*, urbs Ægypti, redditur a LXX μάτην, *frustra*, & consequenter legerunt חִנָּם, *frustra*. Et contra *samec* pro *mem* Genes. 49-14. ubi Issachar dicitur asinus גָּרֶם, *osseus*, LXX vero reddunt ἐπεθύμησεν, *desideravit*. patet enim eos legisse גָּרַס, *desideravit*. Sed ex uno & singulari exemplo nihil potest colligi contra sententiam antea propositam de novitate literarum finalium; contra eo ipso confirmatur, cum sæpius inter se permutatæ hæ literæ invenirentur, si tempore versionis Grecæ & Paraphrasium Chaldaicarum hæ literæ cæteris similiores jam in usu fuissent. Neque mirum est *mem* in medio, aut principio dictionum scribi solitum semel cum *samec*, & e contra *samec* cum *mem* permutatas, cum plurimæ literæ longe dissimiliores sæpius permutatæ fuerint. Quamobrem allatas rationes, ut in re satis clara, minime repetam, & tantum specimina quædam ex textu Ebræo, ut supra ex Samaritano, proferam, quæ recentiores his omnibus versionibus literas finales, sive diversas earum, dum vocabula claudunt, figuras demonstrare videntur.

Gen. 28-19. ubi agitur de nomine Bethelis, observatur, locum אוּלָם לוּז *utique Luz*, antea dictum. At LXX utramque illam vocem in unam conjunxerunt: alii enim, ut in Sixtina editione reddunt Οὐλαμλούζ; alii vero, ut in manuscripto Alexandrino & in disputatione Justini Martyris cum Judæo Tryphone, Οὐλαμμαούς, transeunte in sonum μ sono τοῦ λ debiliore; alii denique, ut S. Augustinus quæst. 85. in Genesin, *Ulamaus*. Etsi enim diversi a seipsis, pro diversitate eorum qui verba eorum retulerunt, videantur, conveniunt tamen semper in confusione harum duarum vocum in unam; at non potuissent confundere, si ם *mem* finale priorem a sequenti disjunxisset. Condonanda autem illa varietas est exscriptoribus ob vocabuli barbariem; cum enim hujus nominis nullibi inveniretur urbs, & in eo nullus pateret sensus, facile illud mutarunt. Aquila optime legit & retulit πρότερον Λούζ, *antea Louz*.

Proverb. 10-31. os justi יָנוּב, *propagabit* scientiam. LXX ἀποστάζει, *distillat*. legerunt יָנוּף facili lapsu cum ב & פ, medio apice, qui potest confundi,

fundi, aut obſcurius pingi, non animadverſo. At ſi finalem figuram jam tunc habuiſſet, confundi nequaquam potuiſſet, cum כ & ך omnino ſint diverſa.

Pſal. 144-13. Panaria noſtra ſuppeditent מִזַּן אֶל זַן, *de cibo ad cibum*, ſive omnia præſtantiſſimorum eduliorum genera. LXX habent *ἐκ τούτου εἰς τοῦτο*, *ex hoc in hoc.* legerant מִזּו אֶל זו, permutatis duobus poſtremis *nun* in duo *vau*. At hoc nunquam feciſſent, ſi diſcrimen finalium tunc in uſu fuiſſet, ſaltem bis in eodem loco. nam etiamſi *nun* & *vau* ſint figuræ ſatis ſimiles, attamen figura finalium *nun* diverſiſſima eſt, & non tantum ea diſtinguit a *vau*, ſed a cæteris aliis literis, quarum maxima pars æqualem lineam ſuperiori & inferiori parte conſtituit; finale autem *nun* infra lineam multum deſcendit, & duplo majus eſt quam *vau*: ſicque illa permutatio, bis in eodem vocabulo admiſſa, cum prædictis evidenter probat nondum excogitata fuiſſe ad majorem diſtinctionem literarum finalium diſcrimina. Sic Gen. 14-12. de regibus qui captivum abduxerunt Lothum, legitur וַיֵּלְכוּ, *& abierunt.* Samaritanus exſcriptor legit contra ſenſum וַיֵּלֵךְ, quod non feciſſet, ſi *caph* finale fuiſſet in uſu: vidiſſet enim hic minime apponi. Sed hoc imprimis patet Pſalmi 7. titulo, ubi pro בֶּן־יְמִי נִי legit Chaldæus Paraphraſtes בִּנְיָמִין, quod nunquam feciſſet, ſi ſuo tempore finale *nun* obtinuiſſet: vidiſſet enim primam ſyllabam terminari, quod impediviſſet, ne duas voces in unam confunderet, & in ultima non videns illam agnoviſſet minuſculum *jod* quod effugiebat ejus oculos, vel aliam literam debere ſuperaddi. Quod inſuper confirmatur multis Canticis, quæ literis Ebraicis verſus ſuos diſtinguunt, ut Pſalmus 34. 111. 112. & 119. cap. 1. 2. 3. 4. Lament. Jeremiæ, & 31. Proverbiorum, ubi 22. literarum figuræ dumtaxat reperiuntur, licet non ſemper ſufficiant, & quædam repetantur, quod non fieret, ſi finales extitiſſent. Tæderet numeroſiori exemplorum agmine veritatem adeo conſpicuam propugnare. Operæ pretium eſt obſervare plurimos auctores ſedulo notaviſſe in ſacris Codicibus *mem* bis irregulariter ſcribi, & in his etiam duabus irregularitatibus magna quæſiſſe hactenus myſteria tam Chriſtianos quam Judæos. Verum ם clauſum in לְםַרְבֵּה Eſa. 9-7. & מ apertum in הֵמ Nehemiæ 2-13. admiratione præcipue mihi videntur digna, ob incomparabilem Judaicorum exſcriptorum in obſervandis ſacri textus ſingulis characteribus diligentiam, cum figura duorum paululum diverſa eos minime latuerit; cætera enim quæ in iis ja-

ctantur myſteria debilibus fundamentis innituntur. 1. Non conſtat ullam in his vocibus occurrere irregularitatem : ut enim a Nehemiæ 2-13. incipiam, ibi agitur de miſero Hieroſolymæ ſtatu, & Propheta ſcribit : *conſideravi muros* אֲשֶׁר הֵם פְּרוּצִים, *qui erant rupti.* Etenim levi punctorum mutatione facta, convenientiſſime ad ſenſum poſſumus legere הַמְּפֹרָצִים vel הַמְּפוֹרָצִים ex conjugatione *hophal.* Notum præterea omnibus linguæ Ebrææ candidatis participia Ebræa adjectivorum rationem habere, atque diverſimode efformari. Eadem etiam ratio לְמַרְבֵּה Jeſaiæ. ut præcedentem vocem abſque neceſſitate disjunctam poſſe conjunctim legi dicimus, ſic hanc ex duabus temere compoſitam diſtinguere poſſumus, ita ut legamus לַם רְבָה, *ipſis multiplicatur*, ſcilicet imperium. לַם autem pro לָהֶם, vel לָמוֹ. Atque hac ratione, ut optime obſervavit R. Elias Levita in lib. Maſoreth. omnia erunt regularia. 2. Licet ſupponeremus hanc ultimam vocem conjunctim, & præcedentem ſeparate legendas; nemini mirum videri deberet, ſi ab hac ſententia licet probabiliori diſceſſiſſet exſcriptor, & in oppoſitam ſeductus disjunxiſſet conjungenda, & disjungenda conjunxiſſet, cum nullum inde textus acciperet detrimentum. 3. Nullum lectionis nunc receptæ apparet veſtigium in antiquis verſionibus.

Sane Nehemiæ verba ſic referunt LXX Græci Interpretes de Hieroſolymæ muro ὃ αὐτοὶ καθαιροῦσι, *quem illi diruunt*, quaſi legiſſent אֲשֶׁר הֵמָּה מַפְרִיצִים in *hiphil.* Eſaiæ etiam ita referunt, ut pronomen exprimant : nam pro לְמַרְבֵּה הַמִּשְׂרָה, *ad multiplicandum imperium*, ſecundum hodiernam lectionem, reddunt μεγάλη ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ, *magnus principatus illius*, quaſi לַם vel לָמוֹ legiſſent. Itaque nullus dubito, quin incogitanter admiſſa fuerit in his duobus locis circa harum duarum literarum figuras diverſa lectio, poſtquam inter literas quaſdam quædam diverſitas conſtituta eſt, cum in fine erant; & obtinuiſſe tandem irregularem lectionem, quia Rabini ad illius propugnationem intendentes animum varia ſibi viſi ſunt in ea perſpicere myſteria. Dicunt enim *mem* apertum adhiberi in fine vocis apud Nehemiam cum de dirutis Hieroſolymæ muris agitur, ut oculis eorum ruinam *mem* illud apertum objiceret; & contra *mem* clauſum in media voce imperii Meſſiæ amplitudinem exhibente conſpici, ut pateret tunc ruinas Hieroſolymæ reſtaurandas, & imperium illud ambitu ſuo cętera omnia imperia comprehenſurum, ut ex commentariis R. David Kimchi colligitur. Chriſtiani ipſi exemplo Judæorum

my-

mysteria etiam ex clauso illo *mem* educere sategerunt; alii scilicet uterum virginis clausum, ex quo prodire debuit Messias; alii sexcentos annos ad illum partum numerandos, quot significat *mem* finale; alii seclusam S. Spiritus ab hominibus vim ante Messiæ gloriam, quæ illum in fideles emitteret, & alia plurima, quæ ingenium auctorum melius exponunt quam Prophetæ mentem. Mitto *nun* initiale in fine particulæ Job. 38—1. cum vix observent Judæi ipsi, & particula illa מן soleat conjungi nominibus. Tunc quidem solet *nun* abesse, & per *dagesc* compensari; sed cum gutturales literæ illud non admittant, necessario scribi debuit, & conjunctim, ut in fine revera non existeret. potuisset quidem, ut alias paragogicum addi, sed forsan factum, & punctulum illud lapsu temporis, ut passim fit, evanuit. Quidquid sit, literæ illæ finales nullo certo antiquitatis primæ fundamento fulciuntur, & consequenter, licet מ & ם diversas lectiones non exhibeant, possumus in genere concludere ex literis Ebræorum similibus maximam partem variarum lectionum tam in paraphrasibus Chaldaicis, quam in Græcis, Syriacis, Arabicis, Latinisque versionibus, quæ totidem rivi ab Ebræis fontibus propterea esse perhibentur, duxisse originem.

Quamobrem ex præmissis his omnibus clare & sponte eadem consequentia non tantum fluit, sed videtur etiam erumpere de Pentateucho Samaritano, atque clamare ex Judaicis literis codice exarato olim descriptum fuisse, quandoquidem diversæ ejus lectiones ex similitudine illarum literarum ortæ fuerunt; & non aliam habent originem, quam deceptum maxima illa similitudine exscriptoris judicium. Consequentiam autem illam sponte fluentem, & invitis obicibus erumpentem adhuc mirifice & solidissime corroborant manifestæ diversarum illarum lectionum absurditates, quoniam suis erroribus constantissimam scripturæ sacræ veritatem commendant, invicteque probant certam & perpetuam aliarum omnium tam scripturarum, quam versionum normam esse æstimandam.

Attamen ne minimum literis Samaritanis adversus Ebræas remaneat propugnaculum, quo tuti earum patroni triumphare pergant, accuratius respondendum ad argumentum ex *thau* figuram crucis habente petitum, & ad alterum ex nummis in publicum productis. Sic nihil remanebit intactum, & discussa omnium difficultatum caligine clarior & illustrior veritas manifestabitur. Habent autem quamdam inter se affini-

tatem, cum literæ crucem referentes in nummis illis conspiciantur.

Dignum observatione visum est omnibus interpretibus, quod Ezech. 9-4. Deus, pœnas sumpturus de Judæis & tota civitate Hierosolyma, iræ suæ imponit modum, vultque cives plurimos ex clade illa eximi, & propterea notari *thau* in fronte, quo innotescant Angelis vastatoribus. Inde auctores ansam arripuerunt de dignitate & figura illius elementi discurrendi. Cum autem postremum in alphabetho obtineat locum, & figura ejus Ebræa nihil præ se ferat eximium, S. Hieronymus ad alphabethum Samaritinum confugit; & quia salus nostra in cruce peracta est, crux visa est salutare signum. Unde in salutari Ezechielis signo illam inveniri oportere credidit, & revera etiam inveniri, quia nostris favemus imaginationibus, tandem judicavit. Scilicet alphabethum Samaritanum esse ipsissimum antiquissimorum Ebræorum alphabethum sibi persuaserat, & consequenter in eorum *thau* salutare signum disquirendi hæc persuasio ipsi imposuit necessitatem. Hinc supra audivimus secure affirmantem in l. c. Ezechielis, quod *antiquis Ebræorum literis, quibusque hodie utuntur Samaritani, extrema thau litera crucis habet similitudinem.* Sed vidimus etiam Scaligerum scribentem, quod *nihil falsius dici potuit.* & revera omnia Samaritanorum alphabetha testantur a crucis figura illorum *thau* esse alienissimum. Ut autem pateat, quam audax fuerit S. Hieronymi assertio, & parum idonea ad veram literæ *thau* imaginem nobis exhibendam, sciendum est, figuram crucis rebus ab omni hominum memoria penitus deletis esse annumerandam; ita volente sapientissima Dei providentia, ut qui ad superstitionem salutari hoc signo abuti voluerunt, omni fundamento destituantur. Etenim S. Justinus Martyr qui *post Apostolica tempora, primus eorum, quorum scripta ad nos pervenerunt, videtur esse*, ut verbis utar Bellarmini de Scriptoribus ecclesiasticis, quique videre potuit Joannem Euangelistam & oculatos passionis dominicæ testes, Apologia 2. vult similem τῷ X Græcorum fuisse. Et revera constat talem omnino fuisse Sancti Andreæ crucem. Cum autem à Romanis in crucem actus fuerit, vix licet dubitare, quin Christus a Romanis similiter crucifixus in cruce ejusdem figuræ passus fuerit. Et ordinarias has crucium omnium figuras etiam possumus colligere ex historia crucifixionis S. Petri, qui legitur obtinuisse humillimis precibus, ut capite in terram demisso crucifigeretur, ut refert Eusebius Historiæ ecclesi. lib. 3. cap. 1. quo scilicet a Christo domino distingueretur, referente

etiam

etiam S. Chrysostomo oration. in Petrum & Paulum. Id autem non potuisset fieri, nisi figura crucis ad utramque crucifixionem fuisset indifferens, quemadmodum X Græcorum, quod sursum & deorsum idem est, & ab utraque parte sive pedes sive manus patientis æque potest excipere. Præterea antiqui Christiani carentes imaginibus, usi sunt pro symbolo Christi crucifixi duabus primis nominis ejus literis permixtis hoc modo ☧ quæ genuinam crucifixi referunt speciem, supposita hac crucis figura. quam ipse agnovit Hieronymus, dum designatam decussatis Jacobi nepotes ex Josepho ortibus benedicentis manibus docet in Jeremiæ cap. 31. *decussare est in formam X redigere.* Unde Græci ab illa litera idem Χιάζειν dicunt, & illam figuram Χιασμὸν nuncupant. Contra Tertullianus advers. Marcionem lib. 3. cap. 22. ad Ezechielis locum respiciens scribit: *Da signum thau in frontibus virorum. ipsa est enim Græcorum litera thau, nostra autem T, species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & Catholicam ecclesiam. &c.*

Sane Lucianus in judicio vocalium contra ταῦ, fabricata refert ligna hujus figuræ in quibus homines suspendebantur, & *sigma* in ipsum, suam orationem sic concludit: Ἐγὼ μὲν οἶμαι δικαίως εἰς τὴν τοῦ ταῦ τιμωρίαν ἀπολείπεσθαι τὸ τῷ σχήματι τῷ αὐτοῦ τὴν δίκην ὑποσχεῖν. ὃ δὴ σταυρὸς εἶναι, ὑπὸ τούτου μὲν ἐδημιουργήθη, ὑπὸ δὲ ἀνθρώπων ὀνομάζεται. *Ego quidem existimo æquum ταῦ in pœnam ipsi debitam suæ ipsius figuræ relinqui, ut supplicio afficiatur. propterea enim crux ex ipso facta est, & ab eo nomen illi imposuerunt homines.* Hinc observat Lipsius libro de cruce cap. 8. Antonii Monachorum vetustissimi peræ & manui crucem hujus figuræ adpingi solere, & Belgas etiam hodie sustentacula ægrorum brachiis subjici solita ob eamdem formam *cruckas* nuncupare. Quia autem τ illud Græcum numerice tercentum valet, & crucis una gerit imaginem, S. Ambrosius de Noë & arca cap. 32. & de Abraham lib. 1. cap. 3. a crucis, vel potius crucifixi merito trecentos quibus diluvio supervixit Noë annos, & victoriam ab Abrahamo cum trecentis servis relatam vult deduci. S. Irenæus contra illam videtur describere, sicut hodie solet pingi, & ad hunc modum ✝ cum lib. 2. adversus Hæreses cap. 42. scribit: *Ipse habitus crucis fines & summitates habet quinque, duos in longitudine, & duos in latitudine, & unum in medio, ubi requiescit qui clavis affigitur. &c.* Horrenda illa quies: nam quintum illud lignum ex crucis palo assurgens in cuspidem desinebat, eoque nova cruce suffigebatur patiens, qui ei quodammodo

inequitabat. Cuspis enim illa acuta & ferrea penetrabat sedem, & sævos inferebat dolores. Justinus Martyr τὸ κέρας, *cornu* vocat, quod *cornu* speciem haberet. Ad illud respexisse non dubito Mæcenatis turpissimum hoc votum, ut cum An. Seneca epist. 101. loquar, in postrema parte, quæ effrænum vitæ desiderium præcipue arguit:

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa;
Tuber adstrue gibberum,
Lubricos quate dentes;
Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

Huic acutæ cruci etiam addi potest πῆγμα, *suppedaneum*, cui pedes bini binis clavis affingebantur. Sed verisimile has omnes partes ab initio non habuisse crucem Romanam, excogitatasque sensim ad augendum cruciatum, aut saltem ad illum prorogandum, quoniam experientia patuit affixos manus pedesque cruci vix potuisse totum labascentis corporis pondus ferre. Ne igitur citius collaberetur; & casu suo mortem accelararet, ingeniosi in miserorum perniciem artifices hæc atrocia fulcra adinvenerunt. Eamdem ac Irenæus exhibet crucis imaginem Minutius Felix in Octavio: *Signum sane crucis*, inquit, *naturaliter visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur, & cum erigitur jugum, crucis signum est, & cum homo porrectis manibus pura mente Deum veneratur. &c.* Jam vero ad nullam harum figurarum ultima Samaritanarum litera accedit, quæ figuram N nostræ majusculæ satis manifeste refert; & quamvis ad unam earum propius accedere videretur, nihil inde in *thau* gratiam posset colligi, cum diversæ figuræ non minus probabiles destruerent omnem, quam illa adumbrare potuisset, similitudinis ideam.

Itaque nullo nititur fundamento S. Hieronymi sententia, licet antiquis & recentioribus auctoribus fere omnibus imposuerit: constat enim, quod illam absque debito examine, quia majoris laboris, quam momenti judicabant, amplexi sunt. Si enim ad examen revocassent, illico animadvertissent, quod illam sententiam inanibus imaginariisque opinionibus superstruxerit. Putavit nempe Samaritanorum literas esse

esse omnium literarum antiquissimas, & consequenter illorum *thau* continere aliquid salutare ex Ezechiele collegit; cum autem a Christi cruce salutaria omnia pendeant, judicavit huic *thau* figuram salutaris crucis esse tribuendam, quandoquidem *thau* illo obsignari dicuntur omnes ad salutem destinati, & videbat suo tempore fideles revera hoc signo etiam se obsignare, ut ab impiis gentibus & ab infidelibus Judæis distinguerentur. Hæc autem omnia figmenta ipsa sunt vanitate leviora, & sponte dissipantur, quoniam demonstravimus literas Samaritanas minime esse antiquissimas. Ipsa insuper Samaritanorum alphabetha demonstrant illorum *thau* nullam cum cruce habere affinitatem; & quod non est minori observatione dignum, ne quidem ipse Ezechiel ullum habuit ad ullius *thau* figuram respectum, sed ad hujus nominis sensum dumtaxat attendit. Nempe hanc habent prærogativam inter cæteras omnes literas Ebræorum literæ, quod nomina earum non sint sensus expertia: adeo enim fæcunda est divina illa lingua, ut, quæ elementa mera sunt & ad componendas voces significantes dumtaxat utilia in aliis linguis, apud se quamdam perfectionem obtineant, & integram nominis rationem exhibeant. sic אֶלֶף, *bovem*, בֵּית, *domum*, & גִּמֶל, *camelum*, significant. Eadem ratione תָּו, *signum quodvis* significat, & ab eo formatur verbum תָּוָה, *signavit & notavit*, in S. Scriptura frequens. Quod ipso Ezechielis loco patet, ubi ita se habet Dei mandatum, הִתְוִיתָ תָּו, *signabis signo*. LXX interpretes Græci ad eumdem sensum reddunt *δὸς σημεῖον*, *impone signum*; Aquila & Symmachus, Hieronymo in hunc locum teste, *thau* similiter interpretati sunt. sic Syrus, & Arabs, Latinique ipsi ad tempus S. Cypriani, qui contra Demetrianum citat hunc locum his verbis: *Transi per mediam Hierusalem & notabis signum super frontes. &c.* quo signo non crucem, sed Christi sanguinem intelligit, & allusionem fieri ad Paschalis agni sanguinem postes Israelitarum in Ægypto contra Angeli vastatoris strages munientem convenienter judicat. Non ibo inficias eadem ratione ad crucem in qua divinus ille sanguis effusus est, posse signum illud accommodatione pia referri, sed propterea crucis figuram habuisse illud signum nemo potest dicere, & eadem certitudine ipsi sanguinis colorem etiam tribuere liceret. Denique si in literis figuram crucis nancisci cuperemus, ad Æthiopicas, quarum *thau* crux est, confugiendum esset, aut ad Ægyptias Hieroglyphicas. unde tot cruces inventæ in Serapidis fano, Sozom. l. 7. c. 15.

CAPUT IX.

Satisfit nummorum Samaritanorum inſcriptionibus, quæ videbantur literis Samaritanis primatum vindicare.



D nummos literis Samaritanis inſcriptos tandem convenit mentem & oculos convertere, atque conſiderare, an tantum in iis momentum ſitum ſit, aut tanta auctoritas, ut cætera argumenta, quemadmodum viri maximi exiſtimaverunt, ſint contemnenda, decretoriumque his nummorum inſcriptionibus judicium ſit deferendum; an contra leviſſimæ ſint, ſubleſtæ fidei, & adeo dubiæ, ut ne quidem ſibi ipſis fidem valeant conciliare, quod veritati propius modo videbitur. Ante omnia plurimos eximiam antiquitatis ſpeciem præ ſe ferentes a diverſis auctoribus exhiberi ſponte agnoſco; verum, ſalvis generalibus exceptionibus contra abſolutam nummorum fidem antea expoſitis, ſecure dicam quoſdam eſſe ex quibus nihil ad præſentem quæſtionem conducens poteſt colligi. Villalpandus verbi gratia Appar. urb. & temp. part. 2. lib. 2. diſp. 4. cap. 21. ex Staniſlao Reſcio Polono refert in ſarcophago inventa gigantis oſſa & annulum, quo totum brachium potuit circumdari, atque numiſmata literis Samaritanis inſcripta; quid commune enim antiquis Ebræis cum gigantibus? Nullum judicium etiam ſuadet hos nummos ad Iſraelitas pertinuiſſe, nulla circumſtantia temporis aut loci notatur, & placeat ſarcophagum, nummos, & oſſa Nimrodis exiſtimare, abſque ullo cauſæ præjudicio non reclamabo. Addam nummos Samaritanos poſſe dici antiquiſſimos, etiamſi a captivitatis Babylonicæ tempore cuſi fuerint. Cum enim nulli ſuperſint nummi antiquorum Aſſyriorum, Ægyptiorum, Medorum, Perſarumque qui maximam orbis partem ſuis armis ſubactam per multa ſæcula rexerunt, mirum non eſt ignobilem Samaritanorum gentem, ac ex ultimo Mediæ receſſu ad deſertos captivorum Iſraelitarum agros colendos miſſam ad nos uſque ſtatim non emiſiſſe nummos. Græci ipſi hominum omnium cele-

celeberrimi vix ullos nobis exhibent nummos antiquiores Alexandro Magno, qui ducentis circiter annis junior eſt Babylonica captivitate. Cum igitur antiquiſſimi habeantur illorum nummi, Samaritanis nulla fiet injuria, ſi ad illam antiquitatem accedere eos concedamus; immo ipſi Romanorum antiquiores nummi ad primam regum ætatem vix accedunt, pauci etiam ſunt, neque ab omni falſi ſuſpicione ſunt liberi. Vicini autem ſunt præ Samaritanis Romani; præterea in has regiones imperium diuturnum exercuerunt, & conſequenter in iis eorum nummi admitti debuerunt, & aſſervari facilius potuerunt, quam Samaritani Europæis noſtris plane ignoti. Denique ne ulla gratia denegetur Samaritanis, concedantur ipſis non ſecus ac Græcis Romaniſque nummi ad heroica & fabuloſa tempora pertinentes; atque ut Smyrnæi Homerum, Samii Pythagoram, alii Herculem, aut Achillem in nummis ſuis habuerunt, ſic Samaritani vetuſtiſſima ſacræ Iſraëlitarum reipublicæ nummis ſuis ſimiliter impreſſa monumenta conſervaverint; modo conſtet ad arbitrium a poſteris cuſos illos nummos, neque ad horum ſymbolorum tempora eſſe referendos, quemadmodum imagines deorum, & heroum, priſcorumque ſapientum non erant ipſis coætaneæ, ſed a pictoribus fictoribuſque cum lubebat fiebant, ad eorum memoriam dumtaxat conſervandam. Quamobrem quicunque exhibentur Samaritani nummi, nullum temporis indicium proponere comperiuntur. Itaque cum nummorum Samaritanorum patronis liberaliter agam, deſtitutis omni antiquitatis nota nummis primam illuſtriſſimorum nummorum auctoritatem ſponte indulgendo, & ad initium captivitatis Babylonicæ eos deducendo. Sane lingua, & literæ Cuthææ aut Samaritanæ tum demum deductæ ſunt in patrias tranſportatorum Iſraelitarum ſedes, Ebræaſque literas in iis antea uſurpatas ab uſu communi abegerunt; ſaltem ab inſcriptionibus nummorum debuerunt eas abigere, quia ſupremæ poteſtatis, quæ penes Cuthæos & Babylonios ipſorum præfectos erat, ſignum habetur moneta, ſive *ſupremi dominii ſigillum*, ut cum conſultis juris loquitur Thuanus lib. 133. Quare Ariſtoteles Moral. lib. 5. cap. 8. ſcribit, quod διὰ τοῦτο τοὔνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστί. *propterea numiſma dicitur, quia non natura, ſed lege & inſtituto exiſtit.* Quare ab iiſdem, qui leges ferunt & imperant, auctoritatem & pretium mutuatur, ut probat Covarruvias in collatione veterum numiſmatum cap. 18. & valide confirmatur ipſius Chriſti verbis Matth. 22-19.

Cum enim Judæi malitiose peterent ab ipso, an liceret censum dare Cæsari, ut si affirmate responderet, odium ipsi conciliarent; si vero negaret, ad Romanos magistratus ut seditiosum deferrent. Verum eorum propositum prudenter elusit, petito census numismate, atque illis adactis ad declarandum imaginem Cæsaris ipsi esse insculptam, cum exinde sequeretur dominum Judææ esse Cæsarem, atque hoc numisma sufficienter, quamvis Christus taceret, clamare censum supremo domino esse solvendum. Quod Judæi in Thalmude libenter agnoscunt, introducentes Abigailem suum maritum a læsæ majestatis scelere & in regem rebellione excusantem his verbis: עדיין מוניטה דמרן שאול קיים, *Adhuc moneta domini Saulis obtinet*, ad significandum regiam auctoritatem penes ipsum residere, non vero in Davide. Quamobrem regum nomine pollent nummi; hinc olim *Philipici*, *Darici*, & nunc *Ludovici*, *Jacobique*. Sic Cuthæi Babylonici imperii subditi in Samariam translati, ut illam incolerent, nummos regis sui nomine proculdubio cuderunt ad tributa ipsi solvenda, & memoriam victoriarum ejus conservandam, atque literas suas, quæ eadem cum Chaldaicis, aut parum discrepantes erant, inscribi curarunt, quia domini regionis erant, & fere soli. Residui enim Israelitæ aliquandiu potuerunt in agris, sylvis, & antris delitescere; postquam autem e latibulis suis prodierunt, victoribus morem gerere debuerunt, atque literis & linguæ eorum paulatim assuescere, & nummis ab ipsis cusis uti.

Nemo tamen inficiari potest victorum esse, victis leges & consuetudines suas præscribere. At secus se habere rem videmus: nam nummi literis Samaritanis inscripti nuncupantur *Sicli Israelis*, non *Cuthæorum*, & præstantissima Israeliticæ gentis insignia præ se ferunt, ut pateat ab Israelitis antequam debellarentur cusos fuisse, siquidem urnam & virgam Aronis, quæ in prædam hostibus cesserunt, habere insculptas soleant. Hæc revera præcipui momenti objectio, in eaque totius controversiæ cardo vertitur; quapropter ejus solutio omnia plana expeditaque postea reddet, & idcirco ei accuratius inhærendum.

Ante omnia expedit observare missas a victoribus in debellatam urbem colonias non semper ita prævaluisse, ut nomen debellatæ gentis continuo abolerent. Leges dabant, jura victores sua lingua reddebant, & cætera quæ ad auctoritatem pertinebant munia administrare satagebant; at ipsimet victores gaudebant celeberrima olim nomina conserva-

re, ut totidem essent victoriarum suarum monumenta. Hinc totum Orientem, Ægyptum etiam, & cæteram Africam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Græciamque suis Romani repleverunt coloniis, & paucæ sunt metropoles urbes, quæ pro coloniis Romanorum haberi non honori duxerint; sua tamen nomina, etiam insignia suscipiendo Romana, conservaverunt, alioqui iidem fines Urbis ac Orbis fere fuissent. immo ne quidem immensa ejus gloria circumjacentium in ipsa Italia oppidorum splendori offecit. Potuerunt igitur exiguæ Israelitarum reliquiæ nomen suum conservare, atque etiam initio cum novis colonis communicare, quia fama illustrissimi regni illorum non potuit illico extingui; potuitque etiam victorum gloriæ inservire, Israelem toto orbe celebrem dici promiscuam turbam ex ignobili & sine nomine plebe constantem. Cuthæi scilicet gentem non constituebant, ut observatur in Pirke R. Eliezeris cap. 38. neque in numero LXX populorum a Noachi nepotibus constitutorum, enarratorumque a Mose Gen. 10. habebantur. Sane pristinum Samariæ nomen minus celebre retinuerunt, & ab ea dici Samaritanos probaverunt, licet ipsa Samaria haberet a Semero viro privato inter Israelitas, qui montem, cui inædificata fuit, vendiderat regi Israelitarum Homri 1. Reg. 16-24. Sed quid opus est argumentis: ipsimet Samaritani apud Josephum Antiq. lib. 9. cap. ult. origine Israelitica gloriantur, seque a Josepho ortos prædicant florentibus Israelitarum rebus, ut in partem prosperitatis eorum venirent. Reductis igitur in patriam hæreditatem Israelitis, & tranquillam sub Persicis regibus vitam ducentibus, non potuerunt Israelis nomen dedignari, sed in eumdem populum coalescentes communi consilio nummos suos literis regiis inscriptos vocare *siclos Israelis*; quod neque rex neque ejus ministri improbare potuerunt, quia celeberrimum regnum eorum imperio additum non exiguum peperit gloriæ incrementum. At reclamat textus sacer: testatur enim Deum projecisse *totum Israelem*, nihilque reliquum fecisse *præter unam Judæ tribum* 2. Reg. 17-18. 20. & seq. Verum enim vero ira Dei, & hujus populi calamitas ingens exaggerantur. Licet enim superstites in patria terra paucissimi fuerint & fere nulli præ immenso exulum numero, plurimi tamen esse potuerunt comparate ad Cuthæos advenas; nam constat plurimos superfuisse Judæos post eversam funditus Hierosolymam, quamvis 2 Reg. 21-13. Deus expresse dicat, *Extendam super Hierosolymam Samariæ regulam*, quod repetitur postea cap. 23. 27. Quam-

obrem exiſtimare licet Iſraelitas in patria remanſiſſe ſuperſtites, cum Judæi eadem ſeveritate tractati plurimi remanſerint ex conſenſu victorum Babyloniorum, ut culturæ agrorum & vinearum vacarent, teſte auctore ſacro 2. Reg. 25-12. teſte etiam Joſepho lib. 10. Antiq. cap. 5. ſcribente de Joſia: Ὁ βασιλεὺς Ἰωσίας πορευθεὶς καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους τῶν Ἰσραελιτῶν, ὅσοι τὴν αἰχμαλωσίαν καὶ τὴν δουλείαν ἀπὸ τῶν Ἀσσυρίων διέφυγον. *rex Joſias inviſit & alios Iſraelitas, qui captivitatem & ſervitutem Aſſyriorum effugerant.* Quod expreſſe deſcribitur 2. Reg. 34-& 35. ut mox clarius patebit, & ſimul patebit diſtinctas etiam tribus conſervaviſſe & patrium Iſraelis nomen, atque plurimos revera fuiſſe; ita ut non ſit dubitandum publicam eas habuiſſe pecuniam, cui inſcribi potuit, ſed literis regis, in ſui erga victorem obſequii indicium. Sane duodecim tribuum adhuc fit mentio Act. 26-13. & Jacob 1-1. licet decem in captivitatem abductæ non redierint.

Sed objicitur *Hieroſolymam ſanctam* huic monetæ inſculpi non potuiſſe, quia a tempore Jeroboami Hieroſolymæ & ejus cultui valedixerant, apoſtatæque ab avita religione facti cultui vitulorum in Dane & Bethele ſe addixerant, ut refertur 1. Reg. 12-27, 28, 29. Ingentem fuiſſe illam defectionem fatemur, ſed univerſalem fuiſſe a Deo & religione apoſtaſiam pernegamus; fideles enim Deo prophetæ inter eas non remanſiſſent, ut Elias, Eliſæus, Michæas, aliique. Legimus etiam 1. Reg. 15-17. Bahaſſam regem Iſraelitarum condidiſſe urbem Ramam, ad impediendum omne cum Judæis commercium, & fruſtra fuiſſe, cum Rama illico fuerit penitus deſtructa: legimus præterea Abdiam conſtantem cultus divini aſſertorem occultatos in caverna centum Dei prophetas aliquamdiu nutriviſſe, ut eos ab impiæ reginæ, quæ plurimos alios ad mortem uſque perſequuta fuerat, furore eriperet 1. Reg. 18-4. Si tot prophetæ, quot exiſtimandi fideles ſub eorum diſciplina innutriti? hinc ſeptem illa millia a cultu Bahalis immunia ibid. 19-18. Neque licet putare pium Judæorum regem Joſaphatum cum rege Iſraelitarum fœdus contracturum, niſi quoddam ab eo emolumentum religio obtinuiſſet. Quin aſſiduam curam de illo regno habuit Deus, curavitque inungi Jehu ad refrænanda ſcelera, quæ extremum illi exitium attraxiſſent, & modum impietati imponendum, 2. Reg. 9—. Denique Tobias libri ſui Apocryphi 1—6. teſtatur ſe e tribu Nephthalitica ortum, eamque totam quidem impio illo ſchiſmate ream, ſe tamen

men ante captivitatem ſolitum fuiſſe quotannis petere Hieroſolymam, & Deo offerre ſacrificia, ſacerdotibuſque decimas. Licet autem ſolus e familia ſua in quibuſdam exemplaribus legatur functus, plurimos tamen imitatores ex cæteris familiis habuiſſe veriſimillimum eſt. Conſtat igitur ſtante Iſraelitarum regno nonnullos pios & fideles inter idololatras permanſiſſe, qui cum lege tenerentur ſiclos in redemtionem animarum ſolvere, & primitias, oblationes, votaque deferre Hieroſolymam, ſiclos habere debuerunt, Judaicis ſimiles pretio & figura, & conſequenter non potuerunt, aliam quam ſolitam, in qua *Hieroſolyma ſancta* dicebatur, admittere. Pii autem illi, ut præ cæteris Deo cari, potuerunt ſingulari ejus providentiæ beneficio eximi a funeſta clade, quæ cæteros perdidit, ut in Judæorum ſocietatem tandem redirent, exiliumque poſt LXX annos terminandum dumtaxat ſubirent. Quamobrem eoſdem ſiclos, quos antea religionis gratia cuderant, conſervare potuerunt, & ſolis inſcriptionis literis immutatis eo tempore, ut regi domino obtemperarent, in eis Samaritanas adhibuerunt; hiſque ipſis nummis uſum in regno ſuo concedere etiam Judæi debuerunt ob commercium utriſque ex æquo utile & neceſſarium. ſic non mirandum eſt *Hieroſolymam* in iis dici *ſanctam*.

Nemo æquus rerum æſtimator diffitebitur hæc omnia eſſe veriſimillima; ſed quæ nunc addam certiſſima ſunt, & veriſimilitudines in certas demonſtrationes tranſmutant. Miſeræ illæ Iſraelitarum reliquiæ, flagrante bello per vicinas regiones circumcirca diſperſæ, paulo poſt regni ſui deſtructionem & fratrum captivitatem venerunt in Judæorum poteſtatem, poſtquam Judæi duce Ezechia jugum Babyloniorum excuſſiſſent 2. Reg. 18-7. Hinc pius ille rex 2. Chron. 30-1. legitur ad ſolemnitatem paſchæ convocaſſe כָּל־יִשְׂרָאֵל, *omnem Iſraelem*. Non ignoro quidem notas marginales verſionis noſtræ vulgatæ de Iſraelitis urbes aut oppida in ditione Judæorum occupantibus. Revera etiamſi decem tribus ſequutæ dicantur Jeroboamum, conſtat tamen quaſdam ex his tribubus familias conſtanter Judaicæ tribui adhæſiſſe, quia inter Judæos permixti habitabant. Verum generalior eſt illius convocationis expreſſio, ut dumtaxat referatur ad hos Iſraelitas, qui ob illam inter Judæos habitationem, & a cæteris contribulibus divortium Judæi habebantur, atque ſub iis comprehendi ſolebant. unde cum de iis ſermo eſt, dumtaxat nuncupantur יֶתֶר הָעָם, *reſiduum populi*, quaſi exigua fragmenta ex toto ſuo corpore decidua, quæ ſua cum duabus tribubus conſtanti confœderatione regnum Judaicum con-

constituebant, atque pristinum ejus sustinebant decus ad hoc tempus Ezechiæ. qui in Babylonios hostes victricia circumferendo arma viam liberam superstitibus Israelitarum reliquiis stravit ad debitum Deo obsequium Hierosolymæ præstandum. Quare additur ad Ephraimum & Manassem scriptas fuisse etiam literas: certum est autem ipsam Samariam in Ephraimiticæ tribus meditullio sitam fuisse, & Manassis tribum longius adhuc a Judaica recessisse. Denique expresse legimus convocatum Israelem a Dane ad Bersabæam vers. 5. sunt autem duo hæc totius Israelitici regni extrema e diametro opposita totam ejus amplitudinem a septemtrione in meridiem protensam comprehendentia, ut patet Jud. 20-1. Ne autem ullum superesset dubium hos Israelitas regnum Israelis cum captivis antea constituisse, hortatoria convocationis verba vers. 9. ipsis spem faciunt divinæ in captivos parentes misericordiæ, atque in patriam terram reditus. Quin postea quosdam ex Assere, Manasse, Issacare & Zabulone obtemperasse legimus, atque regiæ invitationi parentes pascha Hierosolymis celebrasse; verum Zabulonitas illam irridentes cœptum schisma continuasse.

Unde colligimus numerosam fuisse horum Israelitarum multitudinem, cum quinque tribus distinctas aliquatenus constituerent, quidam ex iis regem ipsi Babyloniorum imperio formidabilem contemnerent, ejusque benignas admonitiones aspernarentur, atque ex medio tot contumacium tanta fidelium copia conflueret Hierosolymam, ut pascha illud a diebus Salomonis simile non habuisse affirmetur 2. Chron. 30-26. Hi autem fideles adeo numerosi & generosi, ut contribulium suorum indignationem parvi fecerint, debuerunt habere siclos sanctuario solvendos Judaicis similes, atque dumtaxat discrepantes literis, quæ dominos sequuntur. Unde Græcæ literæ maximam orbis partem armis Græcorum subactam occuparunt; Arabicæ totum Orientem & præcipuas Africæ provincias abactis Chaldaicis, Persicis, & veteribus Punicis nunc occupant. Quin licet existimare tunc tantam non fuisse illam discrepantiam, sed sensim auctam fuisse ob diversitatem manuum, & scribendi rationem, quæ in unam formam ante excogitatam typographiam literas redigere non permiserunt. quapropter non magnopere Israeliticæ initio immutandæ fuerunt, ut in Chaldaicas transformarentur. Major difficultas a diversis illis partibus, in quas distrahebantur Israelitæ: vix enim schismatici, & a societate Judæorum alieni, videntur adduci potuisse ad usum

usum horum nummorum, qui sanctitatem Hierosolymæ & præstantissima religionis Judaicæ symbola celebrabant. At potuerunt eadem illa symbola magnifacere, & pristinam Hierosolymæ sanctitatem in suas partes translatam existimare schismatici illi errorum suorum fascino dementati. Sane omnes Samaritani pentateuchum Mosis non minus ad se pertinere, quam ad Judæos judicaverunt, & suis quidem literis, sed Ebraicis vocibus divinam fidei regulam exprimere, & consequenter virgam Mosis, & Aronis urnam, atque cætera divinæ virtutis instrumenta in communium parentum decus divinitus instituta magnifacere debuerunt, imo pristinam Hierosolymæ sanctitatem. Quin potuerunt sibi fingere illam ad se translatam, ut Montanistæ infamem suam Pepuzam nuncupabant Hierusalem, atque omnibus elogiis, quibus vera solet a Prophetis & Apostolis exornari, cumulabant, ut testatur S. Augustinus de Hæres. cap. 27. & S. Epiphanius adversus Hæreses lib. 2. tom. 1. hær. 48. docet cælestem ipsam Hierusalem in hanc Pepuzam Phrygiæ oppidum solitam descendere eos credidisse. Sic Donatistæ etiam referebant ad exiguum Africæ suæ angulum amplitudinem ecclesiæ promissam, ut passim refert S. Augustinus, & præsertim serm. 50. de verb. dom. in Joh. Quidni similiter delirarint Samaritani apostatæ, & indulgendo vanis imaginationibus sanctam duxerint Hierosolymam, quam fideles ob constitutum in ea olim Dei cultum venerabantur?

Urna tamen Mannæ, & virga Aronis primam antiquitatem videntur designare. Designant revera aliquo modo, quia hæc multa miracula edidit ad Israelis ex Ægypto liberationem, & illa perenne fuit alimenti cælestis, quo per continuum 40 annorum curriculum vixit populus ille in deserto, monumentum. Atque utræque conservatæ sunt in templo ad ejus excidium, ita ut potuerint in nummis ut beneficia adhuc præsentia repræsentari. Templo autem funditus a Chaldæis deleto fatum earum ignoratur: neque enim inter spolia e Babylone reducta, neque inter præstantissima quinque primi templi ornamenta, quæ defuerunt secundo, numerantur, ita ut vix posset refelli, qui propugnaret conservata fuisse a quibusdam Israelitis in patria terra residuis. Id tamen non est necessarium, ut in nummis describerentur; cum non tantum præsentia beneficia in gratorum animorum signum nummis insculpantur, sed præterita etiam, ne memoria excidant. Nam ficus Ruminalis Remi & Romuli natalibus insignis, & *inventa sub ilicibus sus*, quam Æneam fa-

tis jubentibus fabulantur mactaſſe, innumeris poſt earum exitium ſeculis in nummis viguerunt.

Etſi præcedentes obſervationes abunde declarent, illico poſt captivitatem potuiſſe ab Iſraelitis in patria ſuperſtitibus, & ex vicina Ægypto & aliunde patriam fere deſertam repetentibus, nummos literis Samaritanis inſcriptos in Hieroſolymæ & ſacrorum ejus ſymbolorum honorem cudi; attamen commodius adhuc cuſi fuerunt regnante pio Joſia, qui ſaltem ad avitam religionem omnes reduxit Iſraelitas, Bethelis altare a Jeroboamo extructum diruit, & in cineres omnia ejus ornamenta redegit 2. Reg. 23-15. Imo percurrit totas Manaſſis, Ephraimi, Simeonis, & Nepthalini tribus nullaque in iis priſtinæ idololatriæ monumenta reliquit 2. Chron. 34-6. ſed in redivivæ pietatis teſtimonium ampliſſima in templi uſum dona retulit, ut ibidem refertur. Additurque expreſſis verbis verſ. ult. *Et amovit Joſias omnes abominationes de omnibus terris, quæ pertinebant ad Iſraelem,* וַיַּעֲבֵד אֶת־כָּל־הַנִּמְצָא בְּיִשְׂרָאֵל לַעֲבוֹד אֶת־יְהוָה אֱלֹהֵיהֶם כָּל־יָמָיו לֹא סָרוּ מֵאַחֲרֵי יְהוָה אֱלֹהֵי אֲבוֹתֵיהֶם *& ſervire fecit omnes quos invenit in Iſraele ad cultum domini Dei ipſorum; omnibus ejus diebus non receſſerunt a tramitibus domini Dei patrum eorum.* Denique capite ſequenti affirmatur totum Judam Iſraelemque paſcha adeo magnificum celebraſſe, ut non tantum antecedentia paſchata ſub regibus celebrata ſuperaverit, ſed & illa ipſa, quæ Judices florente Theocratia prius celebraverant. Quin omnino probabile eſt ipſos Cuthæos tunc proſelytos factos totum Dei cultum in ſe ſuſcepiſſe, atque comprehenſos fuiſſe generali Iſraelis nomine; cum jam antea in ſe ſuſcepiſſent ſacrificia a Deo præſcripta, & ſacerdotem a rege miſſum habuiſſent doctorem, & omnia idola cultusque idololatricos cum ſacerdotibus prophanis qui iis vacabant Joſias ſuſtuliſſet: tunc igitur illi Iſraelitæ omnes ex Cuthæis & ſuperſtitibus Iſraelitis, qui in unum populum & eamdem religionem coaluerant, ſiclos cudere Judaicis ſimiles potuerunt, & debuerunt. Literis autem Samaritanis, (quibus Cuthæi ab initio aſſueverant, quæque auctoritate regia in eam regionem introductæ fuerant, neque potuerunt amoveri ut Judæis omnino illi aſſimilarentur, ob brevem florentis illius ſtatus durationem,) inſcripti fuerunt. Hoc autem contigit circa Anci Marcii quarti Romanorum regis tempora, & trecentis ante Alexandrum annis; atque hac ratione nummi hi Samaritanorum evidenter Chaldaicis, Ægyptiis, Græcis, Romaniſque antiquiores erunt, licet

ipſis tantam obtinere antiquitatem longe difficilius fuerit, quia pauci eſſe debuerunt in exiguo terræ deſolatæ angulo, & ad gentem obſcuram multiplicibuſque diſperſionibus vexatam pertinuerunt.

Ne autem ulla remaneat cauſa dubitandi hos Samaritanos ex Cuthæis Iſraelitiſque conſtantes, licet a ſupremo Babyloniorum imperio penderent, potuiſſe nummos Judaicis ſimiles, & literis dumtaxat diſcrepantes cudere; utique convenit obſervare ſat libera initio fuiſſe nummorum ſigna & inſcriptiones. Hinc Plinius lib. 33. cap. 3. teſtatur, quod *Servius rex primus ſignavit æs: antea rudi uſos Romæ* Romanos traditum. circa octogeſimum nempe a prædicto Joſiæ tempore annum. addit, quod *populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem devictum uſus eſt.* Sic ſignatos Samaritanis nummos trecentis & amplius annis, antequam ullos tales Romani haberent, largiemur, idque faciemus libenter, modo ſigna illa fuiſſe libera nobis concedatur, ut fuiſſe plurimis argumentis demonſtratur; nam initio ex ſolo metalli pretio æſtimabantur, neque principes excogitaverant *remedium legis*, quod vocant, ſive conſtitutam metalli pretioſioris per admixtiones vilioris corruptionem, quæ in eorum utilitatem vergit & care venditur cum leviſſima imaginis umbra. Quin nondum mos hic obtinet inter Chinenſes, & regni Tunquini incolas: utuntur enim aureis, argenteiſque & æreis maſſis, ſive pilis pondus certum habentibus, ex quo totum pretium pendet. Unde licet in plures partes eas dividere, ut ſolutionibus faciendis accommodentur, quod teſtatur J. B. Tavernerius tom. 2. itinerum ſuorum; addit Japonenſes ſuæ monetæ literas quaſdam inſcribere, ut mos eſt etiam Turcis, aut flores quoſdam inſculpere, quia averſum ab imaginibus habent animum.

Hæc in nummis cudendis inſcribendiſque libertas non obſcure innuitur trito hoc Ebræorum proverbio: לא ישנה אדם מטבע שטבעו חכמים *Ne mutet homo monetam, quam cuderunt ſapientes.* teſtatur enim, quod ſapientes initio monetæ inter omnes currenti ſententias & ſymbola vitæ inſtituendæ convenientia inſcriberent, hiſque compendioſis præceptis officia in civilibus commerciis debita ſapienter præſcriberent.

Non minus evidenter illam exhibent ſymbola antiquioribus nummis inſculpta, quippe quæ declarant illos primis commerciis varia mercium permutatione factis immediate ſucceſſiſſe, illam permutationem quo-

quodam modo repræſentando. Scilicet initio agricolæ copia frumentorum opulenti lanis, quibus abundabant paſtores, indiguerunt; ut paſtores viciſſim frumentis frugibuſque aliis indigebant. Quamobrem communi conſilio illam, qua laborabant, inopiam propriæ opulentiæ abundantia propulſare ſategerunt, atque ſuperfluos laborum ſuorum fructus cum neceſſariis & aliena induſtria partis viciſſim permutaverunt. At non ſemper ex æquo & commode illa permutatio fiebat: cui bos verbi gratia exponendus erat, uno aut altero pane, calceiſve, & pileo indigebat, neque ab eodem homine poterat illa obtinere; idcirco, ut optime Ariſtoteles de moribus lib. 5. cap. 8. δεῖ πάντα τετιμῆσθαι. οὕτω γὰρ ἔσται ἀεὶ ἀλλαγή. *Oportet omnia pretio conſtituto æſtimari, ut ſemper permutatio fieri poſſit.* ut autem æſtimatio illa rite fieret, & proportionata ſolutio ipſi adaptaretur, τὸ νόμισμα, ὥσπερ μέτρον σύμμετρα ποιῆσαν, ἰσάζει, *nummus, utpote medium commenſurabiles inter ſe efficit res, atque adæquat.* unde addit: μετρεῖται γὰρ πάντα νομίσματι, *nummo enim omnia menſurantur.* Inde igitur factum, ut qui nummos primi excogitaverunt, iis ſtatim impreſſerint imagines rerum neceſſariarum, quæ antea ſolebant permutari, ut unuſquiſque agnoſceret uſum eorum eſſe, ut res permutabiles abſque labore quodam modo ſiſterent præſentes, & ſolitam permutationem efficerent faciliorem. Propterea patriarcha Jacobus agrum emit a filiis Hemori Gen. 33—19. *centum* קְשִׂיטָה, *agnis*, id eſt, nummis inſculptam habentibus agni effigiem. unde Chaldæus reddit, בְּמְאָה חוּרְפָּן, *centum agnis*, & LXX ἑκατὸν ἀμνῶν, Vulgataque *centum agnis.* Syrus etiam, atque Arabs. Neque licet exiſtimare illum agrum veris agnis emptum fuiſſe, cum fidelis interpres S. Stephanus emptum teſtetur τιμῆς ἀργυρίου, *argenti pretio*, Act. 7—16. Nummi igitur erant effigiem agni habentes inſculptam, ut ipſimet Judæi etiam tradunt. quo ſpectant hæc Plutarchi in Poplicola verba: Τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις βοῦν ἐπεχάραττον, ἢ πρόβατον, ἢ σῦν. *Omnium numiſmatum antiquiſſimis impreſſi fuere bos, ovis, aut ſus.* Varro etiam docet lib. 2. de R. R. quod *æs antiquiſſimum, quod eſt conflatum pecore, pecore eſt notatum*, unde etiam dicta eſt pecunia: Plinius enim lib. 33. cap. 3. de ære. *Signatum eſt* (inquit) *nota pecudum, unde & pecunia appellata. &c.* Neque immerito *agnos* vocat textus ſacer nummos agni ſpecie notatos; id enim in more ſemper fuit. quare Pollux vocabul. lib. 9. cap. de nominib. talenti. &c. ſcribit: παλαιὸν ἦν τοῖς Ἀθηναίοις νόμισμα καὶ ἐκαλεῖτο βοῦς,

ὅτι

ὅτι βοῦν εἶχεν ἐντετυπωμένον. *Erat Atheniensibus vetus numisma, & dicebatur Bos, quia insculptam habebat bovis imaginem.* additque præcones, dum præmia proponerent, dicere solitos: δοθήσονται αὐτῷ τοσοῦτοι βόες. *dabuntur tot boves illi*, nempe bene merito. unde proverbium etiam, βοῦς ἐπὶ γλώττης, *bos in lingua*, de iis qui pecunia corrupti tacent. Iidem Athenienses nummos etiam habuerunt noctuæ effigie signatos, qui dicebantur propterea *noctuæ*. unde servus Gylippi domini furtum his verbis ænigmatice docuit: ὑπὸ κεραμικῷ κοιτάζεσθαι πολλὰς γλαῦκας, *sub ceramico cubare plures noctuas.* sic enim significabat Ephoris plurimos nummos a noctuis impressis denominatos sub tecto domini esse absconditos, teste Plutarcho in Lysandro. Oboli etiam ab impressis ὀβελοῖς, *verubus*, dicebantur. Neque ullius momenti erat inscriptio, cum totum pretium penderet a metallo, unde solius ponderis ratio habebatur; nam Plinius l. c. observat Romanos initio ponderasse metalla ad cujusvis rei pretium solvendum, unde *libra*, *pondo*, & cætera ab eis derivata, *stipendia* ex *stipe* & *pendo* composita, *impendia* etiam & *expensa*, *æs grave*, similiaque multa. Ebræos imprimis suos nummos ex pretio æstimasse primum patet: *sicli* enim dicebantur a שָׁקַל, *ponderavit*. sic Græcus *stater* dicitur στατὴρ ab ἵστημι, *pondero*; ut *talentum* a ταλάω, *lance impositum pondus sustineo.* Quamobrem antiqui Israelitæ dicuntur in sacris codicibus rerum emptarum pretium *appendere*, non vero, quemadmodum inter nos, *solvere*. sic Abrahamus Gen. 23—16. appendit quadringentos siclos pro sepulchro: seductor virginis tenetur appendere pretium dotis ejus Exod. 22—17. & Propheta 1. Reg. 20—39. sibi talentum pendendum refert ob fugam captivi curæ suæ commissi. Quin diuturno usu confirmata illa expressio post constitutum signatis nummis pretium adhuc mansit, unde Judæi triginta nummos traditori Judæ appendisse referuntur Matth. 26-15.

Pristinam illam in cudendis nummis libertatem facillimum esset confirmare innumeris nummis in gratiam privatarum familiarum, privatorum etiam hominum cusis; visuntur enim nummi philosophos, ut Pythagoram, Archytam, & Archimedem referentes; alii poetas, Homerum, Hesiodum, Orpheumque. Si quis autem contendere vellet hos nummos non adhibitos ad civilia rerum publicarum commercia, sed ut monumenta honoris inter amicos & socios distribui solita fuisse, mea non refert; licebit enim idem judicium de nummis in honorem san-

ctuarii Hieroſolymitani cuſis, & Samaritanas inſcriptiones habentibus judicium ferre.

Nihilominus rationi longe magis conſentaneum videtur Samaritanos Iſraeliticam ditionem invadentes nummos Judaicis ſimiles inveniſſe inter ſuperſtites Iſraelitas, qui regum ſuorum protectione deſtituti, & in avitam religionem, ſive ab Ezechia, ſive a Joſia, reducti eorum inſtitutis non tantum morem gerere debuerunt, ſed inprimis eadem pecunia uti coacti ſunt, ut neceſſaria cum Judæis commercia valerent exercere, & debita templo vota ſolverent. Quamobrem iiſdem nummis ipſi Samaritani inevitabili neceſſitate adacti initio etiam uti debuerunt; donec regii præfecti regios characteres, Chaldaicos nempe ſive Cuthæos, pro Ebræis cudi juſſerunt in ſupremi domini ſui teſtimonium, ſed uſitata in his nummis ſymbola retinuerunt, quia forſitan propria nondum habebant; & præterea ipſo regis mandato tenebantur in honore habere religionem Iſraeliticam, ob leones illos divinitus immiſſos ad puniendam cultus religioſi intermiſſionem 2. Reg. 17—25. Miſſi enim ibidem leguntur e Babylone ſacerdotes, qui totum populum docerent legitimum Dei cultum; unde, etiamſi ſinguli ſua idola conſervaverint, Deum tamen omnes ſolemni cultu etiam coluiſſe referuntur ibid. verſ. 33. Huic noſtræ ſententiæ evidenter ſuffragatur R. Eliezer in Pirke cap. 38. refert enim regem Babylonium petiiſſe a captivis Iſraelitis rationem ſtragis a leonibus immiſſæ, eoſque reſpondiſſe terram ſuam non admittere incircumciſos, ab eoque illico in Samariam duos viros ab illis Iſraelitis immiſſos, qui populum circumciderent, & legem docerent, nempe R. Doſtai, & R. Zachariam; atque addit, quod Samaritanos circumciderunt: והיו מלמדים אותם ספר התורה בכתב נוטריקון & *docuerunt eos librum legis ſcriptura notarica.* *Scriptura* hæc *notarica* a *notariis*, ſive ſcribis publicis nuncupatur, atque hæc vox licet a נָטַר, *ſervare*, convenienter poſſit derivari, quia notarii publici acta & contractuum inſtrumenta in regiſtris ſuis ſolebant conſervare; attamen veriſimilius eſt ſuam Latio debere originem. Inter Romanos ſcilicet notariorum officium reperitur obvium, & notarios proprios etiam habebant imperatores. Quamobrem *ſcriptura notarica* eſt regiorum ſcribarum, ſive notariorum ſcriptura: cum igitur regii ſcribæ inter Samaritanos e Babylone mitti debuerint, Babylonica ſive Chaldaica ſcriptura proculdubio utebantur, atque hac ſcriptura etiam ipſam legem deſcri-

ſcribi curarunt, & conſequenter eamdem in ſuis nummis adhiberi voluerunt. Quin & illis notariis præcipuam literarum mutationem eſſe tribuendam, nullus dubito; quia enim urgente negotiorum multitudine coguntur præcipitanter ſcribere, componunt diverſimode inter ſe literas, & liberioribus eas ductibus formant. Unde licet aſſeverare ipſas hodiernas Samaritanorum literas, quæ longo ſæculorum decurſu a primis plurimum deformatæ fuerunt, ab Ebraicis noſtris minus differre, quam differant a literis impreſſis cujuſvis gentis literæ confuſæ & inter ſe permixtæ notariorum. Sic mutata fuit in nummis Samaritanorum ſcriptura Ebraica, & Chaldaicæ ex ea deformatæ ſuum reliquit nomen, & ſola ſymbola ad religionem ſpectantia conſervari meruerunt, quia potiora non ſuppetebant, & hæc cæteris præiverunt.

Revera ut Ebræorum lingua, literæ, & religio cæteras anteverterunt, ſic plurima eorum inſtituta diverſis gentium inſtitutis originem prębuerunt, & inter illa nummorum uſus, & impreſſa nummis ſigna haberi debent. Non enim ut cæteræ gentes rudi metallo initio uſi ſunt, ſed ſtatim ſignarunt, & ad memoriam rerum inſignium primos ſuos nummos cuderunt; unde pecunia proprio nomine ipſis dicitur מַטְבֵּעַ, *impreſſum* ſive *res impreſſa*, quod ſymbola ſemper impreſſa habuerit. agnus verbi gratia ipſi potuit imprimi in memoriam agni ad redemtionem Iſaaci divinitus oblati. Hinc Eſtheræ 9-4. *moneta* pro *fama* uſurpatur in Paraphr. Chald. ſcribitur enim in Ebraico textu de Mardochæo: *magnus erat in domo regis* וְשָׁמְעוֹ, *& fama ejus*, pervadebat omnes provincias. &c. in locum *famæ* Targum illud habet מַטְבְּעֵיהּ, *moneta ejus*, nempe ad ejus famam propagandam cuſa. Quo ſpectat in ſignis locus in Bereſc.rab. §.39. aptus enim eſt ad confirmandum hujus vocis uſum, & ad probandum pecuniæ ſignatæ uſum Judæos exiſtimare fuiſſe in ſua gente antiquiſſimum. ita ſe habet: ארבעה הם שיצא להם מונטין בעולם אברהם ואעשך לגוי גדול יצא לו מוניטון ומהו מוניטון שלו זקן וזקנה מיכן בחור ובתולה מיכן יהושע ויהי יי את יהושע ויהי שמעו בכל הארץ ויצא לו מוניטון בעולם מהו שור מיכן וראם מיכן על שם בכור שורו הדל לו וקרני ראם קרניו דוד ויצא שם דוד בכל הארצות יצא לו מוניטון בעולם ומה היה מוניטון שלו מקל ותרמיל מיכן ומגדל מיכן על שם כמגדל דוד צוארך מרדכי כי גדול מרדכי בבית המלך ושמעו הולך בכל המדינות יצא

יצא לו מוניטון ומהו מוניטין שלו שק ואפר מיכן ועטרת זהב מיכן *Quatuor fuerunt, qui emiserunt monetam per orbem, Abraham, prout dicitur, Faciam te in gentem magnam Gen. 12-2. habuit etiam monetam. Qualis autem fuit moneta ejus? Senex & vetula hic, juvenis vero & adolescentula illic erant. Josua, de quo legitur Jos. 6-27. Et fuit Deus cum Josua, & fama ejus per omnem terram, habuit monetam per orbem. Qualis autem fuit? Taurus ab una parte erat, & in altera unicornis, secundum Deut. 33-17. Decor ejus, ut primogeniti tauri; & cornua ejus, ut cornua unicornis. David etiam, Nomen ejus exiit in omnes terras 1. Chron. 14-17. & habuit monetam in omnes mundi regiones sparsam. Qualis autem fuit? Habuit in uno latere virgam & peram, & in altero turrim, secundum Cant. 4-14. Collum tuum, ut turris David. Mardochæus, de quo Esther 9 4. Mardochæus autem magnus erat in domo regis, & fama ejus volitavit per omnes regiones, habuit etiam monetam. Qualis autem fuit? Saccus erat & pulvis ab una facie, & ab altera corona aurea. &c.* Præterea in Midrasc. Estheræ sect. ult. alterius adhuc monetæ Mardochæi fit mentio: comparatur enim cum rege, & inter alias regum prærogativas moneta sic refertur: מה המלך מוניטה שלו הולכת בכל ארץ כן מרדוכי מוניטה שלו מרדכי מכן ואסתר מיכן. *Quænam regis prærogativa? moneta ejus currit per omnem terram. eamdem prærogativam habuit Mardochæus, & moneta ejus in una parte referebat Mardochæum, in adversa Esteram.* Quod observandum fuit, ne hæc moneta amandaretur ut falsi suspecta auctoritate Clariss. Seldeni, qui lib. 2. de Jur. nat. & gent. acrius invehitur in Villapandum ob mentionem nummi Estheram & Mardochæum referentis ab illo factam. nempe hic locus virum doctissimum fugerat, vel non habuit fidem auctori, quod cuivis etiam licet. Nulli tantæ antiquitatis nummos referunt historici; quare sequentium exemplaria esse potuerunt, si vera sunt.

Sane ipsi sicli longe recentiores, quique proprie conveniunt proposito nostro, ad intima imperantis Orientis penetralia videntur pervenisse, & adeo placuisse principibus, ut in usum admissi fuerint, & exemplo fuerint deinceps monetariis. Quare non est mirum, si eamdem fortunam inter Samaritanos habuerint. Revera Xenophon lib. 1. exped. Cyri meminit σίγλου, *sicli*, & ut monetam Persicam his verbis describit: ὁ δὲ σίγλος δύναται ἑπτὰ ὀβολοὺς καὶ ἡμιωβόλιον Ἀττικούς. *siclus autem valet septem obolos Atticos, & dimidium.* & Hesychius σίγλον, νόμισμα Περσικὸν

σικὸν δυνάμενον ὀκτὼ ὀβολοὺς Ἀττικούς. *ſiclus eſt nummus Perſicus valens octo obolos Atticos*: addit autem, Ξενοφῶν ἕκτῃ ἀναβάσεως λέγει, δύναται δὲ ὁ σίγλος δύο δραχμὰς Ἀττικάς. *Xenophon VI expeditionis dicit, Valet autem ſiclus duas dragmas Atticas*, quod videtur hos ſiclos Perſicos Iſraeliticis æquales facere, cum LXX Græci Interpretes ſoleant ſiclos per δίδραγμα exponere. Verum adverſantur Joſephus, qui Antiq. lib. 3. cap. 9. ſcribit: Ὁ δὲ σίγλος νόμισμα Ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. *Siclus autem eſt nummi genus Ebræorum comprehendens quatuor drachmas Atticas.* Eadem ſententia Philonis lib. 1. de ſpecialib. legib. ubi agit de redemtione animæ ſuæ, quam quidam vovit. dicit autem quod pretium viri illius ab anno 20 ad 60 in lege æſtimetur ducentis drachmis, vel, ut ejus verbis utar, ἀνδρὸς εἶναι τιμὴν δραχμὰς διακοσίας νομίσματος ὁλαργύρου, γυναικὸς δ' εἴκοσι πρὸς ταῖς ἑκατόν. *viri pretium eſſe ducentas puri argenti; mulieris vero viginti ſupra centum. &c.* Jamvero lex hanc faciens æſtimationem extat Lev. 27-3. & pro *ducentis* drachmis habet חֲמִשִּׁים שֶׁקֶל כֶּסֶף בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ *quinquaginta* ſiclos argenti in ſiclo ſanctuarii; & pro *centum & viginti* drachmis שְׁלֹשִׁים שֶׁקֶל, *triginta ſiclos.*] ubi manifeſte ſingulis ſiclis aſſignantur a Philone & a Joſepho quatuor drachmæ, quod pluribus ſimilibus exemplis ibidem pergit confirmare. Contra LXX Græci Interpretes ibidem pro *quinquaginta ſiclis* habent, πεντήκοντα δίδραγμα ἀργυρίου, & pro *triginta ſiclis* τριάκοντα δίδραγμα, *triginta didragma* ſingulis ſiclis duas dumtaxat tribuentes drachmas. At S. Hieronymus in Ezech. cap. 4. Joſepho & Philoni aſtipulatur, ſcribitque: *Siclus autem, id eſt, ſtater, habet drachmas quatuor; drachmæ autem octo Latinam unciam faciunt.* Quod extra omnem controverſiam ponit Euangelicus textus Matth. 17—24. ibi enim Judæi exactores petunt a Petro, an ejus magiſter ſolveret didrachma, ſatis modeſte, neque violenter, ut publicani regii ſolebant, quia Judæi ſub Romanorum jugo precariam initio auctoritatem dumtaxat exercebant; & agitur de tributo in uſum templi deſtinato, nempe de מַחֲצִית הַשֶּׁקֶל, *dimidio ſicli*, a Deo imperati Exod. 30-13. quod percipere licebat adhuc Judæis, & demum ſublatum eſt imperante Veſpaſiano poſt templum a Tito ejus filio deſtructum teſte Joſepho de bello Jud. lib. 7. cap. 27. Δύο δραχμὰς ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς Καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν. *Duas drachmas unumquemque* (Judæum) *ſingulis annis deferre in Capitolium juſſit, quemadmodum eas templo Hieroſolymitano*

tano antea pendebant. Præterea perſpicuum eſt ex textu ſacro, quod dimidium illud ſicli duabus drachmis revera conſtabat, quandoquidem Chriſtus pro ſe & Petro ſolvit ſtaterem quatuor drachmis conſtantem, ut declaravit Hieronymus. Sic Heſychii ſententia oppugnatur. Quin Xenophontis teſtimonium deficit: illud enim in loco citato fruſtra quæſivi. quare illius auctoritas ad declarandum ſiclos Perſis innotuiſſe dumtaxat valebit, & inſuper præbebit occaſionem has diſcrepantes circa illorum valorem ſententias conciliandi. Quidam exiſtimaverunt facillimam eſſe illam conciliationem, & diverſitatem, quæ inter LXX Græcos Interpretes & cæteros auctores occurrit, ortam eſſe dumtaxat ex varia numeros deſignandi ratione, ſiquidem aliquando propriis ſuis nominibus, alias literis numeralibus deſignantur: atque exiſtimaverunt hoc ultimo numeros ſignificandi modo uſos eſſe LXX Interpretes, ita ut pro ſiclo reddiderint δ. δραχμάς. i.e. *quatuor drachmas*; exſcriptores vero imperite ex puncto feciſſe *jota*, & legiſſe δίδραχμα. Non caret hæc ſolutio acumine; ſed acumen illud caret veriſimilitudine, quia talis error potuit ſemel occurrere, non vero toties, quoties ſiclorum in ſacra ſcriptura fit mentio; ſuffeciſſet autem ſemel patuiſſe errorem, ut omnino amandaretur. Quis autem credat eum omnia ejuſdem exemplaris loca occupaviſſe, immo innumera etiam alia exemplaria, ita ut ne unum ſaltem inventum ſit ad lectionem diverſam conſtituendam, ut fieri ſolet in vocibus irreptitiis? Præterea non in ſola LXX Græcorum Interpretum verſione didrachma, & duæ drachmæ ſiclis reſpondent, ſed hujus ſententiæ non obſcura alibi etiam occurrunt veſtigia. Sic apud ipſum Joſephum Antiq. lib. 13. cap. 5. legimus, quod Demetrius Seleuci filius regnum Syriæ adeptus inter alias Jonathæ Pontifici & Judæis ejus imperio ſubjectis ſponte remiſit τὰς μυρίας δραχμὰς, ἃς ἐλάμβανον ἐκ τοῦ ἱεροῦ οἱ βασιλεῖς, *decem millia drachmarum, quæ ex templo accipiebant reges* priores. & optime *ex templo*, quia ſicli ejus uſui conſecrabantur. Jamvero 1. Macch. 10-40. ubi eadem illa liberalitas deſcribitur, pro illis decem millibus drachmarum habemus πεντακιχιλίους σίκλους, *quinque millia ſiclorum*, & conſequenter ſinguli duabus æſtimantur drachmis, & δίδραχμοι habentur. Sic S. Epiphanius de Pond. & menſur. ſcribit: Ὁ δὲ στατὴρ ἥμισυ μὲν τῆς οὐγγίας ἔχων δὲ δίδραγμα (lege δύο δίδραγμα, ut ſequentia arguunt, & ex δύο, δὲ facile factum) σίκλος, ὃ λέγεται κοδράντης, τέταρτον μέν ἐστι τῆς οὐγγίας, ἥμισυ δὲ τοῦ στατῆρος, δύο δρα-

δραγμὰς ἔχων. τῆς γὰρ οὐγγίας αἱ δραγμη. Stater, dimidium unciæ, quatuor drachmas continet: ſiclus, qui etiam dicitur quadrans, quarta pars unciæ eſt, dimidia vero ſtateris, continens duas drachmas. unciæ enim VIII. *drachmæ ſunt.* Quamobrem ad aliam ſolutionem alii confugiunt, atque obſervant in S. Scriptura nonnunquam *ſancti* ſicli fieri mentionem, & inde inferunt duplicem ſiclum fuiſſe inter Ebræos, unum civilem & prophanum duabus conſtantem drachmis; alterum vero ſacrum duplo majorem, qui quatuor drachmas continebat, & ſtateri æqualis erat. Hac diſtinctione amandari omnes difficultates plurimi arbitrantur. At falluntur: nam Exod. 30-13. ubi imperatur tributum dimidii ſicli, expreſſe legitur מַחֲצִית הַשֶּׁקֶל בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ, *dimidium ſicli, in ſiclo ſanctuarii*; ibidem autem LXX Interpretes reddunt *τὸ δίδραχμα*, vel ſecundum alia exemplaria *τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον*, *duas drachmas ſacras*; & conſequenter ſiclo ſacro duas drachmas dumtaxat tribuerunt. Ne quis autem has drachmas etiam duplices faciat, additur ibid. עֶשְׂרִים גֵּרָה הַשֶּׁקֶל, *viginti obolorum eſt ſiclus*, nempe ſacer, ut patuit. Non poſſunt autem hi oboli amplius dividi, quia גֵּרָה, *obolus*, dicitur a גַּרְגְּרִים, *granis*, minimis viginti, vel a גָּרַר, *diſſecuit*, quod ſit ſegmentum ulterius ſectionis incapax. unde Donatus in Andr. Terent. act. 2. ſcen. 3. verſ. 32. *minutos dixit, & pretium obolo eſſe emptos, quæ eſt ultima nummorum ſignificatio*: unde Fannius, qui Lucani præceptor exiſtimatur, in erudito Carmine de ponderib. & menſuris ſcribit: *Nam nihil his* (Græcis) *obolove minus, majusve talento.* Quin Ezechiel. 44-11. ubi de menſuris ad civilia commercia deſtinatis agitur, eadem ſicli definitio habetur הַשֶּׁקֶל עֶשְׂרִים גֵּרָה, *ſiclus eſt viginti obolorum.* Verum abſque argumentis locus ex Levit. 27-3. ſufficere debuit, cum ibi agatur de pluribus animarum redemtionibus faciendis ſiclis ſanctuarii; LXX autem pro illis ſiclis ſanctuarii *δίδραχμα* reddunt. *διδράχμοις* igitur non ſunt intelligendi ſicli ſacris minores, cum minimis duæ drachmæ aſſignentur. Denique cum conſtat ex S. Matth. 17-27. ſtaterem duo *δίδραχμα* æquaſſe, & duos valuiſſe ſemiſiclos pro Chriſto & apoſtolo Petro ſolvendos, ſponte ſequitur, ſiclum quatuor drachmis æſtimandum, & æqualem ſtateri, qui apud Heſychium dicitur *πετράγραμμος* ob tres literas, aut notas IV drachmarum indices; niſi, ut quibuſdam viris doctiſſimis placuit, *πετράδραχμος* adhuc expreſſius legi debeat. Quidquid ſit, ſtater pro ſiclo paſſim uſurpatur, ut 2. Reg. 7-1. Eliſæus, ut ſubitam & miraculoſam Samariæ fame laborantis liberationem evidenter prædiceret, dicit: *Cras*

ſatum ſimile בְּשֶׁקֶל, *pro ſiclo, & duo ſata hordeorum* בְּשֶׁקֶל, *pro ſiclo.* Vulgata Latina reddit: *Cras modius ſimilis uno ſtatere erit, & duo modii hordei ſtatere uno.* Syrus etiam & Arabs. hic enim habet ذاستار; ille ܒܐܣܛܝܪܐ, ſive בְּאִסְתֵּירָא, quæ voces manifeſte ex ſtatere deformatæ ſunt, licet Rabini diverſum in Thalmude iis aſſignent pretium.

Verumenimvero ſi ſicli omnes Ebræorum fuerunt æqualis valoris, cur ſacri ſit mentio? Sponte ſeſe offert reſponſio, legitimos requiſivit Deus, & tales ſunt ſacri, quia legibus & ſtatutis a Deo præſcriptis conformes erant. Unde gentes diis ſuis pondera & menſuras conſecrabant, ut inviolabiles haberentur, & violatores ſacrilegi æſtimarentur. quod Fannius Palæmo teſtatur ingenioſo poemate, quo priſcam menſurarum rationem Claudii & Neronis temporibus graphice expoſuit. ſic ille de pede ad amphoram conficiendam:

Pes longo ſpatio, latoque notetur in anglo,
Angulus ut par ſit, quem claudit linea triplex.
Quatuor ex quadris medium cingatur inane,
Amphora ſit cubus, quam ne violare liceret
Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites.

Principes Chriſtiani pondera & menſuras ad religionem pertinere etiam judicaverunt, & lege juſſit Juſtinianus Imperator in eccleſiis ſedulo aſſervari, variique ejus exemplo reges. Quin ipſi antea præiverat Conſtantinus Magnus, qui cubitum, quo ſolebant Ægyptii incrementum Nili metiri, quemque aſſervabant in fano Serapidis, ab illo in eccleſiam Chriſtianorum transferendum curavit, ut vera loci religione tutior haberetur, quemadmodum refert Socrates Hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. 18. Idem teſtatur Sozomenus lib. 5. c. 3. ſed addit Julianum imperatoria dignitate potitum ſategiſſe, ut Serapidi reſtitueretur: verum tandem Serapide cum templo ſuo in cineres redacto eccleſiæ redditum refert Rufinus lib. 2. cap. 30. Neque mirum, cum cunctis præiverit David qui 1. Chron. 23—28. Levitarum curæ depoſuerit, ut expreſſum Dei mandatum Levit. 19—35. religioſe de iis obſervaretur. Ita civiles menſuræ ſacræ fuerunt, ſacra etiam omnia pondera, & ſacri inprimis nummi, qui cæterarum rerum pretium & norma fuerunt, quamvis ſanctuario non eſſent peculiariter conſecrati. Imo omnia ſacra eſſe de-

buerunt inter Judæos, quorum regimen erat Theocratia; neque convenire potuit, ut alia essent pondera, aut diversæ mensuræ in civilibus religiosisque rebus, cum utrisque ex æquo præsideret Deus.

Itaque falsa hac sicli civilis a sacro distinctione non possunt sicli Persici, quoad valorem, cum Israeliticis conciliari; at nihil impedit quominus Persæ mutuati nummorum ab Israelitis exemplum nomen dumtaxat retinuerint, & ad valorem minime respexerint. Præterea potuerunt primo videre semisiclos, eorumque imitationi incumbere; usus autem noster docet eadem nomina nummis integris, & dimidiatis, imo eorum quadrantibus passim tribui. nam ducatonibus solvisse probe dicitur, qui dimidiatos tantum præstitit. Galli *Ludovicos* æque vocant argenteos ac aureos, & dimidiatos ac integros. Neque mirum si a minimis nummis inceperunt Persæ, qui auro non abundabant initio ut Israelitæ, quos navigationes in Ophir adeo ditaverunt, ut tempore Salomonis tota Judæa auro repleta contemneret argentum, & lapidibus obviis non præferret, 1. Reg. 10—27.

Septuaginta etiam Interpretes hac ratione cum Josepho & sequacibus conciliari non possunt: eosdem enim siclos illi duabus dumtaxat drachmis æstimant, hi quatuor, ut demonstratum. Quamobrem existimandum est drachmas diversi valoris præ oculis habuisse. nempe LXX Græci Interpretes suam versionem adornaverunt in Ægypto, atque in gratiam Regis Ægyptiorum: nummos igitur Ægyptiacos considerare debuerunt, eosque ad suos siclos explicandos adhibere, ut ab Ægyptiis intelligerentur. Jam constat monetam Ægyptiacam duplo pretiosiorem Græca. unde Sextus Pompejus in voce *Talentum* : *Talentorum non unum genus; Atticum est sex millium denarium.... Alexandrinum duodecim millium denarium.* sic enim patet Alexandrinum talentum media sui parte superasse Atticum, & inde colligendum eamdem proportionem inter drachmas Alexandrinas & Atticas esse observandam, quia talentum non fuit singularis nummus, sed certa pecuniæ summa. Quamobrem quoniam constat ex Polluce in Vocabulario lib. 9. sect. 8. quod ἠδύνατο τοῦ χρυσίου τὸ τάλαντον τρεῖς χρυσοῦς Ἀττικούς, τὸ δὲ τοῦ ἀργυρείου ἑξήκοντα μνᾶς Ἀττικάς. & paulo post: ἡ Ἀττικὴ μνᾶ ἔχει δραχμὰς ἑκατόν. *Talentum auri æstimabatur tribus aureis Atticis, argenti vero talentum sexaginta minas Atticas.... mina vero centum drachmas*; constare debet, Alexandrinum similiter totidem minis drachmisque constasse, quæ du-

plo majores Atticis erant, ut æqua proportio servaretur cum eadem numerandi ratione, neque talentum in plures partes divideretur, ut optime observavit Petavius ad Epiphanium de Pond. & mens.

Tandem a diverticulo in propositam viam redire convenit, propterea que ex observationibus factis colligo, sicli nomen ab Israelitis ad Persas cum aliqua sui valoris proportione pervenisse, & videri nummum illum primæ monetæ ab ipsis cusæ exemplum. Liceret addere ad remotissimas gentes idem exemplum similiter delatum admodum esse verisimile, cum respublica Ebræorum divinitus instituta, & omnibus ad vitam commodis sapienter instructa cæteras omnium gentium anteverterit. Quis enim manifesta in *scelinis* Belgicis & Anglicis, *siclorum* non animadvertit vestigia? Verum sufficit in remotissimum Orientem siclos Israeliticos penetrasse, ut cuivis pateat libenter admissos fuisse ab advenis Cuthæis; qui inter Israelitarum iis nummis assuetorum reliquias degebant, & Judæos habebant vicinos qui aliis non utebantur, ita ut ab omni commercio ipsis abstinendum fuisset, si illos rejecissent. Extrema igitur necessitate adacti, nisi sponte, & rationabili eximiis Israelitarum institutis morem gerendi proposito persuasi, nummos Israeliticis cudere debuerunt similes, exceptis saltem literis, quas mutare in suas conveniebat, ut illas legere possent, suum etiam in regem obsequium testarentur, atque proprios nummos a Judaicis discriminarent.

Verum has omnes observationes frustra fieri autumabit aliquis erosis extritisque siclorum vetustissimorum characteribus obcæcatus, clamabitque antiquiores Josia & ipso Cuthæorum in Samariam adventu, imo Salomone & Davide; extare etiamnum siclos scriptura, quam volumus a Cuthæis in Samariam primo delatam, exaratos; atque propterea omnem innumeris illis siclis denegandam fidem, aut ingenue agnoscendum hanc scripturam a prima antiquitate inter Israelitas usurpatam fuisse. Hoc argumento attoniti, & quasi obruti plurimi magni nominis Viri existimaverunt duplices characteres & literas in usu olim fuisse inter Israelitas, hodiernos nempe Ebræos, qui sacri erant, & Samaritanos commerciis prophanis addictos. Unde non mirum est, si in siclis rebus emundis vendundisque destinatis conspiciantur. Sane plurimis gentibus duo similiter literarum genera passim tribuuntur: ad me quod attinet nollem inficiari statim a prima Israeliticæ gentis origine revera

cum

cum Ebraicis literis Chaldaicas in Abrahami domo obtinuisse. noverat enim linguam Chaldaicam, utpote in Chaldæa natus, & educatus, quod tunc facillimum fuit: in paucis enim, & lingua, & literæ Chaldaicæ, ab Ebraicis differebant. Sed procedente tempore discrimen crevit, & Ebræi a Chaldæa remoti, paternis lingua & literis contenti fuerunt. Sic post eversum Israelitarum regnum, & Cuthæos in eorum sedes vacuas translatos, diversæ literæ & linguæ in Israelitica regione demum esse inceperunt; quia Cuthæi suas conservaverunt, & superstites Israelitæ proprias etiam illico deserere non potuerunt. atque quamdiu prævaluerint Cuthæi, literæ eorum potuerunt publicis nummis inscribi, & in contractibus etiam civilibus. Verum Israelitæ inter se Ebraica lingua diu usi fuerunt, & suas etiam literas adhibere potuerunt in nummis propriis si aliquos habuerunt, & in rebus divinis codicibusque ad describendam legem destinatis. Per me tamen licet utantur suo commento minime improbabili illustres Viri, cum similiter tribui soleant variis gentibus duo characterum genera. At eo non indiget sententia mea, versimiliusque existimo Ebræos iisdem characteribus in rebus sacris & civilibus semper usos, cum politia eorum a religione esset indiscreta, & totum hujus populi regimen sacrum esset. unde θεοκρατία a Judæis teste Josepho contra Apionem solet nuncupari. Itaque his breviter constitutis petere, ut nummi adeo jactanter celebrati examini accurato subjiciantur, contentus ero, fretusque insuperabili veritatis luce spero sententiam innumeris argumentis antea assertam ab iis ne minimum quidem detrimentum accepturam.

Non immorabor in describendis siclis illis generales has inscriptiones Samaritanas habentibus *Siclus Israelis*, & *Jerusalem sancta*, cum urna mannæ, & virga Aaronis, aut pro urna thuribulo, adjectis quibusdam literis, quæ siclos integros, dimidios, eosque qui tertiam & quartam sicli partem dumtaxat valebant, a se invicem distinguebant, aut urbes annosve regum designabant, qui videri possunt apud Postellum in Alphabethis XII linguarum, ubi de Samaritano agit; Bezam ad Matt. 14-25. Villalpandum in Ezech. Waserum de Num. Ebr. & Biblia Londin. in Proleg. Atque abunde ipsis satisfit generalibus nostris responsionibus: ad eos igitur qui κειμήλια quædam habent, me restringo.

Primus, & omnium secundum adversariorum sententiam antiquissimus

mus nummus exhibetur a J. Bapt. Villalpando Apparatus urbis Hierosolymitanæ ac templi part. 2. de ponder. & numism. lib. 2. disput. 4. cap. 21. semisiclus ille est. Arbitratur autem illum in prima facie habere balsami radicem, cum his Sumaritanorum literis מול עת, *moul-gnet*. i. e. ipso interprete, *circumcisionis tempus*; in altera vero ejus facie visitur palma, literarum etiam nonnulla vestigia, quæ ad hanc vocem מעבו, *megnabo*. i. e. *crassitudo*, vel *pinguedo ejus*, figurandam deducere videntur. Jamvero Pradus nummi dominus, Villalpandus illius postea hæres, & alii plurimi ex luculentis illis symbolis & inscriptionibus divinando restitutis elicere satagunt, nummum a Josua cusum circa illud tempus, quo cœpit Chananitidem occupare, & intermissam circumcisionem revocavit in usum, prout refertur Jos. 5-2. Scilicet balsami palmæque frutices aut arbores convenientissima sunt Palæstinæ symbola teste Tacito Hist. lib. 5. cap. 6. Hinc palma sola in quibusdam Vespasiani nummis Judææ symbolum conspicitur cum hac inscriptione: *Judæa capta. S. C.* Sic in Nervæ etiam nonnullis nummis idem symbolum, cum hac inscriptione: *Fisci Judaici calumnia sublata. S. C.* Cum circumcisione imprimis haud exiguam habet affinitatem balsami frutex, cujus radix horrida & deformis quodam modo *præputii opprobrium*, ut cum scriptura loquar Jos. 5-9. refert; quodque observatione adhuc dignius, frutex ille horret ferrum, &, teste Plinio lib. 12. cap. 25. *inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis. ferro lædi vitalia odit. emoritur protinus. &c.* Tacito etiam, l. c. *Balsamum modica arbor. ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent venæ; fragmine lapidis, aut testa aperiuntur.* Sicque lapide fuerunt circumcisi, non ferro Israelitæ tempore Josuæ 5-2. Palma & adscripta ejus pinguedo Chananitidi æque perhibentur convenire, & consequenter hic nummus ad Josuam relatus ei coævas facit Samaritanas literas, quæ in eo conspiciuntur.

Alter ex Lælii Pasqualini gaza nummus æneus proxime ad illam antiquitatem accedere existimatur, quippe qui nonnulla Samuelis prophetæ nominis vestigia conservare videatur. In eo vero expressus apparet manipulus ex pluribus frumenti spicis, floribusque, ac fructibus compositus, quem circumstant vasa Romanorum urnis haud dissimilia, quorum dextrum majus vini videtur esse, & sinistrum minus olei. Inscriptio vero, maxima licet ex parte attrita, has quatuor literas satis expressas ostentat a parte sui dextra שמוא, quibus non aliud, inquiunt, indicari potest,

quam

quam Samuelis nomen, & parte ejusdem faciei sinistra tantum litera ב visitur, quæ tamen situ facile indicat literas hinc inde appositas usu consumptas defecisse, ex quo conjicitur נְבִיא scriptum fuisse, hoc est, *propheta*, ut bene hanc vocem interpretatus est Pradus; sensusque verborum erit ejusmodi, nummum a Samuele propheta percussum fuisse. Parte altera nummus urnam præfert ei similem, qua manna asservabatur, & ejus inscriptionis prior pars tres integras ac satis expressas habet literas has גאל, quæ vox significat *in libertatem asserere*. Sed litera, quæ præfigitur, quæque nec in nummis aliis nec in alphabethis reperitur, divinanda est, potius quam explicanda. Ego vero, inquit Villalpandus, non *aliam esse existimo quam* נ *figurativam passivæ vocis, atque adeo legendum censeo* נִגְאַלְתָּ לְצוֹם, *redemtus es a jejunio*: nempe hoc manna cælitus concesso, cum regente Samuele læta segete & uberrima vini oleique copia tunc abundarent. sic satis ingeniose viri illi docti & solertes ratiocinantur.

Tertius nummus integer siclus est, & ad tempora Davidis aut Salomonis solet referri. Habet autem ab una facie, ut siclorum maxima pars, urnam mannæ cum hac inscriptione שקל ישראל, *siclus Israelis*; ab altera virgam Aronis flores & amygdala simul emittentem, cum his verbis ירושלים הקדושה, *Jerusalem sancta.* Unde potest dumtaxat colligi, Israelitas adhuc unitos fuisse hujus sicli auctores, & unanimiter Hierosolymæ sanctitatem agnovisse; cumque hæ literę sint Samaritanæ, & ante adventum Samaritanorum, atque schisma Israelitarum in nummis publicis adhibeantur, in Israelitica republica fuisse publice usurpatas. Sed accedit novum argumentum ex duabus literis urnæ impositis; una ab omnibus creditur ש, sed de altera dubitatur. Masius qui talem vel eumdem nummum habuit, putavit esse מ, hisque duabus literis שלומה מלך, *Salomo rex*, ex ipsius sententia exhibetur, quod ejus tempestate percussus fuerit, in c. 7. Jos. Contra alii contendunt ד esse, atque Davidem regem designari, quibus etiam nonnulli Judæi astipulantur legendo שקל דוד, *siclus Davidis.* At reclamat Villalpandus, qui similem etiam siclum habuit, neque ferre potest, ut in exiguo nummo bis siclus inscribatur; probabiliusque judicat duas illas literas repræsentasse nomen divinum שדי, cum in alio nummo & eodem loco א nominis ארוני symbolum conspiciatur.

Quartus & ultimus alicujus momenti ad propositum nummus,

qui quadrans ſicli ſecundum Villapandum exiſtimatur, amuletum vero ſecundum Joannem Morinum, unde foramen habuit, quo appenderetur collo, ab una parte exhibet guttum ſive vas affabre factum, cum ramo frondibus lauri aut oleæ conſpicuo, quo virgam Aronis deſignari putant. Sed dubitare licet, cum incurvetur in ramorum ſpeciem, neque referat virgam rectam. Circum autem has literas agnoſci teſtantur לחרות ירושל ס; deſignatum autem foramen poſtremam literam occupavit, quam ם eſſe ſuſpicantur, quia præcedentes videntur illam requirere, ad legendum לחרות ירושלם, *ad ſcripturam Jeruſalem.* In altero autem latere conſpicitur torquis unionibus & gemmis pretioſiſſimis conſpicuus, hæc circumdans verba, שמן עת, *unctionis tempus*, & ad illam unctionem guttus ipſe cenſetur referendus. Quamobrem non dubitant nummum ob ſolemnem cujuſdam regis inaugurationem cuſum fuiſſe. Cum autem neque nomen ipſius, neque tempus ullo modo notentur, ingenioſo commento Villalpandus horum poſtremorum verborum valorem arithmeticum ſedulo obſervavit, & quia conficere 860 animadvertit, ſtatuit ad unctionem Joſiæ regis referri debere, quia facta eſt anno ab exitu Ægypti 860.

Supervacaneum eſſet igitur cætera numiſmata referre, quæ literis Samaritanis inſcripta Hieroſolymam ſanctam declarant, & ſicli Iſraelis nuncupantur abſque ullo temporis indicio; cum talia inveniri ultro fateamur, & arbitremur ſæpius cudi debuiſſe a piis Iſraelitarum reliquiis inter Cuthæos degentibus, & populum cum iis Samaritanum ſimul conſtituentibus. Quales fuerunt illi, qui fraternum animum erga Judæos & avitam religionem tempore Nehemiæ adhuc conſervantes, ipſum concivium inſidiarum admonent Nehem. 4-12. quique in latibulis occulti a rapacitate Chaldæorum dicuntur, ut crura aut auriculæ ovis ab imimani leone diſcerptæ, erepti Amos 3-12. Hi enim literis Samaritanis dominorum ſuorum aſſuefacti potuerunt cudere ſiclos in redemtionem animarum ſuarum ſanctuario quandiu ſubſtitit ſolvendos, iiſque literis eos inſcribere, ut ſupra obſervatum: & repetimus ad ſolvendam objectionem quam ſuppeditat Miſna titulo Scikelim cap. 1. his verbis: הנכרי והכותי ששקלו אין מקבלין מידן *Exterus & Cuthæus qui ſiclum ſolverent, non admittunt ex eorum manibus.* Sponte autem ſe ſe offert ſolutio: nam Cuthæi illi non erant, ſed Iſraelitæ Cuthæis permixti. Præterea ipſi Cuthæi admiſſi fuiſſent ad ſolutionem ſiclorum, ut ad-

admissa fuerunt tot talenta a Persicis regibus dono data: sed volebant Judæi hæc dona & victimas etiam debuisse a gentibus offerri sponte dumtaxat, non vero ut debita a lege imperata, quia judicaverunt legem uni Israeliticæ genti impositam, & solos Israelitas ad ejus observationem adstringi; & idcirco non potuisse admitti gentes, aut Cuthæos ad solutionem sicli solis Israelitis imperati, quod existimaverunt tributum ratione fœderis cum iis icti debitum. Neque sacrificia ad purificationem puerperæ requisita ab iisdem admittebant; sed quasvis victimas legitime oblatas a quibusvis gentibus accipiebant, & ut spontanea dona in usum templi vel sacrificiorum admittebant. Hinc immolasse dicitur apud Josephum Alexander Magnus, & plurimi Imperatoris Romani, & Julia Augusta etiam templum ornasse aureis calicibus & pretiosissimis aliis muneribus ab eodem perhibetur; cur non similiter Cuthæis licuit siclos in templi & urbis sacræ decus cusos offerre? Quin ad sacrificia proprie dicta offerenda tenebantur proselyti justitiæ, & nulla lex prohibuit ex Cuthæis admitti eos, qui sincere legis jugum in se suscipiebant; & supra vidimus a duobus Babylone missis Samaritas edoctos, donatos etiam lege propriis literis scripta, atque circumcisos. Verum quidem est, ibidem ob impeditam templi constructionem legimus excommucatos: saltem ante illam excommunicationem nihil eos a religione Judaica excludere potuit, & post eam sincera conversione, quæ nova generatio habebatur, illius excommunicationis obex potuit averti. Ii autem potuerunt post suam admissionem siclos literis suis inscriptos cudere in templi Hierosolymitani honorem. At objici potest supremorum dominorum esse dicitur monetam cudere, non privatorum. Respondebitur autem, id quidem obtinuisse a multis seculis; verum a primis seculis morem illum obtinuisse, nemo, ut opinor, affirmaverit, ne quidem semper obsignatam fuisse pecuniam. Sane ferunt hodie etiam nummos aureos apud Chinenses non signari ullis figuris aut characteribus publicis, sed pondus dumtaxat adnotatum habere, unde possunt pro necessitate commercii dividi. Quin privatis symbolis literisque potuisse signari quis inficiabatur, quando totum illius pretium non a notis impressis, sed a qualitate & pondere metalli penderet, & innumera numismata familiarum privatarum signata habeamus nominibus cum symbolis convenientibus? Sic in gente Furia Crassipedem *pes* nummis inscriptus, & in Lucretia *triones* arctici septemtriones designaverunt: imo in nummis sunt nonnulla nomina

etiam, quorum nulla alibi mentio, ut pridem observaverunt antiquarii. Sane Plinius lib. 33. cap. 3. refert, Romanos ne argento quidem signato usos fuisse ante Pyrrhum regem devictum; Pyrrhus autem circa annum Urbis conditæ quadringentesimum & octogesimum tandem superatus est, ex Italiaque non rediturus abiit. hanc autem cladem in medio reditus e captivitate Babylonica & regni Macchabaici interstitio contigisse constat, ita ut vix antiquiorem pecuniæ ad publica commercia literis Samaritanis signatæ usum liceat existimare. Sane non aliter cæteræ gentes: unde monetam signatam Græci ἐπίσημον vocant, aliam quæ præcessit ἄσημον, & Chaldæi hanc סומא, *cacam*. *infectam* liceret etiam dicere, ut Virgilius:

—— *Sunt auri pondera facti*
Infectique mihi.

Sed hic *infectum* vocat aurum nondum elaboratum, & ad ullum usum adhibitum. vide Servium. At antiquior fuerit, & cum Chaldæorum imperio cœperit, & in Samariam cum Cuthæis Babylonicis pervenerit pecuniæ literis Samaritanis signatæ usus; quodque præcipuum est, non licuerit Israelitis inter Cuthæos permixtis in honorem religionis avitæ nummos Samaritanis literis habere, quid impedit quo minus credamus regios ipsos Chaldæorum præfectos, qui Samariam Judæamque eorum nomine regebant, & cudendorum nummorum summam habuerunt auctoritatem, potuisse in iis præstantiora debellatarum harum gentium monumenta insculpere, eaque suis Samaritanis literis explicare, ut præfecturæ decus & reportatæ victoriæ gloria ad seram longinquarum etiam gentium memoriam perveniret? Sic Hierosolymam solito sanctis elogio ornarunt, & a generali gentis nomine *siclos Israelis* convenienter nuncupaverunt. Nemo sane nisi plane hospes & peregrinus in numismatum republica potest ignorare, insignia gentium & regionum in nummis earum notari consuevisse. Ephesii suum habuerunt templum, Rhodii colossum solis & rosas, quidam Africani familiarem regioni eorum elephantem, alii pontes constructos, aras celebres, asyla etiam & imagines deorum, quos redamabant; ut sua symbola viri principes. habuit enim cupidinem Alcibiades, Jovem Commodus, Herculem Decius, & alii alia superstitionis propriæ figmenta. Non igitur mirum, si Israeliticæ regionis subjugatæ præsides Hierosolymitanum templum sacraque Israelitica in nummis exhibuerunt, & in iis maxime, qui tributi nomine pendebantur, quandoquidem secundum morem inter alias gentes

re-

receptum, illustria pristinæ victoriæ monumenta, & præsentis subjectionis certa indicia fuerunt, aut grata acceptorum beneficiorum monumenta, ut apud Ovidium fast. 1.

—— Posteritas puppim signavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

nempe Jani multiplicium donorum auctoris. Jerusalem autem merito in suis siclis nuncupatur singulari elogio *sancta*, ut Roma in suis nummis *invicta*, & in nummis Augusti condita in memoriam victoriæ ex Antonio reportatæ Nicopolis IEPA. &c. Verumenimvero post instauratam jussu Cyri & postea Darii Hierosolymam, & sacrum Judæorum cultum restitutum longe adhuc æquius, & *Jerusalem sancta*, & rediviva *Aronis virga*, atque *urna manna*, & similia insignia literis Samaritanis in Judæa a Cuthæis usurpari solitis explicata in nummis conspici potuerunt; principes quippe illi, & urbis, & religionis, & gentis restauratores haberi optaverunt, atque amplissima a supremo numine sacrificiorum opera & cætero Judæorum cultu beneficia obtinere sategerunt. Quamobrem non potuerunt eorum præfecti non signare illam principum suorum pietatem in nummis suis, & inscribere more solito; sed literis immutatis, quia novas literas introduxerant, & novæ illæ literæ utiliores erant ad imperatoriæ pietatis celebritatem, & ad introducendos in vicinas imperii provincias illos nummos, quam Judaicæ quæ solis Judæis cognitæ erant. Etsi autem statim a captivitate Judaica tribus supra cæteras aliarum tribuum reliquias emicuerit & nomine suo illas comprehendere cœperit; attamen Persici præfecti, qui noverant superstites remansisse plurimos ex cæteris tribubus, quæ regnum Israeliticum constituebant, ortos non immerito illos nummos a generali & antiquo nomine vocarunt *siclos Israelis*; ita ut Judaici dici demum cœperint; & tota gens Judaica etiam constanter fuerit dicta, cum Judæi proceres parta libertate, & constituta republica, excussoque gentium jugo, secundum patrias leges absolute regnaverunt.

Itaque nullus dubito, quin ad medium ævum sicli plurimi literis Samaritanis inscripti pertineant, & literis Judaicis inscripti vel antiquissimi sint & antecedant captivitatem Babilonicam, vel recentiores sint atque ad Macchabæorum tempora plurimum referri debeant: licet postea quidam etiam cusi fuerint literis Samaritanis ob privatam rationem, ut tres illi Clarif. Toinardi, de quibus scripsisse dicitur Jesuita Hardui-

duinus. Literæ, inquam, Ebraicæ videntur pristinum locum recuperasse tempore Simeonis, cui rex Antiochus Demetrii filius suis literis jus *concessit cudendi monetam proprio cuneo, & sanctam Hierosolymam celebrare*, 1. Macch. 15—8. imo ipse sponte jam jugum nationum excusserat, cap. 13-41. His conjecturis suffragatur, quod apud Villalpandum Appar. urb. & temp. part. 2. l. 2. disp. 4. cap. 21. testatur R. Moyses Elseecher in suis resp. num. 74. se vidisse literis Samaritanis inscripta numismata anno tali consolationis Israel, & in quibusdam vidisse formam palmæ. &c. additque, *Opinor quod sint insculpta tempore servitutis Ebræorum sub imperatoribus Græcis.* Licet & Nehemias & Esdras atque Zorobabel regia auctoritate muniti quosdam etiam literis Judaicis cudere potuerint in privatum gentis usum, & ad conservandam inter suos Judæos, qui suas literas sedulo conservaverant, rerum gestarum memoriam. Toto siquidem cælo errarent, qui arbitrarentur omnia numismata ad pretium rebus emendis constituendum fuisse usurpata. Plurima enim cudi solebant, ut monumenta essent libertatis recuperatæ, novæ dignitatis acceptæ, aut alicujus societatis initæ, & victoriæ partæ; imo in principis novi gratiam, sive uxorem duceret, sive liberos susciperet, sive quasdam concederet immunitates. Quin ab ipsis principibus cusa fuerunt, & in promiscuam plebem projecta post triumphos, ob celebres victorias de hostibus reportatas; ut a privatis etiam inter amicos sæpius distributa fuerunt ob successus felices & exoptatos, & consequenter nulla documenta certa aut firma ex nummis, qui literis Samaritanis inscribuntur, haberi possunt, nisi temporis mentionem aliquam faciant, & ad diversa secula uniuscujusque arbitrio illos licet referre.

Nunc convenit his observatis ad examen numismatum, quæ expressum quidem tempus non habent, at indicia notasque nonnullas exhibent, quibus nonnullæ certorum temporum circumstantiæ videntur repræsentari, nos accingere.

Primus semisiclus, qui Villalpando & aliis sat manifeste innuere videtur *percussum hunc nummum fuisse eo tempore, quo circumcisus fuit totus populus, non quidem primum, sed secundum, sub ingressum Palæstinæ*, ut verbis utar Villalpandi Apparatus urbis ac templi part. 2. lib. 2. disput. 4. capit. 27. At æneus est, quis autem credat tamdiu conservari potuisse: æs enim non adeo durabile, ac argentum & aurum, qui suo pretio etiam sedulius merentur conservari. Præterea ejus inscriptionem

nem diversimode retulit, & doctiss. Hottingerus, qui similem habuit & studiose consideravit, in prima parte pro מול עת legit שמעין, *sincerum*, & in altera parte שקל ירוש הקרושה, *siclus Hierosolymæ sanctæ*, quasi sicli essent ænei, & siclus dimidius absolute siclus diceretur. Quidquid sit, ad Simeonem Hasmonæum refert, & dubia ejus inscriptione nullam fidem mereri patet. Præterea ipsemet Villalpandus diversum de illo tulit judicium, & nihil tale paulo antea ipsius oculis innuebat semisiclus ille; nam tom. 2. in cap. 27. Ezechiel. scripserat literis detritis colligi in una parte שֶׁקֶל, *siclus*, & in altera חֲצִית, *dimidius*. Nunc opus est circumcisione: illam vident in illis detritis literis ejus oculi, ut in nubibus, cum disquiruntur, varia animalium genera videntur apparere, aut ex campanis quævis voces audiuntur. Sane non solidiori fundamento quam præcedentia verba innituntur, מוּל עֵת, *circumcisionis tempus*, & מְעֻבּוֹ, *crassitudo ejus*, quæ nunc exhibentur; nam hæc posterior inscriptio cum priori nullam habet affinitatem, vixque unam aut alteram habere literam communem ex collatione perhibetur. Unde licet colligere plurima alia vocabula æquo jure potuisse fingi, & idcirco in his firmum statui non debere judicium: temerarium autem esset diversas absque nummi inspectione facere conjecturas. Sed nemo potest prohibere, quin æstimetur ineptus hic nummus ad probandum Josuæ tempore in restitutæ circumcisionis memoriam fabricatum fuisse, cum inscriptio divinando dumtaxat possit assequi, & Villalpandi divinatio probari non debeat. מוּל, *moul*, enim minime *circumcisio* dicitur Ebræis, sed מִילָה, *mila*: מוּל autem est *sectus & circumcisus*. עֵת vero obscurius adhuc designatur, siquidem in edita figura ne minimum quidem postremæ literæ apparet vestigium, sed *pe* native describitur. Attamen quamvis omnes suppositiones concederentur, ne tunc quidem propositum obtinerent adversarii. Waltonus enim inter omnes celeberrimus illis accurate expensis hoc fert judicium: *Conjecturæ hæ mihi longe petitæ videntur*, de siclor. figuris, & inscriptionib. in apparatu ad Polyglotta biblia Londinensia. Ut tamen manifestius hæ conjecturæ leviores adhuc judicentur, observabo sat congruum prodire sensum, si, ut editæ literæ petunt, pro ת legamus ף hoc modo מוּל עֵף, *cæsus duplicatur*. Scilicet in nummo pretiosus ille balsami frutex ad radicem usque divisus repræsentatur, & ex illa ipsa divisione visitur ramus etiam bifidus erumpens. Nihil autem excogitari potuit aptius ad significandam Judææ fertilitatem. *Omnibus* enim, inquit Plinius lib. 12.

cap.

cap. 25. *odoribus præfertur balſamum uni terræ Judææ conceſſum.* Addit poſtea in triumpho Pompeji de Judæa propterea deductum; nempe celeberrimæ illius regionis præſtantiſſimum ſymbolum, quod ob eamdem rationem in nummis ejus meruit conſpici, ſicut etiam qui balſamum in munere Jacobi adfuiſſe volunt & per צֳרִי intelligunt, quod nomen affine eſt τῷ צִר cultro, quo educitur balſamum. Sed adverſantur interpretes: & diſcant præterea balſamum Judæam tempore Joſuæ nondum habuiſſe, & auctores tradere hanc plantam in eam regnante demum Salomone tranſlatam a regina Sabæ. ſic Joſephus Antiq. lib.9. cap.2. Λέγουσι γὰρ ὅτι καὶ τὴν ὀποβαλσάμου ῥίζαν, ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει, δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς ἔχομεν. *Dicunt etiam, quod balſami plantam, cujus hodieque ferax eſt noſtra regio, illius reginæ munificentiæ ferri acceptam oporteat. &c.* Sed quid hoc ad circumſionem: licet enim cæſio fiat in circumciſione & in balſami eductione, in multis tamen aliis operationibus etiam contingit. cæduntur enim hoſtes, & in hoc ſenſu uſurpari conſtat verbum מול Pſal. 90-6. & 118--10. 11. 12. Præterea punctim cædi debet balſamum, & leviter longiuſcula corticis apertura laxari; at circumcirca circumcidendi cæduntur, & adhibetur etiam פְּרִיעָה, *omnimoda denudatio*, quæ in balſamo eſſet pernicioſa. Sed *ferro lædi horret balſamum*, dicit Plinius, & lapide aut alio inſtrumento gaudet, ut circumciſio, quæ *cultris ſaxeis* peracta legitur Joſ. 5-2. Exigua hæc convenientia & inſuper minime certa eſt, ita-ut nequaquam valeat alias improbabilem nummi noſtri interpretationem ſuſtentare. nam mandatum Dei ad Joſuam ſic quidem exprimitur in verſione LXX Interp. πόιησον σεαυτῷ μαχαίρας πετρίνας ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, *fac. tibi gladios petrinos de petra acuta*, ſive ut manuſcriptum Alexand. Polygl. Londin. μαχαίρας ἐκ πέτρας, *cultros e petra*, quod verſu ſeq. repetitur. ſic Syrus interpres, qui habet ܣܦܣܪܐ ܕܛܪܢܐ *gladium ſiliceum*, & Arabs *ſaphſeraph datorno*, Vulgataque Latina reddens *cultros lapideos*. R. Moſes ben Maimon etiam mor. nevoc. part. 1. cap. 16. vult צור ibi ſignificare duriſſimum quendam lapidem. Quos patres Græci & Latini, ut Theodoretus, S. Cyprianus, S. Auguſtinus, & alii ſequuntur. Præterea in Exod. 4—25. ubi Sephora circumcidit filium ſuum, iidem LXX Interpretes volunt ad id accepiſſe illam ψῆφον, *calculum.* Aquila Judæus πέτραν, Arabs مروا, *ſilicem*;

ſilicem; Syrus iterum ܛܪܢܐ *ſilicem*; Vulgata *acutiſſimam petram*, Onkelos autem & Jonathan Paraphraſtæ Chaldæi טִינָרָא, *petram duriſſimam*: denique Perſicus سنگ, *ſilicem*. Addere licet R. Nechmanidem in bereſc. rab. ſect. 31. ubi præceptum Noacho divinitus datum meditatur, & obſervat ex Rabino Aiſio quater, ut hic, dici *fac*; ter autem explicari, & ſemel non explicari. 1. enim explicatur de arca facienda ex lignis *cedrinis* דְקַדְרִינוֹן. 2. Joſuæ *Fac tibi cultros*, explicatur, גַלְבִין דְטִינוֹר, *novaculas ſiliceas*. 3. Moſi *Fac duas buccinas*, & explicatur, addendo *argenteas*, Numer. 10-2. 4. denique Moſi de ſerpente fundendo dicitur Num. 21--8. *Fac tibi ſerpentem adurentem*, abſque ulla materiæ deſignatione; unde anxius Moſes aliquandiu hæſit, ſed tandem ſtatuit apud ſe, quod ſi ſerpentem illum faceret ex auro aut argento, non quadraret cum ſerpentis nomine. quare fecit ex ære, quia לָשׁוֹן נוֹפֵל עַל הַלָּשׁוֹן, *vocabulo coincidit vocabulum*: ſerpens enim dicitur נָחָשׁ, *nachas*, æs autem נְחֹשֶׁת, *nechoſcet*. Obiter obſervandum fuit acumen illud Judaicum ad occurrentium difficultatum ſolutionem, licet proſit tantum locus ille ad probandum Rabinos etiam probaſſe in circumciſione cultros lapideos. Neque immerito; antiquiſſimus enim eſt talium cultrorum uſus. ſic refert Herodotus in Thalia ſect. 8. Arabes, cum ferirent fœdera, habuiſſe interceſſorem, qui λίθῳ ὀξεῖ, *lapide acuto*, cæderet eorum manum juxta majores digitos, & excipiens parva veſtium parte ſanguinem lapidis ſeptem inungeret, Dionyſium & Uraniam invocando. & in Euterpe ſect. 86. ſcribit: *Ægyptii mortuorum ilia ſcindunt cultro lapideo Æthiopico*, λίθῳ Αἰθιοπικῷ ὀξεῖ, *ut condiant variis aromatibus, & arceant corruptionem*. & in Polhym. ſect. 69. enumerans gentes varias, quæ in exercitu Xerxis aderant dicit Æthiopes fuiſſe armatos prælongis ex arundine ſagittis, quibus pro ferro λίθος ὀξὺς ᾧ καὶ τὰς σφρηγῖδας γλύφουσι, *lapis acutus, quo etiam ſigilla ſculpant*. Utque pateat lapideos cultros ad ſecandum aptiſſimos, ipſis ferreis etiam præferre videtur Theocritus Idyl. 25. de pelle leonis ab Hercule ſuperati:

—— —— οὐκ ἔσκε σιδήρῳ
τμητὸν, οὐδὲ λίθῳ.

ferro non poterat ſcindi, neque lapide. &c. Hinc cultris lapideis evirati fuerunt Cybeles ſacerdotes, ut Atys qui

ſaxo corpus laniavit acuto.

— — Onus inguinis aufert,
Nullaque sunt subito signa relicta viri,

inquit Ovidius lib. 4. Fastor. sive ut Juvenalis Satyr. 6.

Rupta secuit genitalia testa.

Quod ut frequens & ordinarium evirationis instrumentum repræsentat Martialis lib. 3. epig. 80. in Bæticum, petendo,

Abscissa est quare Samia tibi mentula testa?

De Cybeles sacerdotibus id etiam testatur Plinius lib. 35. c. 12. *Samia testa matris Deum sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant, non aliter citra perniciem, si M. Cælio credamus. &c.* At Catullus de Berecynthia & Aty Ovidio suffragatur. scribit enim:

Devolvit ipse acuto sibi pondera silice.

utque mens ejus pateat, illico addit his ponderibus ejus virilitatem intelligendam:

Itaque ut relicta sensit sibi pondera sine viro.

Quodque imprimis hunc siliciorum cultrorum usum confirmat, constans eorum est ad difficiliores sectiones commoditas & aptitudo, quas plurimæ gentes in utroque orbe expertæ sunt, & etiamnum feliciter experiuntur. Sane Franciscus Lopes de Gomara in sua generali Indiarum Historia testatur novæ Hispaniæ incolas sibi conficere opera ignis novaculas saxeas, & passim iis uti, cap. 49. Martinus Martinius refert etiam in Sinæ provincia Quangtung inveniri lapidem, ex quo secures & cultros incolæ conficiunt. De Montagne en ses Essais l. 1. c. 31. addit novi orbis incolas novaculis lapideis ligneisve barbam sibi nitidius radere, quam nostris facimus. P. Bembo hist. Venet. lib. 6. narrat Columbum e Canariis insulis ad novum detegendum orbem profectum invenisse sex insulas, in quarum una utebantur acuto lapide ad lintres excavandos & domesticos usus, ipsumque aurum emolliendum: & Acosta de Ind. l. 5. cap. 20. dicit oblatas diis humanas victimas, sacerdotesque pectora earum cultro acutissimo & latissimo ex lapide aperuisse. Quamobrem fere omnes interpretes certatim volunt circumcisionem cultro lapideo a Judæis olim factam. Verum enim vero sit hoc firmum ratumque, an propterea balsamum circumcisionis, propter unius instrumenti convenientiam, symbolum adeo proprium erit, ut nullo alio indicio opus sit. Balsamum punctim cædi voluit, at cæsionem totalem requisivit circumcisio; hac opprobrium præputii impuri abla-

ablatum eſt, illa præſtantiſſimum unguentum. Præterea non ſolo lapide incidi potuit balſamum, ſed vitro etiam & oſſibus ad circumciſionem ineptis, & conſequenter non potuit balſamum ad circumciſionem deſignandam ſolum ſufficere. Sed addam inſuper non conſtare gladios lapideos ad circumciſionem antiquitus revera adhibitos, licet maxima interpretum pars id affirmet: unus enim alium in ſuam perduxit ſententiam, & hos duces ſequi amarunt poſteri abſque, ut plerumque fit, ſerio examine. Sat fuit patres comites habere, ut Juſtinum Martyrem dial. cum Tryphone Jud. Tertullianum adverſus Jud. c. 3. alioſque magno numero, qui etiam in cultro illo lapideo ingens myſterium agnoſcebant. ſic S. Ambroſius qui procemio in epiſt. ad Gal. ſcribit: *Circumciſi ſunt cultris de petra, quæ ſignificat Chriſtum. Quia petra, inquit Apoſtolus* (1. Cor. 10.) *erat Chriſtus, ut ſignificaretur per Chriſtum futuram circumciſionem cordis. &c.* S. Hieronymus epiſt. 20. in tom. 9. operum ejus extante, cum hoc titulo, *de vera circumciſione: Cultello, inquit, petrino corporis noſtri circumcidenda eſt natura: petra autem Chriſtus. &c.* S. Auguſtinus de peccat. orig. contra Pelagium & Cæleſtium lib. 2. cap. 31. *Petra erat Chriſtus, unde circumciſionis cultellus petrinus, & caro præputii, corpus peccati. &c.* & plurimi alii. Sane textus ſacer, unde hauſta dicitur illa ſententia minime illam propugnat. Ut enim a circumciſione, quam irata patravit Sephora, incipiamus, uſa dicitur צֹר, *tſor*, quod vocabulum *petram* quidem poteſt ſignificare; ſed ſi originem צוּר, *tſour, in anguſtum redigere*, conſideremus, patebit non quamvis petram, ſed præruptam, arduam, & in acumen proprie deſinentem notare, ad quam difficilis aditus, & conſequenter firmiſſima ſtatio. Inde autem æque poteſt deſignari gladius acutus & acie ſubtili pollens. Hinc pro ipſa gladii acie uſurpatur Pſal. 89-44. *obtundes* צוּר, *tſour, aciem gladii ejus.* Ebraica phraſis vim peculiarem habet, תָּשִׁיב צוּר חַרְבּוֹ, *redire retrorſum aciem gladii ejus facies:* nam frangi quidem poteſt acies gladii lapidei, at reflexionis eſt omnino incapax, & metallorum id proprium, quæ tenaciora ſunt, & cedendo ſuam cohærentiam adhuc non deſinunt conſervare. Etiam pro gladio acutiſſimo 2. Sam. 2—16. ubi duodecim milites a parte Isboſethi concurrunt, cum totidem qui a parte Davidis ſtabant, & omnes adeo viriliter agunt, ut unuſquiſque ſuum confoderit gladio adverſarium; quare ager dictus eſt חֶלְקַת הַצֻּרִים, *portio gladiorum*, quia omnes in prædam gladiis ceciderunt. Decepti igitur ambigua ſignifica-

ficatione fuerunt, qui in priori ſenſu acceperunt צר Sephoræ pro lapide; obvii enim lapides ad circumciſionem ſunt inepti, & veriſimilius eſt paratum habuiſſe cultrum ad varia opera ſemper neceſſarium; & utramque etiam habuiſſe ſignificationem טִינָרָא uſurpatum a Chaldæis interpretibus, colligimus ex eo quod Onkelos hoc utatur vocabulo Exod. 4-25. ad explicandum צר, & Jonathan Joſ. 5-2. adhibeat pro חַרְבוֹת צֻרִים has duas voces אִזְמְלִין חֲרִיפִין, quæ manifeſte deſignant *novaculas acutas*, & אִזְמֵל quidem a Græca voce σμίλη, *ſcalpro*, & חֲרִיפִין, reſpondens τῷ צֻרִים, *acutiſſimos cultros* ſignificat, & binas ancipitis gladii acies. Hinc R. Aben Ezra in Exod. 4-25. צרי דבר חד כמו חרבות צורים שהם חדים וכמוהו אף תשיב צור חרבו: *tſor res acuta, ut* (Joſ. 5—2.) *Gladios acutos fac. &c. & ſimiliter* (Pſ. 89-44.) *Obtundes aciem gladii ejus.* Adſtipulatur R. Salomo Jarchi in Joſ. 5-2. חַרְבוֹת צֻרִים בתרגומו אִיזמלין חריפין וכן אף תשיב צור חרבו כשהחריפות נהפך לצדדין ואינו חותך יפה: *Gladii tſourim, ut interpres Chaldæus expoſuit, ſunt novaculæ acutæ. Quemadmodum* (Pſal. 89-44.) *Obtundes aciem gladii ejus; quando ſcilicet acies fit obtuſa, & non ſecat optime. &c.* Ejus premit veſtigia R. D. Kimchi: laudat enim Chaldaici paraphraſtæ expoſitionem, & eumdem Pſalmi locum etiam citat, ſed ad majorem illuſtrationem addit: ונסמך המתואר אל התואר *conjungitur ſubſtantivum cum adjectivo ſuo*, ut ſcilicet ſignificentur *cultri acuti*; שם זולתי תאר ויהיה פ׳חרבות שיהיו להם חדודים *vel tſourim rationem adjectivi non habebit, & ſenſus erit: gladios quibus erunt acies.* Adhuc expreſſius R. Levi ben Gerſon: הרצון בו חרבות החדים והם הנעשים מנחשת אצי״יר בל״עז *Intelligendi ſunt gladii acuti, qui facti erant ex chalybe, Gallice acier.* Non ſoli Judæi nativum horum locorum ſenſum probe animadverterunt; Biblia enim Junii & Tremellii in utroque loco habent *cultros acutos*, Gallica noſtra *couſteaus trenchants*, Italica Diodati *coltelli taglianti*, a quibus ejuſdem Gallica non recedunt, licet in notis alterius ſignificationis mentionem faciat. Dubia & vacillantia videntur Anglicana: nam Exod. 4-25. habent *sharp ſtone, acutum lapidem*; Joſuæ 5-2. contra *sharp knives, acutum ſcalprum*: Belgica etiam in Exodo *een ſteenen* [*mes*], *lapidem unum* (aut *cultrum*) *lapideum*, apud Joſuam autem in textu *ſteenen meſſen*, *cultros lapideos*; at ad marginem, and. *ſcherpe meſſen*, vel *cultros acutos*. Sic torrente opinionis vulgaris quaſi abrepti interpretes illi rectum tramitem prudenter repetunt. Quin ipſi pontificii ne ſumma quidem authenticæ ſuæ Vulgatæ

au-

auctoritate etiam potuerunt retineri: Pagninus enim illam initio sequitur, similiter in Exodo, ac in Josua idem vocabulum per *acutum* explicat, quod ibi *petram* interpretatus fuerat, atque sic declarat tandem se in illa sententia, quæ pro *gladio acuto* illud habet, acquiescere. atque merito, cum utraque interpretatio intimam habeat affinitatem; culter enim a petra sive cote suam trahit aciem & acutus fit, utque causa pro effectu suo non raro usurpatur, sic cos pro cultro cotis opera acuto. Sane ex petris instrumenta ad secandum merito facta fuerunt, ubi deerant ferrum aut chalybs, ut æs naturæ defectum suppleret; at cum ferrei aut chalybei cultri suppeterent, quis credat operose elaboratas ad officium illorum præstandum petras? Quis credat instrumenta a sola necessitate inter barbaros aut superstitiosos introducta commodissimis & passim obviis fuisse anteposita? Præsertim cum audiamus instrumenta illa ut funesta ad circumcisionem puerulorum, qui ante diem octavum obeunt, hodie dumtaxat adhiberi a nonnullis. plurimi enim reclamant, & illam morticinam circumcisionem aversantur, suisque calumniose imponi jurant.

Nihilominus cultri illi lapidei ita visi sunt ad gloriam Josuæ pertinere, ut Græca versio LXX & Arabica ejus vestigiis insistens Josuæ 24-30. testentur in ejus tumulo atque cum ipso sepultas τὰς μαχαίρας τὰς πετρίνας ἐν αἷς περιέτεμε τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ ἐν Γαλγάλοις, ὅτε ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου. *cultros petrinos quibus circumcidit filios Israelis in Galgalis, cum eduxit eos ex Ægypto. &c.* Sed nullum hujus fabulæ vestigium in cæteris versionibus. Textus originarius, Chaldaica paraphrasis, & Syriaca translatio illam silentio suo damnant, & valet dumtaxat ad omnem horum petrinorum cultrorum memoriam penitus abolendam, cum soli falsitati innitatur.

Itaque ficulneo nituntur fundamento, qui primam circumcisionem ob cultros lapideos manifestissime volunt balsami planta designatam fuisse, & nummum illam exhibentem consequenter a Josua circumcisionis auctore fuisse cusum. Verum, etiamsi culter lapideus circumcisioni proprius fuisset, & propterea balsamo in numismate significaretur circumcisio, inde nondum sequeretur numisma Josuæ ævo percussum fuisse: nummis enim nondum indigebant Israelitæ. Numismata etiam plurima adhibita fuerunt ad revocandas in memoriam res præteritas, signaque innumera numismatibus impressa, quæ multis seculis numismata antecesserunt. Jovem

in nummo habuit Commodus, & Herculem Decius, an Jovi & Herculi fuerunt coævi illi imperatores? Sic Cupidinem in suis nummis socium habet Alcibiades longe junior. Quamvis igitur ipsum nomen circumcisionis gereret & ejus symbolum nummus, posset tamen ævo recentiori tribui, & significare novam circumcisionis restaurationem inter Samaritanos factam sive post reditum e captivitate, sive florenti Macchabæorum statu, quia Samaritani Judæorum fratres haberi satagebant, cum prosperitate gaudebant Judæi, seque a Josepho ejusque filiis ortos gloriabantur; at in afflictis eorum rebus hanc affinitatem negabant, seque Medos Persasque esse autumabant, ut testatur Josephus Antiquit. lib. 11. cap. 8. & lib. 12. c. 7. Debuerunt autem circumcidi, cum se Judæorum fratres autumarunt, & circumsionem abjicere, cum pro Medis & Persis haberi optaverunt. Præterea legimus lib. 13. cap. 17. Hyrcanum Idumæis imperasse circumcisionem, cum ipsos debellasset, edixisseque, ut hoc sacramentum a se neglectum restituerent in usum, nisi mallent e propriis sedibus pelli: cum autem capite sequenti similiter domuerit Samaritas, & funditus deleverit Samariam, potuit tunc ipsis eamdem conditionem proponere, cum circumcisio eis non minus conveniret, quod magna eorum pars a tribubus Israeliticis ortum duceret. Hinc ad hodiernum usque diem circumciduntur omnes Samaritani, etiam accuratius quam Judæi, qui circumcisionem nonnunquam ob puerorum morbum differunt; at Samaritani die octavo secundum expressum Dei mandatum semper illam administrant. Circumcisi autem ab initio non fuerunt, cum gentiles essent, & diu avitam idololatriam coluissent, etsi sacerdotes Israelitici & reliquiæ quædam Israelitarum suam servarent circumcisionem: admittere igitur illam debuerunt florentibus Judæorum rebus. Tunc igitur convenientius cudi potuit nummus, & pristinum restauratæ circumcisionis symbolum gerere. Denique eo ipso quod balsamum Judææ proprium judicetur, conveniens ipsi symbolum semper potuit illius nummis insculpi, ut *silphium* in Cyrenensium, *rosa* in Rhodiorum, *laurus* in Cretensium nummis diutissime conservata fuerunt; & uberrimam Palæstinæ fæcunditatem designavit cum comite palma, quæ non tantum jucundum adspectum, atque umbram amænissimam exhibet, sed insuper מֵעָבְיוֹ, *ex densitate sua*, erumpentes fructus eximios præbet oculis, ut ex ipsa nummi figura licet intueri.

Alter nummus etiam eo ipso quod æneus est, in dubium debet revocari, quan-

quandoquidem non tam nummus habetur ſiclus in ſacra ſcriptura, quam certum & conſtans pretium ad æſtimationem quarumvis rerum adhiberi ſolitum, quamobrem diverſi ſicli ſaltem initio eſſe non debuerunt inter Iſraelitas. Præterea paſſim in S. Scriptura ſiclus voce כֶּסֶף, i.e. *argenteus* deſignatur, & pro *argenteo* Græci ſolent δίδραχμα & Chaldæi סִלְעִין, *ſiclos*, reddere, ut Gen. 20-16. Hinc Conringius hanc theſim ſuſcepit propugnandam: *Nummos omnes Ebræorum, qui dicti ſunt ſicli, fuiſſe olim argenteos.* Et ad objectum locum 1. Chron. 8—21. reſpondet de pondere auri, non de nummo aureo *ſiclus* dicto. Sic Arias Montanus & Waſerus. &c. Cum igitur *argentei* & *ſicli* ſynonymi ſint, æneos non debemus admittere. Hunc tamen libet exactius conſiderare.

Ad Samuelis tempora refertur, & habet manipulum ex plurimis frumenti ſpicis, & aliis fructibus floribusque conflatum, cum vaſis oleo & vino convenientibus; atque inſcriptione ita detrita, ut hæ dumtaxat literæ ſolæ appareant שמוא. quæ quoniam Samuelis nomen incipiunt, videntur ſuadere ל ad finem addendum, cum voce נביא, *propheta*, quia veſtigium quoddam apparet mediæ literæ ב & nulla convenientior dictio excogitari poteſt. At nihil exigit nomen Samuelis, nullum miniſterii ejus patet indicium, & ex inſpectione ipſius imaginis exhibitæ etiam conſtat veſtigium literæ ſuperſtitis diverſum ab ea quæ ſupponitur. Præterea non legimus regnante Samuele vel famis vel calamitatis perfectam liberationem contigiſſe, ſicut appoſita frugum copia videtur deſignare. De Philiſtæis quidem Iſraelem aggredientibus luculentam retulit victoriam 1. Sam. 7—11. repreſſit etiam fortiter Hammonitas cap. 11-11. ſed toto vitæ ejus tempore præſidia tamen conſervarunt inter Iſraelitas Philiſtæi, & acerrima bella cum Iſraelitis geſſerunt, ut refertur 1. Sam. 10-5. & 14-52. Vivente adhuc Samuele Saul delevit Hamalecitas; ſed funeſta illi fuit hæc victoria, & parum peperit gaudii, quandoquidem a Deo ea dejici meruit, quia ordinem ab ipſo præſcriptum non obſervavit cap. 15-21. Sic tempore Samuelis nulla liberatio abſoluta, nulla extraordinaria ubertas celebrantur. Neque indicti ſolemniter jejunii mentio ulla etiam fit: interdictus enim a Saule omnis cibi eſus, dum profligaret hoſtes 1. Sam. 14-23. jejunii proprie dicti rationem non habet, & in eo nullas inſuper partes egit Samuel. Quamobrem admittens literas, quæ perſpicue legi, aut probabi-

babiliter ſupponi dicuntur, manipulum læta ſegete & variis fructibus conſtantem, atque vaſa oleo ac vino plena, cum diverſa dumtaxat deſtinctione lego: שמו אל שדי, i. e. *nomini Dei poſuit eum*, nempe ubertimum omnium bonorum acervum, in hoc nummi latere expreſſum, qui videtur cuſus tempore felici ad celebrandam Dei beneficentiam. quemadmodum in nummis Romanorum *ſecula frugifera* celebrari, & deos ipſos *frugiferos* dici ſæpe videmus. Duas autem dumtaxat literas ad conſtituendam convenientiſſimam illam inſcriptionem mutamus, nempe נב in שד, quod eodem jure nobis licitum ac aliis, qui priores literas prætulerunt, cum mera divinatione innitantur.

In altera autem nummi facie, in qua urna conſervationi mannæ conſecrata cernitur, cum hac inſcriptione ne minimum quidem apicem mutabo: נגאלת צום, i. e. *redemtus es, jejuna*. Paulo aliter vertebat Villalpandus, nempe *redemptus es a jejunio*, ſcilicet manna in urna ſervato, & ante צום addebat ל cujus nullum apparet in edita nummi effigie veſtigium. Sed ſi ſupplenda eſſet una litera, ratio potius exigeret ב quæ pretium redemtionis & rationem ſolet deſignare, ut patet Jeſaiæ 52-3. בְּכֶסֶף תִּגָּאֵלוּ, *argento redimemini*. Sed neque ל ſuperadditum, & huic expoſitioni adverſum, noſtræ ullo modo officeret. verteremus enim ſecundum ſimilem ſenſum: *redemptus es, ad jejunium*. Facillimum autem eſt, conveniens huic nummo tempus agnoſcere, vixque licet dubitare percuſſum juſſu & cura Eſdræ prophetæ poſt reditum e captivitate ipſius ductu peractum. Hoc enim ſingulare eſt in hiſtoria Eſdræ, quod cumulatus gaudio ob amota reſtaurationis Hieroſolymæ impedimenta indixit publicum jejunium ad ripam fluminis Ahavæ in ipſo optatiſſimi itineris limine, ut cælitus felicem exorientis redemtionis ſucceſſum obtineret. ſic congrue nummus in rei memoriam cuſus clamat: *redemtus es, jejuna*; vel *ad jejunium*. Ne autem hinc triſte omen quidam caperent, urna mannæ prudentiſſime addita, ut populus revocando in memoriam majores ſuos iter quadraginta annorum in deſerto feliciter peregiſſe beneficio mannæ a Deo ipſis per ſingulos dies conceſſi, inferret faventis ejus providentiæ beneficiis iter jamjam incipiendum fore ſimiliter proſperum. Præterea capite 8-21. ubi indictum jejunium legimus, refertur inſuper vaſa aurea & argentea a rege & Perſicis principibus in uſum templi data fuiſſe; nihil etiam impediret, quin vas nummo inſculptum cætera indicaret.

Cum

Cum his mirifice etiam quadrat alterius faciei inſcriptio & effigies uberrimæ copiæ omnibus numeris abſoluta: nam Deus אלשדי apposite nuncupatur, quoniam אל omnipotentiam, quæ ſecurum populum ſuum ab infenſiſſimis hoſtibus præſtabat; שדי vero inexhauſtos bonorum ſuorum theſauros, quibus dives ſibi ad perfectam beatitudinem ſufficit, ſufficitque omnibus ſuis creaturis ad indigentias cupiditatesque earum abunde explendas, evidenter demonſtrant. Quare certiores reddebant Judæos ad eorum ſalutem & conſervationem nihil ipſis ſive in itinere, ſive in patria defuturum: eo autem convenientiora erant illa nomina in hac reſtitutione populi, qua fœderis cum Patriarchis facti recordabatur, & promiſſa ſua exſequebatur, quod his nominibus fœdus ſuum contraxerat Deus cum Abrahamo Gen. 17—1. confirmaverat cum Jacobo. unde ipſe declarat Moſi Exod. 6-3. ſe iis Patriarchis utroque hoc nomine olim innotuiſſe. Denique cuivis notum ſegetibus, vinoque & oleo uberrimos eximiæ fœcunditatis proventus ſolere deſignari, hiſque præſertim bonis feraciſſimam fuiſſe Chananitidem, hinc ſolent conjunctim enumerari, ut Pſal. 4-8. nullum etiam dubium eſt ſuammet feracitatem debuiſſe illam ſuperare poſt ſeptuaginta annorum quietem continuam. Si quid turbaret, procul dubio oriretur a ſcriptura Samaritana, quandoquidem probavimus Judæos in ipſa captivitate ſuam conſervaviſſe linguam; ſed diverſa ratio fuit miſerarum reliquiarum quæ in Chananitide remanſerant: degebant enim inter Cuthæos lingua & literis Babyloniorum utentes, a præſidibus etiam Babyloniis, aut Perſicis dependebant, & hi præſides conſtituiſſe debuerunt procuratores monetæ ſignandæ, qui non potuerant aliis, quam ſuis uti literis. Has igitur in uſu communi literas invenerunt Judæi reduces, neque Nehemias, Zorobabel & Eſdras potuerunt illico, & ante conſtitutam ſuam rempub. illas amandare; ſaltem in politicis, & iis commerciis quæ cum præfectis & cætera gente erant communia. Queritur enim Nehemias 9-36. & 37. ſe, populumque univerſum ſervos eſſe in patria terra, terramque illam fœcundam eſſe ad utilitatem principum in eos dominantium eſt. Itaque opus fuit iis nummis principum Chaldæorum nomine & literis eorum cuſis aliquandiu uti, & regibus beneficis hoc ſuæ ſubjectionis pignus ſolvere; donec abſolute libertatis omnigenæ compotes, ut in religione, ſic in politicis res ſuas ſecundum priſtinos mores omnino componerent.

Tertius nummus nihil observatione dignum habet præter urnam mannæ cui duę literæ imminent cum his verbis: שקל ישראל. i. e. *ſiclus Iſraelis*, in una parte, & in altera virgam Aronis floribus amygdaliſque conſpicuam cum his verbis: ירושלים הקדושה, *Jeruſalem ſancta*, quæ literis Samaritanis exprimuntur. Jam autem probavimus nihil inde poſſe contra ſententiam noſtram inferri; niſi pateat nummum Cuthæorum adventu, & captivitate Iſraelitarum eſſe vetuſtiorem. Quamobrem duabus literis urnæ imminentibus præcipuum nummi momentum aſſignatur: ſed infeliciter accidit ipſos horum ſiclorum exhibitores non convenire inter ſe, neque de literarum forma, neque de earum interpretatione: quam enim מ judicat Maſius, alii contendunt eſſe ד, & quod ſatis mirari non poteſt, hæ literæ inter Samaritanas ſunt ſatis diverſæ, ut pateat quam incerta ſint circa has literas judicia. Altera ab omnibus unanimiter ש judicatur, ſed de ejus ſignificatione digladiantur; alii enim quibus Judæi quidam aſtipulantur, putant ſiclum deſignare, & alteram, nomen regis; contra Maſius in 7. Joſ. qui talem habuit, & attente conſideravit quia judicabat inepte bis ſiclum dici eumdem nummum in ſpatio brevi, maluit litera ש ſive *ſ*. nomen regis potius deſignari; ſic ſecundum illum ש & מ ſive *ſ*. & *m*. faciunt *Salomonem regem*: ſecundum alios ד & ש ſive *d* & *ſ*. *ſiclum Davidis*. An amabo ex dubiis ejuſmodi monimentis quicquam certi poteſt obtineri? an argumenta valida leves conjecturæ poſſunt ſuppeditare? ſaltem inter ſe conveniant, & poſtea eorum argumenta ſolventur. Sane ſi fundamentis eorum conjecturas ſuperſtruere conemur, majori cum ratione affirmabimus מ & ש, ſive M & S deſignare *Salmanaſſarem Monarcham*, qui capta Samaria, & ſubdito ſibi Iſraelitarum regno jure potuit ſuum nummis nomen & ſuam etiam dignitatem inſcribere, atque ſuorum Cuthæorum literis uti: aut ſi libet ſiclum per ש exponere, מ & ש deſignabunt convenientiſſime שֶׁקֶל מֶלֶךְ, *ſiclum regium*, qualem etiam poſt captivitatem cudere potuerunt Judæi reduces; imo etiam poſt recuperatum dominium, cum ſæpius tributa ipſis ſolvenda fuerint, & ſic regios nummos cudere debuerint, & ſimul alios in uſum ſuum atque literis ſuis Ebraicis cuſos habere; unde de duplici ſcriptura, & variis literis ad ſacras res ac civiles ſententiam ortam exiſtimamus. Licet enim a prima gentis origine diverſæ non fuerint inter Iſraelitas literæ, tunc introduci potuerunt. At non conſtat fuiſſe, & probabilius ד videbitur. & ſane manifeſte exhibetur

betur in eodem aut ſimili nummo apud celeberr. Seldenum de Jure nat. & gent.lib.2. cap.6.Non contendam, ſed propugnabo tunc Darium eſſe intelligendum, non Davidem, & literis Chaldaicis nummum a Judæis ejus imperio ſubditis cuſum dictum fuiſſe *ſiclum Darii*, ad inſtar nummorum in imperio ejus cuſorum, & Græcis etiam notiſſimorum, qui Δαρεικοὶ, *Darici*, dicebantur, de quibus Heſychius: Δαρεικοὶ οἱ χρύσειοι (non ſicut in edit. χρόνοι) στατῆρες· ἐκλήθησαν δὲ, ὥς τινές φασιν ἀπὸ Δαρείου τοῦ Περσῶν βασιλέως. *Darici aurei ſtateres, quos quidam dicunt ſic a Dario Perſarum rege nuncupari.* Bene autem *ſtateres* ab ἱστάναι, *ponderare*, ut *ſiclus* a שָׁקַל, *ponderare*: ſic *Darici ſtateres* ſunt ad verbum *ſicli Darii*; & tanta convenientia eſt, ut pondus utrorumque eſſet æquale, nimirum quatuor drachmarum Atticarum. Horum Daricorum etiam meminit Ælianus Var. hiſt. l.1. c.22. ubi munera a rege Perſarum legatis ad ſe ab aliis gentibus miſſis dari ſolita refert χιλίων Δαρεικῶν ἄξια, *mille Daricis æſtimata fuiſſe.* Merito autem Heſychius obſervat quoſdam dicere a Dario Perſarum rege ſic dictos, non omnes enim idem ſentiunt; unde Suidas in *Daricis*: εἰσὶ μὲν χρυσοῖ στατῆρες οἱ Δαρεικοί. ἠδύνατο δὲ ἕκαστος αὐτῶν ὅπερ καὶ ὁ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ὀνομαζόμενος χρυσοῦς. οὐκ ἀπὸ Δαρείου Ξέρξου πατρὸς, ἀλλ' ἀφ' ἑτέρου τινὸς παλαιοτέρου βασιλέως ὠνομάσθησαν. *Sunt ſtateres aurei, Darici, quorum unuſquiſque tantumdem valet ac apud Atticos aureus dictus; non autem a Dario Xerxis patre, ſed ab alio quodam antiquiore rege nuncupati ſunt.* ubi obſervandum de Daricis aureis agi, & nos loquutos dumtaxat de eorum pondere, cum æquales fecimus ſiclis argenteis, ita ut hi cum Daricis argenteis dumtaxat debeant comparari; præterea Darium eorum auctorem non eſſe Perſicum ſive Hyſtaſpidem poſt Cambyſem Cyri filium ad ejus regnum electum, & Xerxis patrem, ſed antiquiorem ipſo Cyro Medum dictum, & ultimum Babyloniorum regem, cui tributa Judæorum Iſraelitarumque miſeræ reliquiæ in paternis ſedibus pendebant, & qui cum Cyro etiam aliquandiu regnaſſe putatur: adeo ut minime mirum videri debeat, ſi Cuthæorum, e Media oriundorum literis nummi ejus inſcribantur, & Iſraelitæ Judæique inter Cuthæos degentes iis utantur, cum ſubditi eſſent, & ſupremi dominii jus cudendorum ad publicos uſus nummorum facultatem concedere valeat.

Verum enim vero non convenit premere ſilentio ſententiam Villalpandi, qui in cauſæ ſubſidium profert hunc nummum: nam reprobat

ſententiam eorum, qui Davidem, & Salomonem in his duabus literis ſcrutabantur, vultque iis deſignari nomen Dei שדי de quo ſupra, & confirmatur in ſua ſententia ob alterum nummum in quo cernitur א, quia hæc litera ſola nomen אדוני ab illa incipiens deſignare ipſis teſtibus Judæis ſolet. Verum conſequentia non eſt recta, quoniam ut unum א ſufficit ad ſignificandum אדוני, ſic unum ש ſufficeret ad deſignationem שדי, ſed ſufficit hac expoſitione totam vim hujus nummi enervari, & Salomonis, aut Davidis nullum in eo extare veſtigium. Forſitan dificile non etiam eſſet Dei nomina ex hoc uſu profano amovere, cum Judæis religioſiſſima ſint: unde ne quidem ad numerum decimum quintum nolunt adhibere יה literas, quæ ſecundum ordinem ſuum deberent illum ſignificare, ſed adhibent טו, ne nomen divinum יה rei prophanæ, ut ſunt numeri, inſerviret. At ſi præcedentes conjecturæ noſtræ non perſuadeant, exiſtimare licet his literis annos regum, aut conſtitutas ad nummos illos cudendos officinas deſignari: ſane ש ſignificat שנה, *annum* & ד *quartum*, neque obſtat א ſolitarie in aliquo ſcribi, quia initio notam illam ſatis manifeſte tempus illud ſignificare exiſtimaverunt, & poſtea potuerunt ad majorem evidentiam annum ipſum expreſſe ſuperaddere.

Quartus & ultimus alicujus momenti nummus ad Joſiam pertinere putatur, ſed quam fragili, ne dicam inepto, argumento! nullum Joſiæ nominis, aut regni indicium, ſed tempus unctionis neſcio qualis abſolute refertur. At literæ, inquiunt, ſecundum valorem arithmeticum conficiunt 860 annos, quot ſcilicet ab exitu ex Ægypto ad Joſiam regem efluxerunt. Non objiciam inſuperabiles in numerandis regum Judaicorum annis difficultates, ſerio agerem in ludicra ratiocinatione, neque dicam adeo non eſſe certum ab egreſſu Ægypti ſemper numeratos inter Iſraelitas annos, ut abſque ulla Epochæ illius deſignatione, ad eam ſit abſque aliqua ratione recurrendum. Id nimis urgeret. Sat erit reſpondiſſe hoc argumentum Gematriæ Rabinicæ innixum ſupponere Judaicarum literarum dignitatem, quæ ad Samaritanas non poteſt deferri, quia vim, nec perfectionem earum aſſequuntur. Præterea iidem illi Rabini, qui genus illud ratiocinandi excogitarunt, tenent literas ſuas finales eſſe a Moſe, & monte Sinai, atque ad vocum perfectam diſtinctionem plurimum conferre. Jamvero ſi his literis ſcribamus duo vocabula שמן עת, *tempus unctionis*, ן finale addet numero Samaritanarum quæ

quæ finalibus literis carent, 650; nam נ initiale aut medium valet dumtaxat 50, at productum in fine vocum 700. sic pro 860 annis Ebraice haberemus 1510 ad ipsa Christi Domini tempora unctionem designatam revocantes. Adde שֶׁמֶן significare *pinguedinem* aut *oleum* indifferenter; non vero *unctionem*, quam Ebræi מְשִׁחָה vocant. Non possum denique diffiteri mihi jejunam videri alterius inscriptionis expositionem; quid enim eximium in his verbis: *Ad scripturam Jerusalem?* sive לחרות ירושלם Hottingerus etiam in explicandis numismatibus ingeniosus male legisse Villalpandum existimat, & nullam vult fieri mentionem unctionis; sed potius legendum שמשן, *Simeonem*, & חירות ירוי, *libertatem Hierosolymæ*, in altero latere legit, quod cum catena soluta virgæque virescentis imagine partam a Simeone Hasmonæo libertatem sat convenienter designari contendit. Quid si dicamus absque ulla mutatione hunc nummum tempore Zorobabelis & Nehemiæ cusum fuisse, & legendum pro *scriptura Jerusalem*, *delineationem Jerusalem?* nempe חָרַת, *sculpere* & *lineis quibusdam designare* significat. Nehemias autem urbem sub ruinis suis jacentem quasi de novo delineavit, ut muri & portæ restaurarentur, quemadmodum cap. 2. refert. Potuit etiam adventus sui שֶׁמֶן עֵת, *tempus pingue*, quia *prosperum*, nuncupare, etenim *pinguedine* Ebræi solent eximia quæque & gratissima designare Nehem. 8-10. Torquis etiam conveniet optime cum ejus dignitate, ut guttus cum munere regii pocillatoris. Sane ei aptius erit quam ad unctionem designandam, cujus vas קֶרֶן, *cornu*, quod initio cornua vasorum officia præstarent, & postea figuram illorum pretiosa etiam vasa habuerint; aut פַּךְ *lenticula*, solet nuncupari. Sed piget diutius palpare in tenebris, cum nummos non habeam; qui feliciores erunt, videant, an non etiam pro שֶׁמֶן, i. e. *oleum* aut *pinguedo*, legi posset שִׁמְיָן nummi exigui Judæorum nomen, & חָרוּת, pro *scriptura* exponeretur *ramus*, cum ramus revera expressus videatur ad designandum Hierosolymæ olim excisæ, & tunc florescentis vigorem. Ut tandem funditus tota hujus nummi ad propositum adversariorum confirmandum auctoritas extirpetur, non negligendum quod auctores ipsimet pro amuleto habuisse comperiuntur; in amuletis autem nulla temporum ratio habetur, & nonnunquam a prima antiquitate arcessuntur, licet recentissima sint.

Quatuor alios nummos repræsentat, & describit Waserus in suo tractatu *de antiquis Ebræorum, Chaldæorum, & Syrorum nummis*; quibus

 ordi-

ordinaria urnæ, aut thuribuli, & virgæ Aronicæ ſymbola exhibentur; inſcriptiones etiam ſolitæ, nempe *Siclus Iſraelis*, & *Hieroſolyma ſancta*, in iis leguntur; cum hoc dumtaxat diſcrimine quod primus eſt integer & celebratur ab Aria Montano, J. Morino, & aliis, habetque ſit. א ſupra vas. 1. Cæteri minores ſunt, & gradatim ad infimum pretii gradum deſcendunt cum expreſſo juſti ſui valoris additamento; 2. Secundus enim חצי שקל ישראל, *dimidius ſiclus Iſraelis*, nuncupatur, & habet ב ſupra vas. 3. tertius autem שלשית השקל ישראל *triens ſicli Iſraelis*, cum ד ſupra vas. 4. & quartus רבע השקל ישראל *quarta pars ſicli Iſraelis*, etiam cum ד. Sic in iis ne minimum quidem certæ antiquitatis indicium; contra præter ea quæ antea fuerunt obſervata, evidens recentioris ævi apparet nota; quoniam trientis ſicli ante Nehemiam nulla fit in ſcripturis ſacris mentio, & patet cap. 10-32. tunc, ipſo auctore, & cæteris populi ducibus approbantibus, impoſitum trientem illum ad conſtructionem templi, quia ſpontaneæ oblationes, & tributa templo perſolvi ſolita ad tantas impenſas non ſufficiebant. ſic de ſtatuto illo textus Sacer: *Et conſtituimus ſuper nos ſtatuta ad dandum ex noſtris facultatibus* שְׁלִישִׁית הַשֶּׁקֶל, *tertiam partem ſicli, per annum ad opus domus Dei noſtri.* Ad quem locum R. AbenEzra: שלישית השקל נוסף על מחצית השקל על.צורך הענינים הנזכרים *Triens ſicli additus ad dimidium ſiclum* (capitatim ex lege Iſraelitis ſolvendi) *ad neceſſitatem rerum ibi commemoratarum. &c.* Sic ad ſolutionem hujus tributi trientes illi cudi debuerunt, & hæc prima eorum origo quia altum antea de illis ſilentium, probabiliter videtur, atque conſequenter literæ Samaritanæ in hoc nummo, & cæteris ſimilibus provectiorem antiquitatem ſibi non poſſunt arrogare, & inter Iſraelitas demum in uſu fuerunt, cum a Chaldæis ſubjugati, eorum legibus & conſuetudinibus coacti ſunt obtemperare. Obſervandum autem ſolitarias literas in medio appoſitas non deſignare quantitatem nummi; cum triens, & quadrans eamdem habeant literam & convenientius eſſe ut iis anni regum deſignentur. Plures & literis Samaritanis etiam ſignatos exhibere poſſemus: ſed incerti ſunt & exeſi. propatereaque jam expoſiti nobis ſufficere videntur, utpote qui ab auctoribus magni nominis celebrentur.

Supereſt nummus a Theſeo Ambroſio celebratus, & in gazophylacio Pontificio accurate conſervatus; quare qui pontifices ab omni errore tutos profitentur, vix poſſunt ejus ſinceritatem in dubium revocare. In prima ejus facie imago filii Dei exhibetur cum nomine ישי, *Jeſu*, ab utro-

que

Pag. 302

VI





VII






VIII





IX





ordinaria urnæ, aut thuribuli, & virgæ Aronicæ ſymbola exhibentur; inſcriptiones etiam ſolitæ, nempe *Siclus Iſraelis*, & *Hieroſolyma ſancta*, in iis leguntur; cum hoc dumtaxat diſcrimine quod primus eſt integer & celebratur ab Aria Montano, J. Morino, & aliis, habetque fit. א ſupra vas. 1. Cæteri minores ſunt, & gradatim ad infimum pretii gradum deſcendunt cum expreſſo juſti ſui valoris additamento; 2. Secundus enim חצי שקל ישראל, *dimidius ſiclus Iſraelis*, nuncupatur, & habet ב ſupra vas. 3. tertius autem שלשית השקל ישראל *triens ſicli Iſraelis*, cum ד ſupra vas. 4. & quartus רבע השקל ישראל *quarta pars ſicli Iſraelis*, etiam cum ד. Sic in iis ne minimum quidem certæ antiquitatis indicium; contra præter ea quæ antea fuerunt obſervata, evidens recentioris ævi apparet nota; quoniam trientis ſicli ante Nehemiam nulla fit in ſcripturis ſacris mentio, & patet cap. 10-32. tunc, ipſo auctore, & cæteris populi ducibus approbantibus, impoſitum trientem illum ad conſtructionem templi, quia ſpontaneæ oblationes, & tributa templo perſolvi ſolita ad tantas impenſas non ſufficiebant. ſic de ſtatuto illo textus Sacer: *Et conſtituimus ſuper nos ſtatuta ad dandum ex noſtris facultatibus* שְׁלִישִׁית הַשֶּׁקֶל, *tertiamque partem ſicli, per annum ad opus domus Dei noſtri.* Ad quem locum R. AbenEzra: שלישית השקל נוסף על מחצית השקל על. צורך הענינים הנזכרים *Triens ſicli additus ad dimidium ſiclum* (capitatim ex lege Iſraelitis ſolvendi) *ad neceſſitatem rerum ibi commemoratarum. &c.* Sic ad ſolutionem hujus tributi trientes illi cudi debuerunt, & hæc prima eorum origo quia altum antea de illis ſilentium, probabiliter videtur, atque conſequenter literæ Samaritanæ in hoc nummo, & cæteris ſimilibus provectiorem antiquitatem ſibi non poſſunt arrogare, & inter Iſraelitas demum in uſu fuerunt, cum a Chaldæis ſubjugati, eorum legibus & conſuetudinibus coacti ſunt obtemperare. Obſervandum autem ſolitarias literas in medio appoſitas non deſignare quantitatem nummi; cum triens, & quadrans eamdem habeant literam & convenientius eſſe ut iis anni regum deſignentur. Plures & literis Samaritanis etiam ſignatos exhibere poſſemus: ſed incerti ſunt & exeſi. proptereaque jam expoſiti nobis ſufficere videntur, utpote qui ab auctoribus magni nominis celebrentur.

Supereſt nummus a Theſeo Ambroſio celebratus, & in gazophylacio Pontificio accurate conſervatus; quare qui pontifices ab omni errore tutos profitentur, vix poſſunt ejus ſinceritatem in dubium revocare. In prima ejus facie imago filii Dei exhibetur cum nomine ישו, *Jeſu*, ab utro-

que


Pag. 302.
VI
Pag. 302.
VII
Ibid.
VIII
Ibid.
IX
Ibid.
משיח
באבשלום
אלהים צדם
עשוי

que latere adſcripto; in altera autem leguntur hæc verba, literis Samaritanis: משיח מלך בא בשלום אלהים ארם עשוי. *i.e. Meſſias rex venit in pace, Deus homo factus eſt.* Hæc inſcriptio rem factam narrat, & futuram non prædicit, quare nummus Chriſti domini nativitate recentior eſt, & deſideratam literarum Samaritanarum antiquitatem nequit probare; ſed ſaltem demonſtrabit earum diuturnum uſum atque oſtendet forſitan illum captivitati Babylonicæ non eſſe attribuendum, cum tamdiu poſt captivitatem, & ipſum Babyloniorum principum memoriam deletam viguerit. Verum non eſt inauditum conſuetudines varias originibus ſuis abolitis perſeverare: præterea licet ſervituti Chaldæorum finem impoſuerit libertas Iſraelitarum in integrum reſtituta; nihilominus ſuperſtites remanſerunt Samariæ inter Cuthæos, & iis permixtos Iſraelitas Samaritanæ literæ, & hodie adhuc permanent. Cum autem legamus Joan. 4-39. plurimos Samaritanos in Chriſtum credidiſſe, probabilius eſt hos Samaritanos ad conſervandam ſuæ converſionis memoriam hunc nummum privatim cudiſſe, quam Judæos ſuis calamitatibus edoctos imaginum uſum ad idololatriam ducentem funeſtum eſſe; aut Chriſtianos ab imaginibus etiam per aliquot ſecula ita alienos, ut ne ſculptores quidem aut pictores ferrent. Denique ſimilem fere nummum habemus literis hodiernis Ebraicis inſcriptum, cujus meminit Waſerus hæc enim illius inſcriptio: משיח מלך בא בשלום ואור מארם עשוי חי. i.e. *Meſſias rex venit in pace & lux de homine facta eſt vita.* quare ſi licet colligere literas Samaritanas fuiſſe in uſu ex primo nummo; ex hoc altero ſimiliter colligemus hodiernas Ebræas etiam in uſu fuiſſe; illas nempe inter Samaritanos, has vero inter Ebræos, ita ut unaquæque gens ſuas genuinas literas conſtanter retinuerit. Mihi videor tamen in his nummis fraudem ſubolere, quia in Ebræo contra gentis morem ſeparantur voces Ebrææ, & literæ quædam ad unam dictionem pertinentes alteri conſociantur: Sic ad בא jungitur ב, quod ſequenti שלום convenit præfigi & inter lineas poſtremas עשוי, ut oculis patet, ex æquo bipartitur, ut ישו in altero latere, ſculptor. Licet enim coacta in circulo ſcripturæ ſeries quamdam ſuppeditet excuſationis ſpeciem, attamen notum Ebræos ad æquandas lineas ſuas ſolitos nonnullas finales producere, quod in א ſecundæ lineæ venuſte fieri potuit, ſicque debitum ב in tertia ſuum occupaviſſet locum: nulloque negotio וי penultimæ addita fuiſſent.

Suſpi-


Suspicor igitur subdololum Judæum horum nummorum auctorem ad emungundos simplices Christianos aliqua pecuniæ summa fuisse & de industria irregularem imposuisse inscriptionem, ne suos populares similiter falleret; unde longe majoris momenti fraus in ipso Jesu nomine quod scribit ישו, & scribendum erat ישוע. Testis sit Elias levita in suo Thisbi ad illud nomen; ישו אומרים הנוצרים שמשיחם היה נקרא ישוע בצואת מלאך גבריאל שיושיע כל העולם מגיהנם ויש אומרים שהיה נקרא כך במקרה כי בזמן ההוא היו יהודים רבים ששמם ישוע כמו שמצינו בעזרא בסימן ב׳ ובנחמיה ג׳ וי״ב ובדברי הימים ב׳ ל״א ולפי שהיהודים אינם מודים שהוא היה המושיע לפיכך אינם רוצים לקראו ישוע והפילו העין וקורין לו ישו גם יש לומר לפי שחברת העין קשה לבטא לגוים כמו שכתב ראב״ע שכל מי שאינו למד קריאת החית והעין בנערותו לא יוכל לבטא כל ימיו לפיכך הגוים אינם קורין לו בלשונם ישוע אך ישו או כזוש לכך קורין לו היהודים גם כן ישו בלי עין. *Jesu: dicunt Christiani quod eorum Messias vocatus fuit Jesu ab mandato Angeli Gabrielis, quod Josiah i.e. salvaturus erat totum mundum a gehenna: sunt contra qui dicunt sic dictum casu, quoniam illo tempore fuerunt plurimi Judæi quorum nomina erant Jesuah, ut invenimus in Ezra cap. 2. & in Nehemia cap. 3. & 12. & in Chronicis lib. 2. cap. 31. & quia Judæi non credunt quod hic sit salvator, propterea nolunt vocare eum Jesuah, & aufferunt Ain, pronunciantque Jesu. Est etiam dicendum quod Ain in dictione sit difficile pronunciare gentibus, quemadmodum scribit R. Aben Ezra, quod quicunque ab infantia non didicit pronunciare* ח *&* ע *non potest illa pronunciare omnibus vitæ suæ diebus: propterea gentes non vacant linguis suis* ישוע, *sed* ישו *aut Jesus, & idcirco ipsi Judæi vocant eum* ישו *Jesu absque* ע. Sic excusare satagit, & variis fucis gentilem fraudem obducere; etsi enim gentes pronunciare ח & ע vix possint, non propterea e vocibus quibus hæ literæ essentiales sunt, debent auferri, huicque facinori minime ansam præbuerunt Christiani: nam Messiam suum divinitus dictum ישוע profitentur, licet *Jesum* suis linguis dicant, præeuntibus etiam Judæis: nam illis ipsis successor Mosis, qui in textu sacro dicitur יהושע, *Jehosuah*, Græcis LXX interpretibus Judæis est Ἰησοῦς, *Jesus*, Josepho etiam Ebræo Antiq. lib. 5. c. 1. & Philoni passim lib. de Charitate. Si ipsis non venit in mentem ex hoc nomine ne unam quidem literam auferre, licet duas Græce non pronuncient, cur truncant ישוע ob unam dumtaxat silentem? Urget validius comparatio, quod unum & idem sit nomen; ut enim ex יהושפט, *Jehosaphath* fit Ἰωσαφὰτ ex יהוחנן & יהונתן fiunt יוחנן ac יונתן, atque ex יהוסף יוסף, sic ex

יהושע

Pag. 303.

X

Pag. 303.



XI

Ibid.



XII

Pag. 305.



XIII

Pag. 308.



יְהוֹשֻׁעַ similiter יֵשׁוּעַ unde *ἰησοῦς* & *Jesus*: verum enim vero quidam impio furore perciti Rabini truncatum illud nomen cæcis discipulis commendarunt, ut aptum ad Christum Dominum ex occulto maledictis secure vexandum nempe in ישו per mysteria sua רָאשֵׁי תֵּיבוֹת *Capita vocum* invenerunt horrendam hanc exsecrationem יִמַּח שְׁ ו זִכְרוֹ *deleatur ejus nomen & memoria*, ut expositum quivis legere potest, in abominando & putidis calumniis referto Libro qui inscribitur תּוֹלְדוֹת יֵשׁוּ *generatio Jesu*; atrociora adhuc alii ex tribus illis literis eliciunt, & per gematriam etiam conantur confirmare, quæ referre horremus, & videri possunt apud Buxtorsium de Abbreviaturis in illis literis; quamvis etiam, ut placuit Drusio de venerando illo nomine agenti, potuisset mancum illud nomen scribi; nostræ sententiæ non officeret nummus non tantum post Christum natum cusus, sed multis etiam seculis, quandoquidem inepta illa apocope, quæ finales vocum literas nonnunquam abjicit, a recentioribus Syris sero introducta est, & nullam literis Samaritanis potest concedere commendationem. Nihilominus ad majorem veritatis illustrationem observare expedit nos habere nummos integros quibus nomen integrum ישוע exhibetur; talem videre est apud M. J. Reiskium *de imaginibus, Jesu Christi in addendis ad Caput primum*, §. 6. cujus hic typus prima parte vultum exhibens, & altera inscriptionem hanc: *Jesus Nazarenus Messias Deus, & homo simul*, vel *unus*. XII.

Si usus obtinuisset ut hoc nomen ultima sua literâ spoliaretur, cur in hoc nummo integrum reperitur? Si autem illam habere debuit, cur in aliis non apparet? Soli injuriæ inferendæ cupidini impostorum, hoc scelus attribui meretur. Denique prætermitti non debent diversæ horum nummorum inscriptiones, ex iis enim debemus colligere impostorem studiose in iis quædam verba mutasse, ut exteriorum simplicitas plurimorum desiderio caperetur: in quibusdam enim legitur etiam משיח מלך בא בשלום ואדם מאדם עשוי חי *Messias Rex venit in pace & homo ex homine factus est vivens*; qua merus homo & ex ordinaria productionis ratione natus ambigue declaratur: præterea in quibusdam א τῷ nomini ישו præponitur; in aliis minime apponitur. Leves illæ mutationes inconstantem auctoris animum, & ad componendas inscriptiones probas ineptum produnt; quare amissum in iis commode exponendis licet desiderare tempus; quamvis industria in illis expositionibus nonnunquam felix videatur; ut cum Reiskius non א ישו,

ſed ישי legit & א ſolitarium remanet ad principis ſub quo cuſus eſt nummus annum ſignificandum, ut in præcedentibus diverſæ literæ diverſos illos annos deſignarunt; atque per unam quamque literam caput dictionis integræ factam elicit: אני ישוע שבטי יפה או יראה *Ego Jeſus ſceptrum meum pulchrum eſt, aut reverendum.* Conſtat enim ex literis in voces integras permutatis, non ſecus quam ex campanarum ſonis poſſe quidvis ingenioſe confici.

Reſtat una obſervatio quæ ſola valet ad omnem auctoritatem horum nummorum literis Samaritanis inſcriptorum omnino peſſundandam; producuntur ad probandum antiquitate ſua literas Samaritanas omnium eſſe præſtantiſſimas; at literæ his nummis inſcriptæ, quamvis prima fronte quamdam literarum Samaritanarum ſpeciem præ ſe ferant, ita tamen ab iis plurimæ diverſæ ſunt, ut harum inſcriptionum interpretibus opus fuerit diverſiſſima a Samaritano cudere alphabetha, in quibus una & eadem litera tres, quatuorve, & aliquando quinque differentes formas habet; ut ſaltem ad unam earum Characteres numiſmatum poſſint aliquatenus accommodari; nempe unum Alphabethum dicitur Vaticanum, quia ex locupletiſſima Vaticani bibliotheca prodiit; alterum R. Azariæ; & quia nondum ſufficiebant; tertium numiſmaticum idcirco dictum, quia ab his interpretibus excogitatum eſt, ad aliquem ſenſum e numiſmatibus eruendum; ſic patet arbitrariam omnino eſſe hujus ſcripturæ interpretationem, & ex ea, ut ex Campanarum ſono quævis verba, atque ex nubibus quaſuis formas, nullo negotio quoſvis ſenſus etiam componi potuiſſe: minime vero colligi literas Samaritanas eſſe antiquiſſimas, licet nummi illi antiquiſſimi eſſent; cum horum literæ adeo diſcrepent a Samaritanis: hic ſolis oculis credendum; comparentur itaque tria ſupra commemorata Alphabetha cum Samaritanis literis, ex manuſcriptis optimæ notæ codicibus paſſim editis, & diſcrimen in majori literarum numero ſtatim manifeſtabitur, atque ſaltem patebit dubiam dumtaxat fidem harum inſcriptionum expoſitionibus adhiberi, dico harum inſcriptionum expoſitionem eſſe dubiam, non vero omnem omnium inſcriptionum expoſitionem; ſecus enim judicandum eſt de inſcriptionibus Græcis, Latinis, & aliis linguis notioribus conceptis, harum ſiquidem literæ ſunt etiam notiores, & ipſæ mutationes quæ diverſis ſeculis ipſis acciderunt etiam patent doctis, præterea longe numeroſiores ſunt, & conſequenter ex mutua

earum

earum collatione facilius explicantur tœdiosum esset omnes differentias literarum numismaticarum a Samaritanis editas scrupulose persequi, & uno exemplo nobili, & luculento contentus ero: antea vidimus constare inter literas Samaritanas nullam crucis figuram habere; hoc libri omnes Samaritani testantur; at litera in nummis productis extat, quæ crucem exacte refert; licet igitur colligere eos veris Samaritanorum literis non esse inscriptos: ut tamen candide quid super hac re sentio explicem, & literam illam cum Samaritanis aliquo modo conciliem; revocare convenit in memoriam literam illam cruciariam in scriptis Ægyptiorum esse frequentissimam hinc tot cruces in fano Serapidis, cum a Christianis dirutum est, inventæ, quæ unum alphabeti eorum elementum constituebant, quod *vitam futuram* dicitur designasse, teste Rufino libro secundo ad Eusebii historiam addito. cap. 29. & Socrate lib. 5. c. 17: jam vero facillimum fuit ex Ægypto in Syriam, Palestinamque illam literam pervenire, genuinisque Samaritanorum literis permisceri, saltem in illas regiones debuit penetrare dominantibus Ægyptiorum regibus, quod paulo post deductos in Samariam Cuthæos accidit sæpissime, nam Ægyptius Rex Nechaos ad Euphratem usque victricia circumtulit arma, Josiam Judeorum regem cecidit, & postea filius regni hæredem captivum duxit, & tributariam Judæam reddidit atque vicinam Syriam occupavit; ut videre est 2. Reg. 23, & 2. Chron. 35, & 36. & Joseph. antiq. l. 10. cap. 6. & 7. ut autem jus condendæ monetæ certum est supremi Dominii testimonium, potuernnt in memoriam ejus victoriæ, & constituti ejus Dominii numismata Ægyptiacis literis cudi; verum quidem est non fuisse diuturnum ejus imperium, & octavo post anno Nabucodnosorem occupatas recuperasse regiones, ut ibid. refert Josephus, verum octo anni sufficiunt, ut una aut altera litera in nummis semel admissa deinceps potuerit remanere, cum sæpius bellum redintegrarint Ægyptii reges, & post translatum ad Græcos Persarum imperium successores Alexandri magni, Antiochidæ, & Seleucidæ cum Ptolemæis ob illius Provincias millies etiam certarint, & modo his modo illis miseræ Israelitarum reliquiæ in prædam cesserint: propterea minime mirum si quædam literæ Ægyptiacæ Samaritanis tum commixtæ fuerint; id enim solet fieri, & in nummis Imperatorum Romanorum literæ Græcæ Romanis passim cernuntur permixtæ ob frequentem & promiscuum earum usum: sic ΑΔΡΙΑΝΟS SEMNOS

KAICAR, ubi S. & R. Latinæ cæteris Græcis permixtæ sunt; sic ΛEON BASILEVS ROMEON ubi L, R. & V. si quis plura velit adeat Clarissimum Spanhemium de usu & præst. numis. similiter ✠. *tau* Ægyptium potuit inter Samaritanas literas irrepere, & in nummis eorum conservari, postquam Ægyptiis dominantibus, literæ Ægyptiæ inscriptæ fuissent; unde confirmatur recentiores esse illos nummos in quibus *tau* illud Ægyptiacum cernitur Samaritanis literis admixtum, cum dominium Ægyptiorum in Israelitas circa captivitatis Babylonicæ tempora demum inceperit, & inde admixtum Samaritanis literis invenire potuit S. Hieronymus.

Ingens illa, & tantopere decantata numismatum Samaritanorum multitudo ad paucas species modo descriptas fere reducitur; nempe ejusdem speciei plura sunt, quorum unumquodque a plurimis auctoribus visum meruit sæpissime celebrari: sed præcipue observandum est ne unicum quidem ordinariam, auctoris, temporis, aut loci mentionem facere, & pleraque verbis mutilis inscribi, dubiisque, & a diversis auctoribus etiam diversimode lectis, atque aliter expositis; ita ut meris conjecturis & divinationibus vaga, inconstansque illorum expositio innitatur, neque minimam de antiquitate Samaritanarum literarum fidem facere valeat; cum literæ in iis exaratæ a nostris sint diversissimæ. quid si addam pleraque esse suppositiтia, & in subsidium, vel ludibrium malæ causæ ab avidis artificibus fraudulenter elaborata, & excogitata quod inepta scriptura manifeste demonstrat? Cum in his, & similibus nummis causæ fundamentum non constituam, quia certa, & indubitata sinceritatis eorum indicia desunt, longam eorum qui hodiernis Ebræorum literis inscribuntur seriem adornare supersedebo; ingenue etiam agnosco, ut jam feci, quosdam mihi non probari; hunc v. g. 13. quem penes me habeo hujus formæ, & amplitudinis: qui hæc verba in ambitu gerit in illa: *Sekel David relictus absconditus in thesauro Sionis in domo sanctuarii.* Et in hac parte *Jehova servat Israelem ne cadat in foveam in Jerosolyma.* Non enim capio quomodo numismati in Thesauro templi Hierosolymitani reperto insculpi talis inscriptio potuerit: quivis facile in eo animadvertit thuribulum, & virgam Aronis, cum literis Ebraicis, pileum pontificium, & alterum etiam, cum Lecyto, & cornu in aliis numismatibus non raris: de his omnibus lector judicet.

At-

Attamen nunc expedit observare innumeros nummos genuinis Ebraicis, sive Judaicis literis hodiernis exaratos præcidentibus posse opponi, & ex genuina illorum antiquitate demonstrari literas hodiernas Judæorum esse revera antiquiores, & omnium primas: celebrantur sane plurimi sed hos frequentioris formæ tantum dabo: cæteri videri possunt apud Waserum, Waltonum, Reiskium locis citatis & celeberrimum Leusdenium dissert. 27. de nummis. Et qui Samaritanos jactant, horum nonnullos etiam celebrant, qui ab una parte habent thuribulum, cum hac inscriptione שקל ישראל *Siclus Israelis* & in altera *Virgam Aaronis* cum hac Inscriptione ירושלם הקדושה vel ירושלים *Sancta Jerusalem*. 14. hi autem certam ostendunt suam auctoritatem; post captivitatem enim cudi non potuerunt quia reduces non sunt dicti *Israelitæ*, sed *Judæi*, nummos itaque suos Judæ siclos dixissent; soli autem Israelitæ cum Cuthæis Samariam, & vicinas regiones occupantes tunc suos Siclos potuerunt vocare *Siclos Israelis*; at his literis uti non poterant, saltem in nummis regia auctoritate cusis, & consequenter hi sicli ad eos non pertinent, nisi captivitatem antecedant; quin ne tunc quidem potuerunt in usum publicum ab Israelitis a Judæorum Societate Jeroboami opera abstractis cudi, quoniam desciverant non tantum a regibus Judæorum, sed etiam a cultu Hierosolymæ addicto, & in Dane atque Bethele suos Cætus celebrabant; atque privatis quibusdam Israelitis, qui avitam conservabant pietatem, & debita templo munera scilicet primitias, vota, sacrificia, atque tributa persolvere volentes, siclos secundum sanctuarii pondus legitimum confici curabant, posse attribui non est verisimile: longe igitur verisimilius est Israelitis ante schisma Jeroboami adhuc unitis hos siclos tribuendos esse; itaque thuribulum, & virgam Mosis cum Hierosolyma in iis repræsentasse fœlix illud tempus, quo cultus solemnis religionis in Jerusalem primo est introductus a Davide quando in eam deduxit arcam; aut a Salomone cum templum a se constructum dicavit. Sane thuribulum ad præstantiorem oblationem, & cæterarum etiam oblationum perfectionem destinatum, & virga Aaronis individua arcæ fœderis comes, atque consequenter certissimum divinæ præsentiæ symbolum, Jerusalem imprimis sanctam effecerunt, & augustissimum constituerunt religionis Israeliticæ domicilium; quamobrem si ulla ratio visa est suadere balsamum aliquam cum circumcisione affinitatem habens designare in nummo primam ejus a Jo-


a Josua restaurationem, elogium sanctitatis Hierosolymæ datum, & prima sanctitatis ipsi concessæ symbola evidenter persuadebunt in nummis nostris eos percussos fuisse eo ipso tempore quo suam a religione sanctitatem primum adepta est: innumeri enim tales nummi extant. Sunt etiam plurimi similes huic quem de nummis Ebræorum exhibet Waserus 15.; in cujus prima parte cum rudi urbis delineatione hæc verba leguntur; *Jerusalem urbs Sanctitatis*; in altera autem: *David rex, & filius ejus Salomo rex*, qui cudi debuit in extremis Davidis diebus, post solemnem Salomonis inaugurationem.


Plurimi insuper inveniuntur cum expressis primæ antiquitatis symbolis nummi hodiernas in inscriptionibus literas habentes: Seckardus in prœmio ad Tarick regum Persiæ unum exhibet qui in una parte effigiem Mosis legislatoris gerit, & in altera primum decalogi mandatum Ebraicis vocibus, & literis.

Alterum ex ære similem habuit Fulvius Ursinus quem vidisse testatur Villalpandus Tom. 3. apparat. Urbis, ac Templi part. 2. lib. 2. disp. 4. cap. 27. in cujus una parte caput humanum cum his verbis: שלמה מלך *Salomo Rex*: in altera Templum cum his verbis: ההיכל שלמה *Templum Salomonis*: sed Villalpandus hariolatur effigiem illam fuisse Marci Antonii, quia vix differt ab ea quæ in aliis illius nummis solet conspici; & ab Herode Agrippa fuisse percussum in ejus honorem indicat, unde ut blandiretur ei, Salomonis nomen, & Templi ædificati honorem defert: quasi ex alieno Salomonis, Antonio incogniti, nomine, aut ex Templo diu ante Antonium constructo aliquod decus ad Antonium potuisset redundare; aut impossibile esset lineamenta quædam in facie Antonium, & Salomonem habuisse communia; neque indignum Salomonis gloria æri faciem & nomen insculpi superbissimorum regum exemplum probat: petit postea principium, dicitque spurium esse hunc nummum quia inscribitur literis tempore Salomonis inusitatis; ego eodem jure affirmabo legitimum, quia primis Ebræorum literis inscriptus perhibetur cæterosque aliis literis suppostitios, addit tandem *Ebræorum legibus, atque institutis* fuisse *impium & execrandum hominis imaginem quacunque ratione, aut causa efformare*: & ante cap. 25. præmiserat *quis credat pecudum, brutorum. aut ratione utentium animalium numismatis impressas fuisse imagines, quæ idolis colendis facilem aditum patefacerent?* .... & merito omnem imaginem *facere prohibebantur a Domino Ebræi, qui ido-*

XIIII

Pag. 309.





XV

Ibid.





XVI

Pag. 310.





XVII.

Pag. 314.





idololatriæ deditissimi quondam fuerant; imagines namque alia, aut alia ratione factas idololatriæ causas fuisse late confirmat sapiens sap. 14-15. *& seq.* ingenue huic solidæ responsioni acquiescimus ea tamen lege ut deinceps Bellarmini & sequacium imaginum patronorum Strophæ non audiantur vanæque amandentur imaginum permissarum ab idolis prohibitarum distinctiones. Certe Philo legat. ad Cajum declarat imaginem humanam nunquam visam Hierosolymæ, si videretur in saxa stupore mutandos Judæos; ne clypeos quidem absque imaginibus, sed solis inscriptionibus notatos Pilato frustra obnitente admisisse: quin artes ipsas picturæ, & sculpturæ lege Mosis prohiberi lib. de gigantibus, Josephus etiam Antiq. l. 18. c. 4. invehitur in Pilatum clam invehentem signa Cæsaris effigiem habentia εἰκόνων πόιησιν ἀπαγορεύοντος ἡμιν τοῦ νομου: hinc de vita sua se missum refert ad dirvendum quoddam Herodis palatium, quod animalium formis esset exornatum legibus id prohibentibus, & vix absolvit Salomonem ob boves maris ænei, & leones throni Ant. l. 8. c. 2. Si quæ tamen imagines olim concessæ fuerunt, proculdubio fuerunt illæ, quæ mere civiles erant, atque ad prophanos usus duntaxat destinabantur; hinc præter imagines a legis auctore qui ipsi exceptiones apponere potuit, puta serpentem æneum, Cherubinos, boves maris ænei, Israelitæ habuerunt in throno ipsius Salomonis Leones, & Nehemias *fontem draconis* commemorat 2-13. ab aliqua effigie draconis ad ornamentum ejus apposita. R. Benjamin in suo tenerario describendo superbum Ezechielis prophetæ sepulchrum testatur quod יכניה וכל הבאים עמו חקוקים בכותל יכניה בראש יחזקאל בסוף *Jechonias; omnesque qui eum comitati sunt in pariete sculpti visuntur; Jechonias in primo loco Ezechiel in ultimo* sed puto nomina insculpta dumtaxat esse intelligenda; cum ibidem dicatur Jechonias triginta quinque mille comites habuisse, vix enim eorum nominibus excipiendis vastissimum monimentum potuit sufficere; quidquid sit non omnes aversantur Judæi effigies in vulgari usu, hinc superstitiosi satis hodie licet non aversantur in nummis imagines, & Ludovicos aureos, & argenteos ducatones sat avide excipiunt, habent etiam ad ædium ornamentum varias effigies; neque propterea a majorum moribus recessisse existimandi sunt, cum in beresc. rab. sect. 39. hanc traditionem, legamus a R. Mose ben Neckman, circa trecentesimum a Christo annum, a majoribus suis acceptam: ר׳ ברכיה בשם ר׳ חלבו אמר שיצא מוניטון שלו בעולם.

בעולם ארבעה הם שיצא להם מוניטון בעולם אברהם ואעשך לגוי גדול יצא לו מונטון׳ ומהו מוניטון שלו זקן וזקנה מיכן בחור ובתולה מיכן יהושע ׳ויהי יי׳ את יהושע ויהי שמעו בכל הארץ יצא לו מוניטון בעולם מהו שור מיכן וראם מיכן על שם בכור שורו הדר לו וקרני ראם קרניו׳ דוד ויצא שם דוד בכל הארצות ׳יצא לו מוניטון בעולם ׳ומה היה מוניטון שלו מקל ותרמיל מיכן ומגדל מיכן על שם כמגדל דוד צוארך׳ מרדכי׳כי גדול מרדכי בבירת המלך ושמעו הולך בכל המדינות ׳יצא לו מוניטון ומהון מוניטון שלו שק ואפר מיכן ועטרת זהב מיכן׃ 1. *R. Berachias nomine R. Helbo dixit quatuor esse quorum moneta exiit per orbem terrarum, quatuor autem illi quorum exiit moneta per orbem sunt Abraham* (secundum gen. 12-2.) *faciam te gentem magnam, exiit ab eo moneta, quænam moneta ejus? vetulus & vetula ab una parte; juvenis & juvencula ab altera. Josua* (secundum 6-27.) *& fuit Deus cum Josua, & fama ejus per universam terram; exiit moneta ejus per totum orbem, qualis? bos in una facie, & unicornis in altera (unde* Deut. 33-17.) *ut primogeniti taurorum decor ejus, & cornua ejus sunt unicornis. David* (de quo legitur 1. Chron. 14-17.) *disseminata est fama Davidis per omnes terras, disseminavit etiam monetam per totum orbem; qualis autem erat moneta ejus? baculus & pera hinc, illinc turris, unde* (Cantic. 4-4.) *ut turris David collum tuum. Mardochæus de quo* (Esth. 9-4.) *magnus fuit Mardochæus in aula regis, & fama ejus penetravit in omnes urbes; exiit etiam ab eo moneta; qualis autem ejus moneta? & saccus & pulvis hinc, & Corona aurea illinc,* Ex hac antiquissima traditione patet vetustissimos Judæos a nummis speciem humanam, aut brutam exhibentibus non fuisse alienos; cum tales Abrahamo, & Josuæ tribuere non vereantur. Quin legimus in bamidbar rab. sect. 2. Israelitas de Ægypto per desertum tendentes in Chananitidem agminatim incessisse, & unamquamque tribum sua peculiaria habuisse vexilla eo colore tincta, quo lapis pretiosus, cui nomen ejus inscriptum fuit in pectorali, pollebat, cum diversis insuper symbolis: sic referunt Judam habuisse *leonem*, & Issacarem in suo vexillo habuisse *solem* & *lunam* quia legitur novisse *sapientiam temporum* 1. Chronicor. 12-32. Danem *serpentem*, quia Gen. 49-17. *Dan serpens in itinere* & Nephthalim *Cervam*, quia Gen. 49-24. comparatur *Cervæ emissæ*: Gadem *exercitum integrum* quia Gen. 49-19. *turma turmatim agredietur eum*; Ephrainum *bovem*, quia *Decor ejus ut primogeniti taurorum* Deut. 33-17 ob Josuam ex ejus tribu ortum: Manassem, *unicornem* ibid. & *Cornua eius ut unicornis* & ob Gedeo-

nem;

nem; Benjaminem *Lupum* Gen. 49-27. *Benjamin Lupus discerpet* &: Rubenem denique *mandragoras*, quas scilicet invenisse legimus Gen. 30-14. alias *imaginem hominis*; facilis autem Conciliatio, cum in illum locum testetur R. Aben Esra, quod הם על צורת בן אדם כי יש להם דמות ראש וידי *figura earum sit similis homini, & habeant quamdam speciem Capitis, & manuum*: hinc duodecim illæ tribus in quatuor agmina redactæ quatuor præcipua vexilla præ se tulerunt de quibus sic compendiose Aben Esra in Num. 2-2. קדמינינו אמרו שהיה בדגל ראובן צורת אדם מכח דרש דודאים ובדגל יהודה צורת אריה כי בו המשלו יעקב ובדגל אפרים צורת שור מטעם בכור שורו ובדגל דן צורת נשר עד שידמו לכרובים שראה יחזקאל הנביא: *Veteres nostri dixerunt quod erat in vexillo Rubenis figura hominis ob mandragoras, quas quæsivit & in vexillo Judæ figura leonis, quia sub illius nomine principem eum constituit Jacob: & in vexillo Ephraimi figura tauri quia designatus primogenito tauri: & in vexillo Danis aquila; quo similes essent cherubinis quos vidit Ezechiel propheta* & Dani Serpens antea datus fuerat; sed duplici symbolo gaudet & cum agmini trium tribuum præest, ipsi Aquila constanter assignatur, & comparatio cum Cherubinis instituta illam necessario requirit; quatuor enim diversas facies exhibebant nempe Leonis, hominis, tauri, & Aquilæ; illam autem comparationem, ut Aben Esra, cæteri Rabini instituunt urgentque quemadmodum Nechmanides in loc. cit. bamidbac. raba etiam, Jacobus Leonitius Ebræus tractatu singulari *de Cherubinis*, & innumeri alii; pertinet autem ad confirmationem sententiæ imagines in nummis constituentis, cum has ipsas imagines quas in signis & vexillis extitisse volunt, non fuerint promiscuæ imagines, sed symbolicæ quæ respectum quendam ad cælestia habebant: scilicet Cherubini quatuor prædictis faciebus præditi, ut in omnes partes ita semper spectantes prompte, & absque ulla vel minimæ conversionis mora, quo juberentur, illico tenderent, ad Dei in medio eorum insidentis nutum dirigerentur, exemplar erunt ecclesiæ Israeliticæ circa tabernaculum, & arcam Dei etiam sedem dispositæ in quatuor agmina easdem habentia facies in suis vexillis, atque a divino nutu similiter pendentia; quin ad nos etiam pertinent symbola illa Cherubinorum, & Israelitarum vexilla; ita ut dicere hoc respectu etiam liceat legem habuisse umbram; veram imaginem esse nunc in ecclesia Christiana, & veritatem constitutam in cœlis; quandoquidem

ecclesiæ Christianæ Apostoli sunt signiferi, & eadem symbola in suis scriptis spectanda præbent; ut enim ipsis S. Hieronymi procemio in S. Matthæum verbis utar : *prima hominis facies Matthæum significat, qui quasi de homine exorsus est scribere : Liber generationis J. C. filii David: & secunda Marcum, in qua vox Leonis in eremo rugientis auditur : vox clamantis in deserto parate viam domini : tertia vituli, quæ Evangelistam Lucam a Zacharia sacerdote sumpsisse initium, præfigurat* vitulus nempe videtur ad sacrificia natus. *Quarta Joannem Evangelistam qui assumptis pennis aquilæ, & ad altiora festinans de verbo Dei disputat* &c. quin quatuor eadem illa animalia circa Dei thronum representantur a S. Joanne Apoc. 4-7. ut Symbola illustria ecclesiam semper designantia sive sub lege, sive sub gratia, sive in gloria cælesti. Itaque nummi qui in testimonium antiquitatis literarum hodiernarum textus biblici exhibentur, non sunt omnino contemnendi, & imagines civiles quas continent, non sunt certa reprobationis indicia, secundum sententiam ipsorum Judæorum, qui agnoscunt symbolicas imagines ad cælestia propius accedentes licitas, modo ab omni cultu, & religionis usu alienæ essent; neque ad conciliationem horum exemplorum cum oppositis Philonis & Josephi testimoniis, licet existimare Judæos ob idololatriam suam gravissimis plagis afflictos; illam deinceps ita aversatos fuisse, ut a licitis etiam sibi caverent : nam constat sapientes eorum probe distinxisse inter ea quæ ad cultum religiosum spectabant, eas imagines enim nunquam patiebantur, eaque quæ ad usum civilem & ornamentum licite fieri poterant: hinc hoc statutum in sulchan aruch *Jore dea* cap. 142. §. 14. מרחץ שיש בה אלילים מותר לרחוץ בה מפני שהיא נעשית לשם נוי ולא לעבודה *Lavacrum in quo sunt idola, licitum est, & in eo potest quivis lavari propterea quod ornatus gratia facta sint, non ad cultum* hinc in Evangelio Judæi habent nummos imagine Cæsaris signatos : itaque nihil impedit quominus ipsi antea cuderint, cum excipiant duntaxat effigies protuberantes post addictos superstitioni exuberanti animos: producti igitur nummi in gratiam oppositæ sententiæ cum illis non sunt ullo modo comparandi.

Mitto Mosis nummum cum cornuta ejus facie hic excusum, quia supponit errorem intolerabilem nempe קרן Exod. 3429. significare *cornu* cum metaphorice significet *splendorem*, sive *gloriam* 2. Cor. 3-7. unde optime 70. *δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ. glori-*

rificatus est aspectus cutis faciei suæ &c. nempe ex ejus facie radii emicabant, ut erumpunt ex capitibus animalium cornua; sic alii interpretes. Aquila tamen, & post ipsum S. Hieronymus cornutam habuisse faciem dixerunt: sed hoc cornu robur & decus est intelligendum, ut patet comment. in Amos 7. apage igitur nummum, quem abominarentur Judæi, quia in speciem diaboli Mosis decus converteret.

Paucis infringendum nunc rationes a consensu Judæorum petitas robur; mirum quidem prima fronte videtur ullos ex gente illa ad pervicaciam usque conservationi paternarum traditionum, & consuetudinum deditos, in animum inducere potuisse, quod Esdras, & synagogæ magnæ sanctissimi proceres, primorum Patriarcharum, imo Dei ipsius, quoniam propria manu tabulas legis inscripserat, literas sponte abjecerint, Cuthæisque concesserint, ut prophanas ab idololatris Babyloniis mutuarentur, nisi insuperabilis vis evidentissimæ veritatis ad illam sententiam invitos etiam, ac reluctantes pertraxisset: verum egregie hallucenaretur, qui putaret Judæos rectum rationis tramitem, aut convenientes institutis suis sententias prætulisse; cæco contradicendi impetu sæpissime abripiuntur, vel fallaci blandientis gloriolæ specie decipiuntur, hic illecebris captos deprehendimus; nempe viderunt suam, post captivitatis exitum, restaurationem sub forma novæ creationis repræsentari, atque omnia tunc fore nova prædici: hæc vaticinia ad literas suas etiam extenderunt quidam Judæi, & ad legem iis constantem, atque inter eos auctor libri 4. qui sub Esdræ nomine inter Apocryphos refertur; nam cap. 4-23. dicit legem esse penitus abolitam, & ejus mandata sive *dispositiones scriptas nullibi esse*, & 14 2. *positum est seculum in tenebris, & qui inhabitant in eo sine lumine: quoniam lex tua incensa est; propter quod nemo scit quæ a te facta sunt, vel quæ incipient opera* &c. perire enim debuerunt literæ cum lege, si tota periit, & nihil ex ea reliquum factum est: quo autem exitium illud fuit majus, illustriorem fore liberationem arbitrantur; hinc Mosem legis auctorem æquari ab Esdra volunt, & illam de novo in integrum miraculose hunc restituisse, ut postea ibid. refertur, & antea vidimus; amant igitur totalem legis abolitionem falso præsuponere, ut totalem ejus restaurationem magnificent, & idcirco ipsarum literarum avitarum jacturam in lucro ponunt illamque inepto vanæ gloriæ desiderio persuadere sategerunt, illi tamen non sunt magno numero, & plurimi incauti videntur in sen-

tentia illa jacere, qui ab illa alienissimi sunt: scilicet hodiernam scripturam Bibliorum vocant כְּתַב אֲשׁוּרִי *scripturam Aschuri*, sive ut arbitrantur *Assyriam*; literæ etiam אֲשׁוּרִיּוֹת *aschurioth* dicuntur & *Assyriacas* sive *Chaldaicas* exponunt: sed minime ad mentem autorum, licet verba eum sensum habere possint; nam possunt alterum etiam habere, quem celebriores Judæi præferunt: nempe אֲשׁוּר *Assyrium* significat, & *beatum*; & hoc ultimo sensu scripturam librorum sacrorum אֲשׁוּרִית *achourit* dicunt, quia illam beatam, & literas ejus beatas ducunt, quod cæteris eas prætulerit Deus ad describendam legem; sic mentem suam Maimonides in comment. suo ad mischnaioth הכתב אשר בה כתב יתב׳ התורה נקרא אשורי מן הגדולה והתפארת כמו באשורי כי אשרוני בנות והאומרים אשורי שהוא מאושר שבכתב: *scriptura qua benedicendus scripsit legem vocatur Aschouri propter magestatem, & gloriam sicut* (Gen. 30-13. Lea ejus *in Ascheri. j. felicitate mea Ischerouni. j. beatam me prædicabunt filiæ; unde dicunt aschouri, id est beatissima inter scripturas.* quin nonnulli dicunt etiam sic dici potuisse: יצא עמנו מאשור *quia egressa est nobiscum ex Assyria*; verum non intelligunt, *eo egressu*, postremum, post captivitatem tempore Esdræ; sed primum cum ex Ure Chaldæorum eduxit Deus Abrahamum; hinc dicunt illa Assyria scriptura exaratas legis tabulas, quæ in arca asseruabantur; videntur autem antiquiores Judæi ambiguas illas loquutiones studiose affectavisse, ut alienigenis imponerent, & persuaderent eis hodiernam scripturam non esse primam & a Deo datam, quo Samaritanam exquirerent, eaque contenti negligerent alteram, quam peculiarem sibi conservari exoptabant; quo subtili artificio quosdam suorum simpliciores forsitan etiam decipere potuerunt: sed quod præcipuum est, revera mutatio contigit in scriptura post reditum e captivitate, & ab Esdra facta est, & literæ hodiernæ Judæorum ex Assyria venerunt in locum earum que antea in Israelitarum patria obtinebant; quia abductis in captivitatem Israelitis, & paulo post Judæis fere omnibus, Cuthæi & alii novi coloni suas literas, quæ Chaldaicæ, vel proxime ad Chaldaicas accedentes erant, Samaritanæque a metropoli Samaria dicebantur, in Chananitidem attulerant, & quia Domini, potentioresque erant, potuerunt miseras Judæorum, & Israelitarum reliquias ipsa commercii necessitate ad usum earum etiam adigere, ita ut avitas sensim dedidicerint; atque redux Esdras has avitas literas secum e Babylone afferens vere in u-

sum,

ſum reſtituit de novo, & quodam modo Babylonicas, & recentes in locum præcedentium quibus multi Iſraelitæ, & Judæi Samaritanis permixti utebantur: qui accurate hos diverſos eventus non diſtingunt, non capiunt Rabinorum verba, longiſſimeque ab eorum ſententia diſcedunt, cum ad illam ſatagunt accedere, idemque uni aut alteriæ Judæo fatuo gloriæ imaginariæ fulgore occæcato etiam accidiſſe non mirum eſt, neque propterea hi imprudenti ſuo diſſenſu unanimem cæterorum ſententiam valent convellere, ut non ſemel ratiocinatione artificioſe compoſita celeberr. Capellus conatus eſt perſuadere, quin viri in Rabinorum ſcriptis probe verſati norunt eos affectare non raro diſſidia, & in partes oppoſitas dividi, ad exercenda diſcipulorum ſuorum ingenia, & inſtruendos eos argumentis in utramque partem paratis, ne improviſis objectionibus unquam perturbentur ſic perpetua leguntur diſſidia inter Hillelem, & Schammai atque inter eorum diſcipulos; quamobrem ſuffragia eorum ex ratione comitante totum ſuum mutuantur pondus, oppoſitis minime nocent, niſi rationibus ſuperent, conſtat autem numero ſimul & ratione longe ſuperare ea, quæ in ſententiæ noſtræ confirmationem feruntur, ut luculenter probavit eruditiſſ. Buxtorfius, æquo judici patebit poſt lectam ſuper hoc argumento ejus diſſertationem: interea abunde ſufficiunt præcedentes obſervationes ad concludendum literis Samaritanis minime debere primatum.

CAP. X.

De Literis Ebræis, probaturque omnium eſſe antiquiſſimas.

EXcluſis a principatu cæteris omnium gentium Literis in certam victoriæ ſpem eriguntur Judæorum Literæ Hodiernæ quæ ab Ebero Ebrææ nuncupantur, quia ab ipſo cum lingua ipſius acceptas religioſe conſervaverunt Judæi ut ſacri ſui fœderis, & myſteriorum ſuorum teſtes per omnia ſecula eſſent: ne tamen victoria tanta ullo ſplendoris, aut gloriæ ornamento careat, ſed contra ab omni parte tota fulgeat, demonſtrare convenit non ſola Linguarum contendentium ignobilitate, aut ignavia; ſed innata dignitate, & præſtantia, exi-

mium illud decus obtinuisse. Primum argumentum petetur a nominibus Literarum Ebræarum, quæ Ebræa sunt; licet quidam non negent dici posse Chaldaica ob origines quorumdam in Libris sacris (qui omnes Linguæ Ebrææ reliquias conservant) non inventas; & in Lingua Chaldaica dumtaxat superstites sed multæ origines aliorum vocabulorum in Linguis vicinis etiam inveniuntur quæ minime impediunt quin vocabula æstimentur Ebræa: imo has ipsas origines jure postliminii Linguæ Ebrææ esse restituendas, cum ejus genio, & nativis vocibus apprime conveniant, æquis rerum æstimatoribus justissimum videbitur: quod ad nomina Literarum spectat, vel inde patet Ebræa censeri debere quod rem quam significant aliquo modo adumbrent pro Linguæ sensuum copia abundantis, & nihil absque ratione aliqua admittentis genio, & peculiari inter omnes alias privilegio; præterea ut Chaldaica fiant illa nomina quædam Literæ, & א præcipuè iis debent super-addi; nam א *aleph* primum elementum dicitur אָלֶף. a Chaldæis אַלְפָא. scilicet Ebræis אַלּוּף *doctor* dicitur, & a primo illo elemento omnes doctores inceperunt, & omnis doctrina originem ducit: eodem fere nomine nuncupatur *bos* dux gregis cujus instar gregem Literarum ducit; sic de bove Virgilius Æneid. l. 12. Vs. 716.

Cum duo conversis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri
Stat pecus omne metu mutum, mussantque invencæ,
Quis *pecori imperitet, quem tota armenta sequantur*

Quin volunt adumbrationem illius animalis in hujus Literæ lineamentis, & caput priori parti imminens, caudamque sursum projectam non obscure circumspici; frustra quicquam tale in aliarum gentium Literis quæreretur: eadem nomina habent, sed figura nullius rei index, & nomen ne minimum quidem ullius sensus exhibet vestigium; exemplum sit hoc nomen cujus Græci non erubuerunt habere originem, cum satagerent omnium artium, scientiarumque suas in Græcia habere origines; itaque tentarunt deducere ab ἀλφω I. *invenio*, quia omnium Literarum prima est inventa; aut *commento*, quia licet prima suum gradum non dedignetur communicare cum aliis omnibus, & vicissim earum sedes etiam amat occupare: unde Ætymologicum magnum sic opus suum incipit Αλφα τὸ ϛοιχεῖον παρὰ τὸ ἀλφῶ τὸ εὑρίσκω; πρῶτον γὰρ τῶν ἄλλων ϛοιχείων εὑρέθη. ἢ ἀπὸ τοῦ κατὰ ἀμοι-

βὰς

βὰς πολιτεύεσθαι; ἄλφειν γὰρ τὸ ἀμείβειν *alpha elementum, ab alpho invenio; primum enim cæterorum elementorum inventum est: vel ab eo quod per vices regat; nam alphein significat etiam alternare:* merito dicit *alpha* primum fuisse inventum, formatur enim simplici oris apertione, & clausum initio os fuisse, volunt seduli naturæ indagatores qui observarunt infantes in utero materno aquis ita innatare, ut si os aperirent, illico suffocarentur: hinc ἀΐειν *audire* quod *a* primus sonus fuerit, & ob eandem rationem ᾄδειν, αὐλεῖν, & ἀλαλάζειν formata vult Lamprias apud Plutarchum sympos. l. 9. q. 2. sane infans nascendo os aperit, & primum quæstibus suis format elementum; sed multa debuerunt inveniri ante primum partum: altera origo est ineptior, omnes enim literæ ob alternationem illam, & cum *a* sedis mutatione æquali jure alpha dicerentur; verisimilius est ἄλφω quasi ἀλέφω ab *aleph* per syncopem factum; Græcos ipsos habemus consentientes, & agnoscentes ingenue Alpha suum esse ab oriente petitum, ita enim apud Plutarchum Lib. cit. Ammonius φασὶ τὸ ἄλφα πάντων προτάξαι, διὰ τὸ φοίνικας οὕτω καλεῖν τὸν βοῦν, οὐ δεύτερον, οὐδὲ τρίτον ὥσπερ Ἡσίοδος, ἀλλὰ πρῶτον τίθεσθαι τῶν ἀναγκαίων *ferunt ideo Alpha primam Literarum positam, quod bos ita Phænicum Lingua dicatur, quem non secundum, neque tertium (ut Hesiodus) sed primum inter res necessarias existimant.* Sic Hesychius, ἄλφα, βόος, κεφαλή *alpha, bos, caput*; & Suidas: ἄλφα φωνὴ τοῦ πρώτου στοιχείου, καὶ ἄρχοντος, ἀπὸ τοῦ ἄλεφ ἑβραΐου τὴν ἐπίκλησιν ἔλαβεν *alpha nomen primi elementi, & principis ab Aleph Ebræo denominationem obtinuit.* frustra apud alias gentes quæres Literarum origines, cum eas ne ipsæ tentarint invenire.

ב. 2. בֵּית *Beth* Chaldæis בֵּיתָא significat *domum*, & volunt convenire figuram significationi, cum tres lineæ superior, inferior, & ascendens pavimentum, parietes, & tectum cum patenti janua exhibere videantur; hic Græci silent, & quod mussitent non inveniunt neque alii.

ג. 3. גִּימֶל *Gimel*, *retributionem* significat, & capite prominente, dorsoque gibboso cum camelo observant habere quamdam affinitatem, qui a retributione etiam גָּמָל dicitur quia injuriarum memor nullam ultionis prætermittit occasionem: hic Græci in sua commoda semper intenti clamant apud Ætymologicum magnum Γαμα τὸ στοιχεῖον παρὰ τὸ ἀμᾶν τὴν γῆν ἤτοι θερίζειν δρεπανῶδες γάρ ἐστιν ὧ καὶ ὁ τύπος

τοῦ

τ῀ γράμματος ὅμοιός ἐστι. *Gama litera ab aman demetere terram, & abscindere falcis instar, cui etiam forma Literæ similis est* : sed satis mira videri debet hæc Literæ origo, in qua una tantum Litera originis suæ extat; præterea Gama scribitur ut ad aman propius accedat, cum soleat scribi Gamma, itaque tota hæc conjectura uni figuræ innititur sat rudi, & tantum insuper convenienti, cum majori forma Literæ scribendæ sunt; similia deliramenta sponte corruunt.

ד. 4. דָּלֶד *Daleth janua* nuncupatur, quia patens est tota ab anteriori latere.

ה. 5. הֵא *He. ecce*, a sono ad demonstrationem Composito.

ו. 6. וָאו *Vau uncinus*; nempe clavi ad variam supellectilem sustinendam formati figuram habet; usurpatur eo sensu Ex. 27-10. & sic describitur convenienter ejus nomini a R. Salomone Jarchio ad illum locum his verbis : ואו ראשו זקוף למעלה וראשו תקוע בעמוד עושין כאותן שעושין להציב דלתות שקין גונ״זיש *Vau extermitas ejus una est elevata in altum, & altera extremitas infixa columnæ, talia sunt quæ faciunt ad sustinendas januas, & vocant vernacule, sive gall ce gonnets.*

ז. 7. זַיִן *Zain jaculum*, a figura, caput enim crassius habet, & altera pars vergit in acumen, ut jacula formantur.

ח. 8. חֵית *Cheth, animal*, ob formam, in qua umbra animalis in duabus Lineis duos pedum ordines, & Linea superior extensam corporis longitudinem exhibet; vel a sono proprio.

ט. 9. טֵית *Thet declinatio*, ob formam omnes declinationes continentem, Linea enim qua componitur incipiendo descendit, post declinat; ad oppositam partem, e qua assurgit in altum, & demum suum repetit proprium.

י. 10. יוֹד *Jod* quasi *jad manus*, quam incurvam exhibet ut Litera potest.

כ. 11. כַּף *Kaph, vola* manus, ejus concavitate designata.

ל. 12. לָמֶד *Lamed, Stimulus* quo urgentur boves, quemque graphice representat.

מ. 13. מֵם *Mem*. a מוּם moum vitium, forsan ob figuram undique pene, & aliquando etiam omnino, clausam; quia latitat hypocrysis, & scelera amant latibula, unde *opera tenebrarum* dicuntur.

נ. 14. נוּן *Nun infans*; nempe infans rectus stare nequit, & succumbentes sub corporis onere partes, & proprio pondere fatiscens caput curvam faciunt figuram; imo in nutricum ipsarum ulnis semper

per incuruati cernuntur licet latera variis involucris firmentur.

ס. 15. סָמֶךְ *Samek. Cohærens*, ſibi enim undique una omnium literarum ſemper cohæret.

ע. 16. עַיִן *Gnain. oculi* quos binis Lineis non tantum repræſentat, ſed ſimul nervum bifidum qui externa viſus organa intra coadunat, ne objecta multiplicentur.

פ. 17. פֶּה *Peh os*, quod ſuis circumdatum labiis, & ſuam continens linguam exhibet.

צ. 18. צָדֵי *Tſade*, *Hamus*, aut, *furca*; bifidum enim eſt, & contortam habet caudam, ut hami ad retinendam prædam.

ק. 19. קוֹף *Koph*, *Simia*, nempe hoc animal incurvatum ſedet, & protenſam habet caudam ante ſe.

ר. 20. רֵאשׁ *Reſch* quaſi רְאָשָׁה *Reaſcha capitoſum* ingenti enim capite prædita hæc Litera, & reliquum corpus tenue eſt.

ש. 21. שִׁין *Schin. Dens*, nempe molaris, cum triplici radice.

ת. 22. תָּו *Thau Signum*, & *terminus*, quia hoc ſigno totum terminatur Ebræorum alphabetum de eo ſupra.

Nullus dubito, quin hæ imagines, ſignificationeſque Ebræarum Literarum multis tenues, ac contemptibiles etiam videantur; ſed quis uno aut altero lineamento rem ullam nativis ſuis coloribus valeret deſignare; Literæ ſunt ſeu nuda elementa quæ inter cæteras nationes nihil repræſentant, aut ſignificant, nequidem Sinenſibus, quæ vario lineamentorum ductu conſtant, exceptis; tota enim earum vis, atque facultas a ſolo auctorum inſtituto pendet; contra exigui Ebræorum apices non carent ſenſu, & res varias non obſcure indicant: id ſane admirabile; & fæcundiſſimam divini auctoris demonſtrat ſapientiam, quæ in minimis ſibi non deeſt, ſed etiam magnifice fulget, & longe adhuc magnificentius fulgens appareret, ſi oculi noſtri perſpicaciores eſſent, latentemque in tenuiſſimis illis imaginibus vim ejus aſſequi valerent; ſed quantacunque noſtris debilibus oculis tenuis videatur, ſufficit ad decernendum Ebræis Literis principatum; cum cæteras alias eodem modo minime voluerit illuſtrare: quin ſolum nomen, & ſola figura *Vau* ſufficit ad confirmandum immutatas manſiſſe Literarum Ebræarum formas cum uncinos perfecte referat *Vau* Ebræum; unde in Thalmude Hieros megilla cap. 1. כתב אשורי ניתנה תורה מטעמא ווי העמודים ווים של תורה דומים לעמודים *ſcriptura Aſſyria data eſt Lex; quæ ratio id probat? vavim dicuntur uncini co-*

 lumnæ-

lumnarum (Exod. 27-10.) *vavim. ſimiles ſunt Columnis &c.* ſcilicet ut in gemara R. Simeon filius Eleazar, & Eleazar filius peratæ מה עמודים : לא נשתנו אף ווים לא נשתנו. *quanam ratio columnarum? non mutantur; & conſequenter neque etiam mutantur vavim ſive uncini*, & caput incurvum ad impoſitum onus ſuſtinendum habere debent. Alterum argumentum ſuppeditabit uniuſcujuſque literæ Ebrææ forma, quia ſimplex eſt, & *quadrata*; nulla autem forma primis ſcripturæ elementis convenientior tribui potuit, & conſequenter a ſapientiſſimo omnium auctore originem ducere debent illa elementa & prima haberi; ut autem duplici ratione conſtat hoc argumentum, expedit illud bifariam dilatari, & quadraturam Literarum Ebræarum, & poſtea earum ſimplicitatem conſiderare; paucis quadraturæ ratio abſoluetur, quia in nectendis vanis ſpeculationibus tempus non eſt terendum; ſufficiet itaque obſervaſſe partes toti ab ipſis componendo debere perfecte adaptari, & compoſitionem eo eſſe perfectiorem, quo partes ſunt inter ſe conjunctiores: jam vero totum a Literis componendum eſt Linea in longum, & latum porrecta; literæ igitur quadratæ ſunt omnium præſtantiores, quia ad requiſitam Lineæ longitudinem, & latitudinem magis æquabiliter adimplendam ſunt aptiores; tales autem ſunt Ebrææ, excepta enim una aut altera certatim ad æquandam Lineam omnes concurrunt, neque ob ſuam rotunditatem ullos in iis faciunt, ut Latinæ Græcæque & vulgares noſtræ, ſinus aut hiatus inanes: quin primæ Græcorum Literæ erant quadratæ & in vetuſtiſſimis inſcriptionibus inveniuntur [illegible] [illegible]. &c. pro ϑ. o. &c. ut pateat ab illis quadratis ſuam habuiſſe originem & aliquandiu illam formam conſervaſſe: ad ſimplicitatem uno fere ſimplici calami tractu formatam quod attinet, primis Literis convenire nemo poteſt inficiari, cum enim ex pluribus partibus ſimplicibus fiat compoſitio, partes compoſitionem illam conſtituentes, illamque neceſſario antecedentes initio pauciores fuerunt; jam vero comparentur omnia cunctarum gentium alphabetha cum Ebræo, illico patebit omnium eſſe ſimpliciſſimum; quodque obſervatione digniſſimum, omnia illa alphabetha ab Ebræo orta, cum ipſo manifeſtam conſervaſſe ſimilitudinem, & vix aliter quam ineptis additamentis ab ipſo diſcriminari perhibebuntur. Pareret tædium prolixior horum omnium alphabethorum inter ſe comparatio; quamobrem Latinum, Græcum, Ebræum & æmulum ejus Samaritanum breviter inter ſe invicem dumtaxat

taxat comparabimus; quod ſufficiet, quia jure ac merito cæterorum principia ſunt, debentque abſolute æſtimari præſtantiſſima; ſed obſervet Lector comparationem hic fieri ſecundum Literarum in Libris impreſſis uſitatarum formas, quia notiores ſunt; licet non ignoremus veteres in manuſcriptis ſuperſtites eſſe multo ſimiliores; cum poſtrema ſæcula ingentem ipſis intulerint mutationem; unde Dom. de Larroque ſedulus antiquæ eruditionis obſervator ad ingenioſiſſimum hiſtoriæ operum eruditorum auctorem Januar. 1688. ſcribebat eruditis oculis opus eſſe ad diſtinguendas in vetuſtiſſimis manuſcriptis a Græcis Literis Latinas.

Ante omnia autem obſervandum eſt ad agnoſcendam Græcorum Romanorumque characterum, cum aliis convenientiam, debere characteres hos converti in latus oppoſitum ob diverſam eorum ſcribendi rationem; Ebræi enim & Samaritani a dextra ad ſiniſtram, ut Orientales alii ſcribunt: Græci contra, & Romani a ſiniſtra ad dextram, hac enim ratione pars characterum quæ his eſt anterior, illis poſterior eſt, & ſola converſione in ſtatum collationi convenientem poſſunt reduci; unde infeliciter laborarunt qui abſque hac obſervatione omnio neceſſaria collationem illam inſtituerunt, ejus vero ope omnia fauſte, proſpereque cedere videbuntur; modo ſimul in memoriam neceſſariam revocemus diverſitatem eorumdem characterum diverſis ſcriptoribus formatorum, præſertim ſi in diverſis ſeculis vixerint, & imperite ſcripſerint ſæpius oriri.

Samar.	Ebr.	Græc. min.		Lat. min.	
[Samaritan Aleph]	א	Α	α	A	a

Alpha Samaritanum ab Ebræo dumtaxat uno apice ſuperaddito ad latus dextrum, vel potius quem incurvatum habet hoc, illud duobus expreſſit: Græcum autem, & latinum A illum apicem collateralem conſtituerunt tranſverſim in mediam Literam; quod factu facillimum animadvertent ii qui attendent ad minuſculas Græcorum & Latinorum Literas, quæ ex majuſculis, olim dumtaxat in uſu factæ fuerunt, & tamen unum retinent & præterea magis differunt ab illis, quam cæteræ omnes ab Ebræa.

ࠁ ב Β β B b

Beth Samaritanum ab Ebræo differt apice illo in capite ejus superaddito, & forsitan primum quodam redeuntis calami tractu inadvertenter notatus est; ut Latinum & Græcum in contrariam partem conversos suos habent, & in semicirculum reductos: nemo autem inficiari potest, minuscula Latina & Græca a majusculis eorum principiis adhuc magis differre.

ࠂ ג Γ γ G g

Gimel Samaritanum producto superiori apice Ebræi in utramque partem evasit: Græcum conficiens triangulum rectum, cum informi & transversa illa Litera nihil habet commune, sed producto directe superiori Ebraici apice, & conversione facta sensim evasit; Latinum vero, productis superiori inferiorique apicibus, & conversis etiam, factum est: minuscula eorum adhuc magis ab ipsis discrepant quam ipsum ab Ebræo.

ࠃ ד Δ δ D d

Daleth Samaritanum additiones exhibet in singulis suis apicibus, & ab unoquoque etiam latere: adjunctio Lineæ rectæ duas extremitates jungentis, cum aliqua situs mutatione fecit Græcum, & eadem illa Linea in circulum ducta fecit Latinum; omniaque sic immutata minus differunt ab Ebræo, quam a minusculis suis Literis.

ࠄ ה Ε ε E e

He Samaritanum addidit Ebræo apicem in capite, & pro semipede recto duas Lineas ejusdem quantitatis transversas; Græcum, & Latinum similiter cum solita conversione; sed a minusculis suis Literis magis adhuc discrepant.

ꝫ ו Υ υ V v

Vau Samaritanum præter auctum ſuperiorem apicem, & inferiorem detortum vix differt ab Ebræo; Græcum, & Latinum inferiorem ſuam partem verſus ſuperiorem ad eam tendentem convertiſſe paulatim videntur, & tandem in æqualem exaltationem reduxiſſe; ab Ebræo tamen minus differunt, quam ab iis minuſculæ.

ז Ζ ζ Z z

Samaritani in varianda hac Litera magis indulſerunt genio, ſiquidem non contenti, ut antea productione, aut detortione apicum, unum aut alterum addiderunt, qui nihilominus habent non obſcuram cum diverſis Ebræi juncturis affinitatem: difficile etiam fuit Græcis Latiniſque Literam illam referre, & ut tres ejus apices in diverſas partes tendentes manifeſtius deſignarent, prolixiores eos effecerunt; utut autem mutati patent, at in minuſculis ſunt divinandi.

ח Η η H h

Tria hujus Ebrææ Literæ Lineamenta in ſingulis cæterarum gentium characteribus ſatis patent; Samaritani addiderunt ad Latera apices ipſis dilectos, & tranſverſas Lineolas pedis ſiniſtri brevitatem compenſantes: Græci, & Latini ſuperam lineam in medium Literæ detulerunt in majuſculis; quæ omnia in minuſculis vix agnoſcuntur.

ט Θ ϑ

Vix differt hæc Samaritanorum Litera ab Ebræa, & ſuperus apex nullius eſt momenti: Græca magis differt, ſed manifeſtum eſt ad vitandam confuſionem Lineæ in proprium ſinum redeuntis Græcos circulum adhibuiſſe, in quo internam appoſuerunt Lineolam, Latini initio non diſtinguentes aſpiratas a tenuibus hanc Literam neglexerunt & poſtea addito ad T, H ejus defectum ſuppleverunt.

ꝏ י I ι I i

Miratur Scaliger singularem hujus Literæ Samaritanæ figuram & ingenue fatetur nihil habere commune cum cæteris aliis; cum Judaica, Græca, & Latina eædem fere sint, atque non potest divinare unde factum fuerit, ut hæ gentes in ejusdem formæ Literam conspiraverint, rejecta Samaritanorum primigenia, ut putat; sed vel hinc debuit animadvertere revera Samaritanas Literas non esse primigenias, nam vix usu minuuntur principia, sed augeri solent; unde Ebræum jod suam exiguitatem in cæteris quidem conservavit Linguis, & in simplicem dumtaxat lineam rectam ejus curvitas degeneravit, additionibus vero multiplicibus inter Samaritanos auctum est: tanta tamen additio longe superans mutationes in cæteris Literis factas admiratione dignissima est, ejusque originis nulla mihi visa est causa probabilis; sed suspicio aliqua veri specie imbuta suboluit, quam non debeo supprimere: י solitarie scriptum solet designare Deum in scriptis Judæorum, sed sæpe pro uno in antiquis Judæorum scriptis tria etiam adhibebantur semicirculo inclusa aliquando, & aliquando integro circulo, ut notum iis qui libros manuscriptos evoluerunt; unde Galatinus Lib. 2. c. 10. & Kircherus in prodromo Cophtico, aliique inferunt designari tres divinas personas in una essentia existentes; jam vero cum Judæi ament patrum vestigiis insistere, idem mos potuit a prima antiquitate obtinere, & Samaritani observantes י alias solitarium esse, & alias duobus auctum cum semicirculo, potuerunt hanc figuram, simplici rejecta, admittere; *jod* enim Samaritanum nihil aliud est quam tria jod uno semicirculo juncta: meliorem invenient forsan solertiores conjecturam, quam liberter amplectar.

ꝯ כ K κ C c

Præter dilectos Samaritanis apiculos nullum discrimen in his literis, & Ebræi simplicitas evidens ipsi obtinet principatum; Græci videntur primò convertisse pro more; postea utramque formam conjunxisse in unam, & tandem ex ea mixtam quæ inter Latinos simplicitatem perfectam recuperavit.

Ma-

ࠋ ל Λ λ L l

Manifeste ab Ebræa ortum habuit hæc Samaritanorum Litera, quæ protendit dumtaxat in dextram partem basim, cum ventrem ita propendisset Ebræa; Græci conversionibus assuefacti latus in imum transtulerunt, & Latini in priorem formam paulatim fere redegerunt; sed constat Samaritanam minus differre ab Ebræa, quam cæteræ ab illa a qua volunt ortas, & consequenter nihil impedit quin suum Ebrææ debeat ortum.

ࠌ מ Μ μ M m

Tolle a Samaritana apiculos quibus coronatur, Ebræam simplicem habebis; converte in partes inferiores, utramque habebis Græcam & Latinam postquam crassum & multiplex caput in duos pedes diviseris: Earum minusculæ magiis ab ipsis, quam ipsæ a primo exemplari discriminantur.

ࠍ נ Ν ν N n

Sola affectati apiculi additione differt Samaritana ab Ebræa; Græca, & Latina majores apicem superiorem, & inferiorem diviserunt ob crassitiem; minores vero minus differunt a primigeniis, quam a suis matricibus.

ࠎ ס Σ σ S ſ

Macilentum hujus Samaritanæ Literæ Corpus Ebrææ adæquabitur, si quod distrahit in apices ipsi restituatur; conversione sua & deducta in umbilicum linea sinistra Ebraica faciet Græcam, & hæc in sinus rotundos ab anteriori & posteriori parte redacta Latinam: majores ab inferioribus adhuc magis diversæ, quam omnes sunt a prima origine.

Hac

ᐁ ע O

Hac una vice neque aucta, neque ornata apicibus Samaritana, sed tantum adhibuit ad obturandum superum hiatum, caudam Ebrææ inferiorem: Græci neque Latini hanc literam norunt; nisi in O deformasse credantur; quod facillimum, cum quadratam initio habuerit figuram, & eumdem locum in Alphabetho occupet eumdemque sonum, ut vocalis soleat exhibere, quod postea patebit.

ב פ Π π P p

Hæc adhuc simplicior; de simplicitate etiam potest cum Ebræa contendere: habet enim hæc apicem in ventre, quo caret illa; sed eo ipso manifeste videtur exemplar Græcæ, & præsertim Latinæ quæ illam conversam sat graphice exprimunt.

m צ

Sola contortione hæc ab Ebræa differt, & modo duo Ebrææ apices ad latus sinistrum e capite reflectantur, vix discriminabuntur: Græci, & Latini illam ignorant.

ק ק Χ C

Non differunt, & interstitia dumtaxat clausit Samaritana: Græca rotundum apicem in rectum transmutavit, eoque alterum decussavit; Latini rotundo contenti illum dumtaxat converterunt; modo hæ literæ illis omnino respondeant, quod nollem affirmare.

ר ר Ρ ϱ R r

Additus superior apex Literæ Ebrææ a Samaritanis, ut supra in Beth fere simili, & contraria etiam inclinatio ipsi dara; licet nulla proprie inclinatio sit Ebræis literis, & basi suæ recto pede insideant; sed

ſed quia in ſiniſtrum vergit protenſum caput Literæ hujus, verſus ſiniſtrum latus, pes etiam videtur tendere ut ei directe ſubjiciatur: caput illud protenſum duxerunt in rotundum Græci, & Latini qui apicem addiderunt ad diſtinctionem ξ p. hic etiam minores literæ magis differunt a majoribus, quam cæteræ a primigenia.

ש Ξ ξ

Paululum contracti Samaritanæ Literæ apices, quos Græcia converſos a ſuperiori parte in dextram inſuper diſiunxit: Latini vero neglexerunt, & Sc. deſignaverunt hanc Literam.

ת T τ T t

Contorſionibus ſuis abiit a rectudine Ebræi Samaritanum Tau, ut oculis patet; duos pedes ejus in unum redactum Græci, & Latini formarunt, & minora eorum magis differunt ab eis, quam cætera a primo.

Teſtentur oculi poſt accuratam harum omnium Literarum inter ſe comparationem, menſque hoc examine probe inſtructa decretoriam ferat ſententiam; ſecuri ſumus de felici ſucceſſu; patet enim Ebræas eſſe ſimpliciores, rectiores, commodiores, ad complendam Lineam ſuam aptiores, & longe faciliores; cum cæteræ aliæ perplexæ ſint, & diverſis anfractibus impeditæ, præſertim Samaritanæ pleræque quaſi ab imperitis & tremulis manibus factæ, unde vix pluribus calami tractibus poſſunt deſcribi, & Ebrææ omnes uno aut altero ſaltem tractu expedite fiunt; fatentes autem habemus ipſos adverſarios; celeberrimus enim Capellus intendens probare Eſdram, & Judæos Libenter literas hodiernas antiquis, quas Samaritanas fuiſſe putat, prætuliſſe, Aſſyriacas has affirmat eſſe expeditiores, & ταχυγραφίᾳ præſtantiores: unde colligimus eo ipſo primas omnium eſſe exiſtimandas, quandoquidem Deus omnis perfectionis auctor, & primarum literarum dator proculdubio voluit eas omnibus perfectionibus eſſe præditas; quamobrem in peculium etiam eccleſiæ aſſignavit, ut linguæ ſacræ indices, & religionis veræ comites eſſent, donec omnes linguæ & Literæ cultui divino per totum orbem conſecra-

rentur, at non mirum videri debet inter barbaros literas illas degenerasse.

Tertium argumentum ab ipso Literarum Ebræarum ordine pondus mutuatur, omnibus enim fere alphabethis idem est, nullaque mutatio in vicinis saltem Chaldæorum, Syrorum, & Samaritanorum Literis, sed eamdem seriem constanter servant, & nomina etiam cum levi mutatione eadem habent; Græcum alphabetum, Latinumque & vulgaria si unam aut alteram transpositam, aut additam omissamve Literam excipias, eadem omnino sunt, & *abecedaria* nostra etiam, *alphabetha* passim nuncupamus: Arabica, Persica, Æthiopicaque confunduntur quidem, & Literæ diversæ videntur; sed probabile est id consulto factum, & affectatum; neque id ab initio obtinuisse, cum Persæ, & Arabes Literis suis pro notis numeralibus utentes eodem ordine quo Ebræi illas enumerent in certissimum restituti ordinis monumentum, quin iisdem fere nominibus utuntur etiam illi Arabes & Persæ: Æthiopes autem ea sic leviter mutant, dicunt enim *Alph, Bet, Geml, Dent, Hoi, Vau, Zai, Haut, Tait, Jamay, Caf, Lau, Mai, Nai, Saut, Ain, Pait, Tsada, Coph, Res, Saat, Tau.* Nemo est adeo famæ suæ prodigus, ut vellet propugnare Samaritanos vix in regione sua notos, totum terrarum orbem suis Literis replevisse, & ab uno mundi cardine ad oppositum nomina iis a se imposita disseminavisse; nam universus ille tot gentium consensus clamat ordinem illum Literarum, earumque nomina esse a primo rerum exordio, & primariam linguam (quæ confusa licet fuerit Babylone) tam altas tamen jam egisse in hominum animis radices, ut penitus non potuerit extirpari; sed in iis prima principia, & nomina quædam conservaverit, quorum usus frequens ad nos usque pervenit, atque ad novas linguas, literasque excogitandas non parum contulit; ut eorum opera Ebraicam linguam esse primævam agnosceremus, & Israelitas ejus conservatores.

Quartum habent Judæi argumentum magni inter ipsos ponderis; nempe Cabalistæ, quos *divinos* nuncupant, vel חכמי אמת *sapientes veritatis*, seu veros sapientes & העומדי׳ בסוד ה׳ *stantes in Consilio Dei opt. maximi* Literis hodiernis, & earum figuris sublimia assignant mysteria, propugnantque scripturam illam esse mirificam כי צורות אותיותיו אינם בלא כוונה ובמקרה אבל לענין נאות עם המכוון מכל אות ואות *quoniam figuræ Literarum ejus temere, & fortuito non sunt constitutæ sed*

ſed conſulto; *& propter ſignificationem convenientem unicuique a ſingulis Literis intentæ.* & quod : יש בתמונתן בשמותיהן רוחניות וחיות נעלם ואור נכבד נאצל מעצם העליונים ומשתלשל ומתלבש בהן *eſt in figura & nominibus illarum ſpiritualitas, & vita quædam occulta, & Lux glorioſa derivata a ſuperis, & dependens, quæ iis inveſtitur*, verbi gratia obſervant א divinæ unitatis ſymbolum conſtare duobus *jod*, & uno *vau*, quæ ſimul faciunt viginti ſex, ut omnes Literæ nominis tetragrammati יהוה, quo intima divinæ mageſtatis cum unitate conjunctio patet; jod autem ſuperius in eo rectum eſſe, inferius vero obliquum ad indicandum lucem directam, & reflexam in eo adunari; ex jod præterea, alii obſervant cæteras Literas eſſe compoſitas : Chriſtianus adderet tres perſonas in una ſimplici eſſentia non eſſe intolerabiles, cum unitas ipſa tribus completis ſymbolis debeat adumbrari; ſed ad præſens inſtitutum ſufficit Judæos in hodiernis Literis innumera conſtituere myſteria, & figuras earum exiſtimare momentoſas, quo agnoſcamus fixum ratumque eſſe inter eos Literas illas divinitus fuiſſe inſtitutas, neque a prophana Babyloniorum gente mutuatas; nemo autem neſcit a multis ſeculis traditionum paternarum hanc gentem fuiſſe ſtudioſiſſimam, & conſequenter non potuiſſe ignorare ſuarum Literarum recentem permutationem, ſi revera facta fuiſſet illa permutatio, eſſetque ipſa captivitate recentior : id autem eo certius eſt quod ne quidem ignorant interruptum divinarum illarum Literarum uſum dum flagraret captiuitatis Babilonicæ æſtus, & obſervant hanc interruptionem a Prophetis fuiſſe prædictam, ne tanta calamitate obruerentur : ſic enim in Gemara Thalmudis Babylonici tract. Sanhed. cap. 2. R. Juda qui *ſanctus* ſolet nuncupari בתחילה נכתב זה נתנה תורה לישראל כיון שחטאו נהפך להן לרועץ : כיון שחזרו בהן החזירו להן שנא' שבו לבצרון אסורי התקוה גם היום מגיד משנה אשיב לך וגומ׳ *in initio hac ſcriptura Data eſt Lex Iſraelitis; ſed cum peccaverunt verſa eſt ipſis in fracturam* (ſive dolorem ſecundum gloſſatorem qui per tranſpoſitionem ex רועץ facit צוער) *quando autem redierunt ad officium, reſtituit illam ipſis, ſecundum dictum*, Zachar. 9. 12.) *convertimini ad munitionem o vincti ſpei, etiam hodie annuntio vobis me reſtituram vobis duplum*, ſive exemplar legis ſecundum nativam ejus ſcripturam : *fracturam* autem vocat illam ſcripturæ mutationem, quia non fuit ab omnibus facta illa mutatio, ſed a quibuſdam dumtaxat, unde hi fragmentis comparantur, ut pote ab aliis diuiſi, & ſeparati in ſuorum peccatorum

pœnam : verum abjectis per sinceram conversionem peccatis restituendum exemplar legis promittitur , & מִשְׁנֶה nuncupatur a שָׁנָה *iterare*, & *transcribere*, aut *mutare* , ut exemplar illud legis simul significetur conforme primo exemplari , & mutatio in eo facta simul designetur, hinc frustra sunt qui operose probare satagunt Esdram mutasse Literas , quæ tempore captivitatis in usu erant inter Judæos; cum ipsimet Rabini, qui in ea sunt sententia , velint mutationem illam factam a recenti , & in usum civilem admissa scriptura , ad primævam , & antiquissimam , qua Lex primo Data est , & a prima sua origine Assyriaca dicta , quam Assyrii ipsi longo temporis processu mutaverant , & deinceps in pristinam formam restituerunt Chaldaicas scilicet , & Ebraicas recentiores ; quemadmodum cæteræ gentes similiter suas indesinenter immutabant , excepta Israelitica quæ suæ Religionis gratia suos libros sacros , & linguam , & Literas semper præsentes habebat, atque continuo usu recolebat : unde R. Jom Tob in ain Israel cap. I. אין סָפֵק שזה הכתב הנקרא אשורי הוא כתב הקדש שבלוחות *non est dubium quin scriptura dicta Assyria sit ipsa scriptura sancta, quæ fuit in tabulis legis &c.*

Quintum arg. vix possibile est Judæos Linguæ suæ penitus oblitos fuisse Babylone ; licet enim inter Babylonios dispersi suos codices sacros conservare potuerunt , & eos legendo , Liberosque suos docendo vocabula Ebræa , & Literas Ebræas memoriæ firmiter infigere debuerunt ; quin videmus singulos ad legem propriis characteribus describendam fuisse obligatos; imo Esdras, Nehemias, Zacharias , & Malachias suas ad populum admonitiones Ebraice scripserunt; sane Daniel legit scripta Jeremiæ Babylone , & ex iis novit proximam esse Liberationem cap. 9-2. quin ipse Jeremias Ebraice ad Exules scribit cap. 29. & sequentibus Capitibus solatia , & præcepta illis necessaria Ebraice Deus ipse dat quod non fecisset nisi novisset, quod illa legere, & intelligere possent; & quid ni potuissent? eorum ope Cyrus ipse ex scriptis Jesaiæ didicit divinitus se ad imperium mundi, & Judæorum Liberationem esse destinatum ut testatur Josephus Lib. Antiq. 11. cap. I. Licet etiam linguam , & Literas dominorum suorum usurparent, suas non debuerunt negligere penitus; præsertim ob captivitatis brevitatem , quippe quæ ad septuaginta annos dumtaxat provecta est , plurimi enim in Judæa nati & educati illam repetierunt & primæ Templi gloriæ memores fuerunt ; unde

Luctus memorati, ab Eſdra 3-12. non potuerunt igitur natalem Linguam ſæpius in ipſo exilio uſurpatam, teſtibus illis Judæis, quos Ebraice loquentes Suſæ audit Nehemias apud Joſephum Antiq. lib. 2. cap. 5. penitus oblviſci; ſane hodie videmus Judæos ex Hiſpania, & Luſitania aut Gallia oriundos poſt centum & amplius annos linguas illas in familiis ſuis Belgicam aut Germanicam linguam uſurpantibus conſervare; licet illæ linguæ alienæ ipſis vixque ulla emolumenta ipſis præbeant; quanto magis linguam Ebræam & a Babylonia non magnopere diverſam quam ſanctam & ad Religionem pertinentem judicarunt, conſervaſſe exiſtimandi ſunt, cum ejus Literis; præſertim quia certo ſciebant ſe patriæ & Religioni ſuæ tandem reſtituendos: quin cum Iſraelitis longe diuturniori captivitate in extremum ſeptentrionem abductis, Judæi exules commercia exercuerunt, & id colligunt ex Eſdræ 8-17. quo patet illum quoſdam Iſraelitas e *Caſpia* in ditione *Caſpiorum* populorum, qui *mare Caſpium* denominarunt, ſita convocaſſe, ut conceſſa Judæis Libertate fruerentur; quod abſque patriæ Linguæ conſervatione non potuiſſent peragere; quandoquidem diverſas in regionibus diſſitis linguas diſcere debuerant, & patriam linguam non niſi ſedulo ſtudio valuerunt conſervare.

6. Arg. fundatur J. C. verbis Matth. 5-18. *amen quippe dico vobis, donec prætereat cælum & terra jota* (Syrus Jod) *unum, aut unus apex non præteribit a lege* & ſenſus eſt incorruptibilia quæque ante interitui fore obnoxia, quam ulla mutatio legi accidat; mutationem autem a lege alienam non in ſententiarum pondere, aut in conſtantiſſimis juris divini conſtitutionibus dumtaxat eſſe ſitam affirmat, ſed in minima etiam legis literula, quam orientales *jod*, Græci *jota* vocant; imo in minimo hujus Literæ apice; minima enim licet ſit apices ſuos habet; *apex* ſiquidem, aut κεραία eſt γράμματος ἄκρον *Literæ extremitas*: jam vero ſi minimus legis apex cœlo terraque firmior eſt, & Conſtantiſſimæ hæ univerſi partes corruere debeant, antequam vel minimus apicum quibus conſtant omnes legis Literæ tranſeat; cum cœlum terraque conſtanter permaneant, neque ulli coruptioni hactenus patuerint, nullæ legis Literæ perire potuerunt, & conſequenter omnes ſimul abjectæ non ſunt, ita ut Chaldaicis ceſſerint, & nulla earum in lege ſuperſtes remanſerit; contra, ut verbis utar Philonis lib. 2. de vita Moſis divina illa lex βέβαια, ἀσάλευτα, ἀκράδαντα, καθάπερ σφραγῖσι φύσεως αὐτῆς σεσημασμένα μένει παγίως

ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐγράφη μέχρι νῦν, καὶ πρὸς τὸν ἔπειτα πάντα διαμενεῖν ἐλπὶς αὐτὰ αἰῶνα ὥσπερ ἀθάνατα, ἕως ἂν ἥλιος καὶ σελήνη καὶ ὁ σύμπας οὐρανός τε καὶ κόσμος ᾖ firma, immobilis, inconcussa, tanquam obsignata naturæ ipsius sigillis manet, ex quo scripta est, in hodiernum usque diem, & spes est mansuram per omnia secula immortalem, donec sol, luna cælum, totusque mundus manebit &c. hæcque sententia pertinet ad fidem; nam octavus fidei Judæorum articulus legis æternitatem, & immutabilitatem complectitur, unde R. J. Abrabanel rose. Amoniah Capit. 13. quo objectionibus variis satagit satisfacere concludit his verbis הנה התבאר מכל זה שהתורה האלהית אשר בידינו היא נצחית וא"א שתשתנה ותתצלף וזהו מה שרציתי לבאר *ecce perspicuum est ex his omnibus quod Lex divina quæ in manibus nostris est æterna, neque possibile est ut mutetur, aut ullo modo varietur, quod voluimus exponere:* hæc quidem æterna immutabilitas imprimis spectat substantiam præceptorum, sed accidentia substantiæ annexa ejus participant dignitatem, neque omnimode Lex videretur immutabilis si Literis suis genuinis potuisset spoliari: minime etiam consequentia opus est, cum absolute ne minimam quidem ejus literam excidere posse, antequam cœlum ipsum corruat, affirmetur. observandum præterea inter Literas ad legem pertinentes manifeste *jod* hodiernum designasse, cum sit cæterarum literarum minima, & debuerit olim etiam fuisse: quia proverbialiter loquitur Christus, & in solitum exiguitatis minimæ exemplum eam adduci solere testatur; *jod* vero Samaritanum ingens est, nullisque literis quoad molem cedit; id autem novum suppetit argumentum ad probandum Samaritanas Literas non esse primigenias, si quidem linguæ a primigeniis proxime ortæ molem Jod Samaritani non imitantur; sed exiguitatem Ebraici, ut Græca, Latina, Syriaca Arabica, aliæque, ita ut sola Samaritana a norma cæterarum ob ignotam rationem recedere affectaverit; quod merito miratur Scaliger, sed magis mirum ex manifesto illo judicio solertissimum illum virum non collegisse, cæteris antiquarum gentium Alphabethis Samaritanum exemplar minime fuisse, ut supra observatum.

7. Argumentum suppeditabunt antiquissimæ inscriptiones, ne dubiis, quas producunt, pergant adversarii superbire; R. Benjamin Tudelensis plurimas in suo itinerario refert, & præsertim describendo sepulchra Abrahami, Isaaci, & Jacobi, uxorumque illorum a prima antiquitate constituta, nomina uniuscujusque proprio sepulchro

testa-

testatur adscripta, neque sinit dubitare hodiernis literis illa constasse, cum suis oculis illa legerit, & legendo agnovisset errorem paulo ante productum circa Samaritanos, quos scripsit carere his tribus literis החע, nam uno oculi ictu agnovisset illas Literas in illis Patriarcharum nominibus (si Samaritanis Literis exarata fuissent) Lamina aurea *nomen Dei* similiter habuit teste S. Hieronymo Epist. 128. ad fabiolam de vest. sacerd. *Ebraicis quatuor Literis* י *Jod.* ה *He.* ו *Vau.* ה, *quod apud illos ineffabile nuncupatur* & suspectum nemini esse debet hujus patris testimonium, & expressissime illud reddidit, non contentus nominasse Literas Ebraicas, sed hodiernam earum figuram insuper apposuit pauca addam de Adoniramo Salomonis ministro in Hispania juxta Saguntum condito, ut ex inscriptione Hodiernis Ebræorum Literis exarata, & ante ducentos annos reperta patuit de qua Judæus R. Scem Job, Villalpandus, & disput. Buxtorfii & Capelli de Lit. Ebr. videri possunt. Cum in his præcipuus quæstionis Cardo non vertatur; agnoscendum tamen hoc monumento illustrari, si quidem non sola unius Rabini qui illam legit fide, & aliorum testium auctoritate sed publicis illius urbis codicibus innitatur; neque alterius Adonirami mors descripta 1. Reg. 12-18. & 4-6. minuit hujus monumenti auctoritatem; nam qui 1. Reg. 12-18. in Palestina occiditur, non dicitur Adoniram, sed Adoram; fateor hunc Adoram dici præpositum regiis tributis colligendis, & antea 4-6. tributorum collectioni præpositum dici Adoniramum; verum nihil impedit quominus post Adoniramum in Hispania occisum Adoramus idem munus obtinuerit: præterea non est inauditum viros ejusdem nominis in regionibus diversis idem munus exercere: magis mirabile Salomonem ab Hispanis tributa exegisse; nihilominus cum constet Phænices dominatos fuisse in Hispania, & Salomonem cum iis confœderatum nonnunquam sociasse Classes, potuit hac ratione aliquod jus in Hispania obtinere: quidquid sit neque enim hoc monumencum propugno, quod dubium fecit P. de Marca, & tantum affirmabo, quod nullam Literis Samaritanis inscriptionem valent adversarii exhibere, quæ hanc aut antiquitate, aut testimoniorum pondere possit exæquare: Amatsias autem cujus fit mentio potuit esse auctor inscriptionis, & mortuum non respicit nisi aliqua affinitate cum ipso conjunctus existimetur; his inscriptionibus licet addere Dei nômen antiquissimis Literis Constans, & Græcis Literis adumbratum in versione 70. ut

pa-

patet ex commentario Procopii in Esaiam, ne pergant adversarii illud in causæ subsidium proferre, ob S. Hieronymi in Samaritanas Literas nimis propensi suffragium, scribit enim in præfatione ad Libros regum: *nomen Dei tetragrammaton in quibusdam Græcis voluminibus usque hodie antiquis expressum Literis invenimus*: Licet enim antiquas dicat Literas, & Samaritanas non nominet, quia tamen alibi his primam assignavit antiquitatem, debere eas intelligi non videtur esse dubitandum, cum Gul. Postellus in alphabetho 12. ling. eas intelligendas, licet Ebræis genuinis alias æquior sit, asseverare non dubitet. Literæ autem illæ quæ antiquarum speciem referunt, sunt duo ה ה, quibus esse intelligenda duo jod Samaritana volunt, quoniam supra observavimus duobus jod sanctissimum Dei nomen compendiose nonnunquam scribi: verum enim vero ad judicium oculorum sufficit provocare: hic unum jod Samaritanum ΠΤ an simile videtur τῷ Π? minime sane: at contra ה ה Literæ יהוה manifestissimè duobus illis, quæ ΠιΠι faciunt nativo suo sono, similes apparent: quia ה Græcis exiguum interstitium ejus non curantibus Π refert. exigui autem apices י & י pro duobus jota sunt habiti hacque ratione Pipi in Augusto illo nomine Ebraicis literis legerunt, & consequenter hic *antiquæ Literæ*, Ebræorum hodiernæ sunt quod sponte etiam agnovit revera S. Hieronymus Epistola 136. ad Marcellam his verbis: *Nomen τετραγράμματον, quod ἀνεκφώνητον id est ineffabile putaverunt, quod his Literis scribitur* יהוה *quod quidem non intelligentes propter elementorum similitudinem, cum in Græcis Libris reperirent Pipi legere consueverunt* &c. Postremum palmariumque argumentum component tenaces rituum suorum, & minimarum ipsis concessarum prærogativarum Judæi; præsertim in externis zelus eorum semper patuit ad scrupulum usque & superstitionem accuratissimus; hinc in noviluniis, & festorum primordiis observandis tot regulæ; in decimis *aneti & cumini* ut Mat. 23-23. aut *mentæ & rutæ*, ut Lucas 2-42. aut viciæ, hyssopique solvendis tanta religio; in ipsis arborum ad tabernacula in memoriam earum sub quibus transeundo desertum habitaverunt, exornanda, idonearum ramis eligendis circumspectio & accurata consideratio: denique in membranis, & scribendi sacra volumina ratione tantus delectus, atque observatio: quis inquam credat Judæos patriarum in levissimis ceremoniis traditionum sedulos observatores sponte abjecisse Literas majoribus suis divinitus concessas, & ad sua tempora per con-

continuam ſanctiſſimorum patrum ſucceſſionem ad eos hæreditario jure delatas? Literas ipſa Dei manu in tabulis exaratas, & ad legis præcepta exprimenda aliis omnibus Literis prælatas contempſiſſe, & in earum locum prophanas hoſtium Babyloniorum Literas ſubſtituiſſe? ſane exiguum in literis finalibus, quarum uſus recentior, momentum; dubitarunt tamen doctores illas admittere ſola alicujus prophetæ auctoritate; hinc quia Rabinus in Thalmud. Babylonio dixit מנצ״פך צופים אמרים *Prophetæ Literas finales* ך. ף. ץ. ן. ם. *approbarunt.* illico anxie, & ſedulo alii diſquirunt an hoc ſufficiat ותיסברא צופים ולא מושה והכתיב אלה מצוות שאין נביא רשאי לחדש דבר מעתה: *& aubitatur prophetas poſſe, niſi Moſes ipſe antea fecerit; quia ſcribitur: quod prophetiæ jus non habent quicquam mutandi ab illo tempore* &c. quamobrem ſequetur deciſio, nempe *quod* אלה שכחום וחזרו צופים ויסדום *illæ Literæ in oblivionem venerant; ſed reduxerunt prophetæ, qui de novo illas fundaverunt* &c. quis credat gentem ob exiguos ductus in literis finalibus productiores illas admittere etiam cum prophetarum commendatione dubitantem, fuiſſe admiſſuram Chaldaicas longo idololatrarum abuſu contaminatas? quis credat adeo verſatiles Judæorum animos, ut non hæſitaverint literas Deo auctore, & Moſis opera Religioni conſecratas Chaldaicis ſolius captivitatis ingrata neceſſitate admiſſis poſtponere? Quis credat Rabinos, qui ipſos defectus in ſacro textu venerati ſunt, neque auſi ſunt ſuſpenſas Literas revocare in ordinem, majores minoreſve cæteris coæquare, inverſas convertere, & finales, initialeſque ab indebito loco in competentem reducere, totam ſcripturæ compagem literarumque omnium figuras mutaſſe, aut ab Eſra mutatas admiſiſſe? Quis credat Judæos myſteriorum ſuorum invidos poſſeſſores, & ægerrime ferentes legem ſuam in linguam Chaldaicam fuiſſe converſam dicenteſque quod נזדעזעה ארץ ישראל ארבע מאות פרסה *contremuit tera Iſraelitica per quadringentas Leucas*, & ex tanto intervallo exivit filia vocis atque increpavit Jonathanem ben Uzielis, & illum prohibuit ne pergeret poſt Prophetas etiam Hagiographa exponere: aut in linguam Græcam, ſimiliter dicentes, quod cum expoſuerunt לתלמי המלך את התורה יונית היה היום קשה לישהאל כיום שנעשה העגל: *Ptolomæo regi legem Græce fuit dies gravis Iſraeli ut fuit dies vituli in deſerto ab Aarone conflati.* Quis inquam credat hos gentium æmulos arcana ſua omnia infenſiſ-

ſimis hoſtibus communi conſilio prodidiſſe? Prodidiſſent enim ſi Literis Chaldaicis expreſſiſſent; cum verba Ebraica cum Chaldaicis non exiguam habeant affinitatem, & tunc imprimis Literis, ſcripturaque fuiſſent penitus ſimilia.

Finis 2 Partis.



PARS III.

PARS III.

DE VOCALIBUS EBRÆORUM.

CAP. I.

Alphabethum Ebræorum ſicut cætera aliarum gentium Alphabeta ſuis conſtat Vocalibus.



Oc argumentum a multis annis ſumma doctiſſimorum hominum ingenia exercuit, & quamvis acerrimis ſtudiis agitatum fuerit, nondum tamen ita emicuit veritas, ut adverſæ partes coalverint, & victrix a victa certius dignoſcatur; imo neſcio quo fato factum, ut illuſtriſſimis calculis ipſiſſima veritas ſæpiſſime opprimi viſa fuerit, & hodie etiam opus habeat ſevera illa juſtitia, quæ oculos auctoritati, favori, præjudiciiſque obvelatos habeat, quo poſſit ad æquum Liberumque examen revocari.

Quamobrem adverſarios omnes in aciem conſtituere ſuperſedebo, ut Liberius rationi etiam concedatur judicium, & contentus obſervaſſe celebriores Grammaticos noſtræ adverſari ſententiæ; nam G. Poſtellus in Alphabetho 12. Linguarum, de Ebraica quam pro tempore ſatis noverat ſcribit: *Literæ apud Ebræos ſunt viginti duæ, carent illi vocalibus, quarum loco puncta habent* &c. Sic Sanctes Pagninus Inſtit. Ebraic. cap. 3. de Liter. *Litera* (inquit) *eſt ſignum ad placitum impoſitum voci humanæ habens aliquod punctum quod vice ponitur vocalis* &c. patet enim illum non agnoviſſe inter Ebræos alias vocales, quam puncta, & cæteras Literas pro conſonantibus habuiſſe. Similiter clariſſimus Buxtorfius in Epitome ſuæ Grammaticæ cap. 1. *Literæ ſunt viginti duæ omnes conſonæ*; hancque ſententiam plurimis confirmare fatagit auctoritatibus & argumentis in erudito opere de *punctorum origine* contra Capellum antagoniſtam, qui *in arcano puncta-*

tionis revelato recentem esse punctorum originem propugnaverat; unde sponte sequitur illa puncta pro genuinis Ebræorum vocalibus ipsum habuisse: hoc agmen iisdem fere verbis, quibus Buxtorfius claudit celeberr. Altingius.

Etsi singulos punctorum vocalium patronos scrupulose referre supersedeam, sincere tamen agnoscere debeo plurimos Theologos pronis pedibus in illorum sententiam delabi, quia ad venerandam Sacri Textus integritatem puncta recepta pertinere arbitrantur, existimantque proprium ejus sensum a punctis vocalibus magis pendere, quam ab ipsis consonantibus; quapropter pium, & Laudabile est eorum propositum, adeoque necessaria est illa Sacri Textus integritas, ut eo ipso quod aliqua sententia pateat illi obesse, repudiari mereatur; verum enim vero suspendi aliquantisper hoc præjudicium oramus, post accuratum enim examen speramus æquo Lectori manifestum fore quod nullum detrimentum ex nostra sententia in Textus Sacri inviolabilem integritatem possit redundare.

Itaque probandum suscipio Alphabethum Ebræorum duabus & viganti Literis Constans vocales, & consonantes Simul complecti. Id sane rationi consentaneum est, quandoquidem antea demonstraverimus Linguam Ebræam esse primam, divinitusque institutam, & cæterarum exemplar; non debet enim perfectioribus linguis quicquam cedere, & cum habeant Alphabetha ex vocalibus æque, ac consonantibus constantia, debet itidem ipsa completum habere Alphabethum, quod has, illasque similiter complectatur; alioquin divino exemplari præstaret humana imitatio, atque cederet in emolumentum pœna, quæ rebelles usu linguæ Sanctæ spoliavit.

Revera Alphabethum a duabus Literis prioribus dictum est omnium Literarum series, & idcirco nullæ Literæ ab eo debent abesse, quia omnes a Lineolis quibus constant, quasi *Lineaturæ* dicuntur, atque consequenter vocales Lineolis designatæ, Literæ sunt, & seriem literarum componunt.

Hinc vocales illæ, & consonantes comparari solent cum elementis, quæ permixta totam rerum corporearum universitatem, simul componunt, sic Socrates apud Platonem in Cratylo: ἡμᾶς οὕτω δεῖ πρῶτον μὲν τὰ φωνήεντα διελέσθαι, ἔπειτα τῶν ἑτέρων, κατὰ εἴδη, τά τε ἄφωνα καὶ ἄφθογγα (οὑτωσὶ γάρ που λέγουσιν οἱ δεινοὶ περὶ τούτων) καὶ τὰ οὐ φωνήεντα μὲν, οὐ μέν τοι γε ἄφθογγα *nos primo oportet vocales distinguere, postea*

postea reliquas, secundum species, mutas, & semi vocales (sic enim de his eruditi loquuntur, sunt enim tales. Aristoteles etiam de histor. animal. lib. 4. cap. 9. docet literas dividi in vocales, & consonantes his verbis: τὰ μὲν οὖν φωνήεντα ἡ φωνὴ, καὶ ὁ λάρυγξ ἀφίησιν, ὅσα δὲ ἄφωνα ἡ γλῶττα, καὶ χείλη *vocales Literæ a voce, & gutture; consonantes vero a lingua, & labiis emittuntur*; additque ex iis Literis loquutionem confici, problematum autem sect. 10. §. 32. scribit: γράμματα πάθη τῆς φωνῆς *Literas vocis esse affectiones*; constat autem vocales vocem magis afficere, quam consonantes, quæ vocalium dumtaxat beneficio in vocem erumpunt, unde inter Literas potiorem locum debent obtinere. observare convenit in Aristotelica literarum divisione organa inprimis considerari, & a gutture vocem & vocales originem ducere; quod non parum causæ nostræ favet; Ebræi enim Alphabethi sui Literas distinguentes, ab organis distinctionem illam similiter derivant, utque quasdam a lingua *Linguales*, & a Labiis *Labiales*, sic alias a gutture *Gutturales* denominant, quæ revera sunt vocales.

Ita certam, & constantem literarum in vocales, & consonantes divisionem judicavit Galenus, ut eam in exemplum afferat ad constituendum inter morbos discrimen, declaratque quod vis earum distincte non agnosceretur, nisi dividerentur in φωνήεντα στοιχεῖα, καὶ σύμφωνα τὰ δὲ εἰς ἡμίφωνα, καὶ ἄφωνα *in elementa vocalia, & consonantia, hæc vero in semimuta, & muta* &c. lib. 1. method.

Addam vim uniuscujusque Literæ e prima ejus nominis Syllaba erumpere & sponte discerni vocales a consonantibus, quod hæ alterius Literæ auxilio indigent; illæ solitariæ suam constituant Syllabam; sic A. E. I. O. U. vocales: at Bé, Cé, Dé &c. vocantur consonantes.

Similiter א. *Aleph* ה. *E.* solitariæ sonum integrum edunt, at primæ syllabæ nominum Beth, Guimel, Daleth adjunctarum vocalium concursu egere perhibentur; unde illud syllabam ait componere Ausonius: *dividuum Bethæ monosyllabon Italicum Bé.*

Quin sola experientia valet controversiam penitus dirimere, & assertionem nostram extra omnem contentionis aleam constituere; constituantur plureis consonantes Græcæ, aut Latinæ simul, atque pro arbitrio disponantur, nullum unquam edent sonum, quia totus a vocalibus pendet; at alia est literarum Ebræarum ratio, sufficiunt quippe ad exprimenda cujusvis linguæ vocabula omnia; hinc Judæi

Biblia, & omnigenia ſcripta habent lingua germanica compoſita, & ſolis Ebraicis Literis exarata, gazettas etiam Belgicas habent, quæ Gallica, Hiſpanica, Anglica, & varia alia nomina iiſdem illis Literis probe & manifeſte expreſſa exhibent, igitur conſonantes dumtaxat eorum Alphabethum non continet, ſed etiam vocales adjunctas.

Experientia antiqua recenti diverſimode ſuffragatur; nam Samaritani Ebraicum Moſis pentateuchum propriis Literis nomine, & numero Ebræas referentibus a prima antiquitate deſcriptum ſervant, leguntque, eumdem etiam in propriam linguam converſum, & iiſdem literis exaratum præ oculis quotidie verſant, expediteque legunt abſque ullis punctis, vocales igitur conſonantibus ſuis permixtas habent, cum ne unum quidem verbum abſque vocalibus poſſit pronunciari. Origenis exemplum eandem confirmat veritatem, totum enim vetus Teſtamentum Ebraicum deſcripſit in ſuis exaplis, & octaplis primo Ebraicis Literis, 2. Græcis Literis, quæ Ebraicis reſpondebant, in hoc autem omnes Græcæ vocales paſſim permixtæ cernuntur, quamobrem concludere cogimur Textum illum Ebræum, qui nulla puncta habebat, adjunctas habuiſſe genuinas vocales, quibus e regione Græcæ ſono ſuo reſpondere debuerunt, ut legentes, & audientes nativum verborum Ebraicorum ſenſum perciperent: ſic initio Bibliorum in una columna erat בראשית & in altera: βερέσιθ. Validum inſuper nobis ſuppeditat argumentum Joſephus non omni avitæ linguæ cognitione deſtitutus; nam ſcribit de bello Jud. lib. 6. cap. 15. ſecundum Græcam diviſionem, aut 6. ſecundum Latinam, deſcribendo auream ſummi Pontificis tiaram: ἦν ϛέφανος ἐκτύπωμα φέρων τὰ ἱερὰ γράμματα, ταῦτα δὲ ἐϛι φωνήεντα τέσσαρα *Corona erat impreſſas ferens ſacras Literas, quæ ſunt quatuor vocales.* vidimus enim *vocalia* Elementa dici φωνήεντα, ut conſonantia ἄφωνα *muta*, vel ſaltem ἡμίφωνα *ſemivocalia*, & σύμφωνα *ſolo vocalium beneficio ſonora.* Literæ autem huic Coronæ inſcriptæ in Alphabetho Ebræorum continentur, & conſequenter vocales continet conſonantibus permixtas; nempe hoc Auguſtiſſimum Dei nomen יהוה *Jehova* conſtituebant: Fagius ſimiliter, & Tremellius e Judæo Chriſtianus divinum illud nomen Literis ſpiritualibus, & ſponte ſonoris conſtare obſervaverunt, merito quidem, omnes enim gentes quibus innotuit, & Judæi ipſi qui in linguam Græcam illud transferre voluerunt, illud puris vocalibus conſtanter expreſſerunt, licet propriis punctis deſtituatur; imo Sama-

maritani ipſi qui ſcripturæ cortici mordicus adhæſiſſe noſcuntur, & humanas traditiones ſemper repudiarunt; unde Theodoretus quæſt, 15. in Exod. καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβὲ Ἰουδαῖοι δὲ Ἰαώ. *Vocant ipſum Samaritani Jabe, Judæi vero Jao.* Editiones quædam habent *Ja* pro *Jao*; ſed ferri non poſſunt; *Ja* enim eſt nomen contractum ex illo, ut modo videbimus, & nullam habet affinitatem cum nomine tetragrammato, quod in Jabe manifeſte conſpicitur: at quid ſibi vult β illud? an vocalis inter ipſos exiſtimandum? minime ſane β vocalis eſt; at quamvis proprie conſonans ſit, nonnunquam tamen V. vocalis vicem exhibet in vocibus ex aliena lingua mutuatis quia ut cum Auſonio jam laudato in Edyl. 12. loquar.

Cecropiis ignota notis ferale ſonans V.

Hinc in Novo Teſtamento דוד *David* legitur Δαβὶδ, a Joſepho vero Δαβίδης, Λεβὶ etiam invenitur pro לֵוִי Levi; & dictum a Græcis ἐπίσημον βαῦ vocat Quintilianus *Vau* Inſt. Orat. lib. 1. c. 6. alias Vologeſus & Augarus dicuntur βολογαίσης, & Ἄβγαρος, ſic Ἰαβὲ, & Ἰαυὲ idem; ſane Paulus Burgenſis ex Judæo Chriſtianus in Libello quæſtionum 12. de nomine יהוה quæſtione 1. illud nomen, his Literis reddidit IHBH, ut pateat Ἰαβὲ ſcribi pro Ἰαυὲ, β in locum υ inſito: hoc autem nomen contractum eſt in Ἰάω cujus ω duplicem ſonum comprehendit. Porphyrius contra lib. 4. adverſus Chriſtianos meminit nominis τοῦ Ἰευώ, ſicque ſingulas ſyllabas exprimit diverſimode quidem, ſed hoc mirum videri non debet, quandoquidem raro nomina in aliam linguam abſque mutatione transferuntur, quia unicuique propria ineſt pronunciatio, quam ægerrime cæteræ aſſequuntur; quin licet exiſtimare, quod, quemadmodum υω in ω potuit contrahi, ſic α, & ε in unum ob affinitatem ſonum contrahi etiam potuerunt, hacque ratione quatuor illæ nominis divini vocales totam omnium dictionum vim, animamque efficiunt, & componunt quaternionem proxime accedentem ad τετρακτὺν per quem ſic apud Macrobium lib. 1. cap. 6. in ſomn. Scipion. jurat Pythagoras.

ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρα ψυχᾶ παραδόντα τετρακτύν.

Juro tibi per eum, qui dat animæ noſtræ quaternarium numerum: vix enim poteſt donum ullum vocalibus præſtantius excogitari, quandoqui-

doquidem ſcripturam ad mentes noſtras ſalutaribus documentis inſtituendas reddunt efficacem : hinc Philoſophi innatam vocalibus dignitatem agnoſcentes obſervaverunt non ſine mirabili Dei providentiæ opera contigiſſe, ut præſtantiſſimum Dei nomen ſolis conſtaret vocalibus, quæ ſpiritus meri ſunt, & ex imis animæ penetralibus immediate erumpunt, propterea que aptiſſimi ad eſſentiam omni materiæ contagione puriſſimam, ac efficaciſſimam deſignandam judicantur, quemadmodum prudenrer demonſtravit ſupra laudatus Paulus Burgenſis quæſt. 6. de illo Dei nomine & Moſes Kimchi in *Mahala ſcebile dagnath* teſtatur, vocat enim Literas אהוי lib. 1. porta 3. ſect. 1. אוֹתִיוֹת הַנְּשָׁמָה *Literas ſpiritus*, & R. Elias in commentario addit quod שקולים הם כנגד כל האותיות *pertingunt ad omnium ſimul literarum æquipondium*; nempe י 10. ו 6. ה 5. & א 1. & ſimul 22, ut pateat omnium vim has continere, & eſſe cæterarum animas; ſi quis plene de earum dignitate quæ meruit ut nomen divinum exprimerent, ſecundum Rabinorum ſententiam, plenius optat erudiri, adeat R. Aben Eſram ad Exod. 3-15. imo revera, & abſque ullo ſupplemento omnes in reverendo Dei nomine vocales concurrere docuerunt, unde hi verſus majeſtatem oraculi præ ſe ferentes apud Euſebium præpar. Evang. lib. 9. cap. 6.

Επτά με Φωνήεντα μέγαν ἄφιδον αἰνεῖ
Γϱάμματα τῶν πάντων ἀκαμάτων πατέϱα

Septem vocales me magnum, ac indefeſſum omnium creaturarum patrem celebrant. Quodnam autem ſit illud nomen non ſtatim patet, quia Auguſtiſſimum Dei nomen quatuor dumtaxat Literis conſtat; ita ut una excepta omnes debeant duabus Græcis reſpondere; vel divino huic nomini addendum erit pronomen demonſtrativum הוא quod ipſi ſolet præponi, ſic enim ſeptem vocales aderunt; ſed diverſæ non erunt, cum una bis, altera ter occurrat : verum ſi quis cum Judæis mavult nomen יהוה in ſolemni benedictione a ſummo pontifice cum vario modulamine olim pronunciatum, ut nativa ejus pronunciatio a nemine poſſet diſtincte obſervari, poterit exiſtimare quinque vocalibus brevibus, duas longas hac vocis diverſa protractione fuiſſe ſuperadditas; ſicque auditus ſonus omnium vocalium hoc ordine diſpoſitarum Ιεωωυηα; quamobrem ab auditoribus diverſimode re-

la-

latus est; nempe modo per Ιαῦ, modo per Ιευῶ, modo per Ιαυὲ; imo per Jovem (non licet enim dubitare quin ab Augusto illo nomine primam duxerit originem, denique per Ιεωυα, quod usus frequentior comprobavit & hodierna puncta confirmant; licet enim varient, & ab אלהים, aut ארוני mutuata videantur; attamen ratio non contemnenda iis favere animadvertitur; scilicet *Jod* scevatum futuri temporis indicium est; *He* cum cholem præsens; & *Vau* cum Camets præteritum declarant, atque comprobantur divina expositione venerandi illius nominis Apocal. 1-8. & 4-8. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος *qui est, qui erat, & qui venturus est*; sed non idem qui in Ebræo nomine ordo, sed retrogradus, quia Græci a sinistra Ebræi vero a dextra parte scribunt, observatur; si quidem legitur ὁ ἦν, καὶ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, futurum enim, quod in Ebræo præcedit, hic postremum est, &c.

Nomen illud Tetrogrammaton solet contrahi in יה *Ja*, & meris etiam vocalibus constare perhibetur; unde in postremo Psalmorum Libro הַלְלוּ־יָהּ *Laudate Deum* ab interpretibus Græcis passim redditur ἀλληλούια & similiter a Latinis *Alleluia*: Sic etiam semper redditur in nominibus ab hoc nomine formatis, ut Adonia, Saphatia, Abia, Αζαρια, Jechonia, & similibus: Sed quod inprimis delectat Clarissimus omnigena eruditione, & constanti amicitia mihi a teneris annis conjunctissimus D. Le Moyne ingens Lugduno Batavæ Academiæ nuper ornamentum vult *EI* templo Delphico adscriptum fuisse nomen illud יה ordine retragrado lectum, & consequenter ה τῶ E, & י τῶ I respondent, & genuinæ vocales sunt, quod capite sequenti, & proximo argumento etiam confirmabitur.

Præterea si nullæ essent in Alphabetho Ebraico vocales nullas Literas haberet, quæ ullum absque punctis sonum darent; vocalium enim est vocem dare; plurimas autem habet, ut tertiæ personæ pronomen ו passim puncta non habet, & pronuntiatur, ut Gen. 37-2. in אֶחָיו *fratribus suis* & אָבִיו *patre suo* innumerisque aliis: sic י in nomine יִשַׁי unde 70. Ιεσσαὶ & Vulg. Isai: sic יום *Dies*. In pluralibus irregularibus גֹּבַי *locustæ*, הָרֵי *montes*, שָׂרֵי *principes* & aliis ejusmodi: sic in verbis illud pro media radicali habentibus, ut חָיָה, הָיָה aliisque similiter pronunciatur, quando crescunt, ut חָיִי & si puncta non habeat; similiter ו absque puncto pronunciatur in תו signo Vulg. *Thau* Ezech. 9-4. & עֵשָׂו unde a 70. redditur Ησαῦ, & a Latinis interpre-

 tibus

tibus &, *Esau* : addantur diphthongi, ut גוי *gens* גָּלוּי *revelatus*, & quæ non nisi ex vocalibus possunt coalescere ; sic הוי quod 70. reddunt ὀυαὶ Vulg. *heu* : 1. Reg. 13-30. & חירה 70. Eiράς Gen. 38-2. sic אֲבִישַׁי 70. in manusc. Alex. Aβισαὶ V. *Abisai* 2. Sam. 23-18. & alia similia nomina.

Plurima superaddi possent argumenta, sed ne ea repetere cogar, in capita sequentia reservanda sunt, quamobrem hoc postremo, quod solum sufficeret, Caput præsens absoluam : observavimus a divino Ebræorum exemplari cæterorum Alphabethorum perfectionem pendere, & consequenter cum Græcum Latinum & innumera alia vocales consonantibus permixtas habeant, Ebraicum itidem debet habere, quandoquidem hoc ad ejus perfectionem plurimum pertinet, quoniam vocales sunt animæ consonantium, & harmoniam inter eas omnibus numeris absolutam componunt : unde Apulejus de Mundo eleganti enumeratione probans res omnes universi varietate simili constare, exclamat : *Grammaticorum artes vide, quæso, quam ex diversis collectæ sint Literis, ex quibus aliæ sunt insonæ, semisonantes aliæ, pars sonantes, & tamen mutuis se auxiliis adjuvantes syllabas pariunt, & de syllabis voces* &c. postea ostendimus antiqua, & recenti experientia constare, solis Ebræorum Literis omnes cæterarum gentium voces expedite descriptas olim, & nunc etiam describi ; unde evidenter colligitur ad suas proprias voces describendas multo magis suffecisse : nunc observabimus, ad totum evidentissimæ demontrationis complementum, illas ipsas vocales, quæ in Alphabethis Græcis, Latinisque, & nostris vulgaribus etiam cernuntur, eumdem quem in illis situm habent, in Ebræo similiter obtinuisse, iisdemque nominibus etiam insigniri adeo ut nulla major inter extypa & typum convenientia possit exoptari ; quamobrem si quædam in illo laterent, ex his quæ manifestissime illas exhibent, facile illustrarentur.

CAP. II.

Quænam sint vocales Ebræorum.

PRimæ Alphabethi Ebraici Literæ sunt *Aleph*, *Beth*, *Guimel*, *Daleth*, *E.* quibus Græcæ *Alpha*, *Betha*, *Gamma*, *Deltha*, Eψιλον

λον respondent, eadem apparent nomina, idem ordo, figuræ ut prius visum, non sunt diversæ; Ebrææ dumtaxat ut primæ sunt simpliciores, & terminatio Græca Ebræis nominibus addi debuit: idem ordo, figuræ etiam similes, at diversa nomina Latinarum literarum, quia a Phænicibus non eas acceperunt immediate Latini, & cum sensum horum nominum cum forma Literarum convenientium ignorarent, a genuino earum sono illum voluerunt designare vocando: *A. Bé. Cé. Dé. E.* simpliciora possunt quidem videri illa nomina; at revera nomina non sunt cum nihil significent, sed simplices soni sint, cum nominibus Ebræis res convenientes significantibus proinde non comparandi: jam vero cum *Alpha* Græcum, & *A* Latinum sint ab Aleph, & vocales sint; quis merito dubitare potest *Aleph* esse vocalem, cum has vocales fecerit? quin æquo etiam rerum arbitro patere debet ordinem literarum esse convenientissimum, & propterea *Aleph* primum occupare locum, quia omnium prima hæc Litera ab infante clausum in utero materno os habente prodit simul atque Dias in auras ille emittitur; nempe pressus dolore partus spiritus erumpit, & erumpendo sponte format α *a*, unde ἄειν *flare*, & *spirare* apud Hesychium: a enim proprius ejus sonus, & ab eo inter Latinos denominatur teste Ausonio:

Dux Elementorum studiis viget in Latiis A.

Quintum Elementorum apud Græcos est Ε, dictum ψιλὸν I. *exile*, & *tenue* ad discrimen Ητα sonum graviorem, & densiorem habentis; Latini hoc discrimen non admittentes simpliciter E a sono dixere; Ebræi etiam, nam ה est illorum E, neque figura est multum diversum, quia Literæ Ebræorum a dextra parte in sinistram scribentium, converti debent, conversum autem tale fuit ה, sed quia pes sinister passim coalescebat cum superiori apice, commodius visum Samaritanis, & aliis illud in duas Lineolas sic dividere E. quamobrem retinendo figuram, & ordinem non debuit sonum amittere; vocalis igitur est, idque satis declaratur illo ipso sono, quem sola absque alterius auxilio emittit; eamdem etiam conservavit circa numeros vim, ut enim quinque valet inter Ebræos, sic totidem inter Græcos valere perhibetur.

ו *Vau* sextum est Elementum Ebræorum, & senarii numeri nota;

pro Litera Græci initio illud non admiserunt quia in lingua sua sonos ipsi affines non observarunt; at locum, & vim numeralem ipsi conservaverunt, vocaruntque ἐπίσημον τῶ ἓξ ἀριθμῶ. i. *nota senarii numeri*: postea ejus necessitatem agnoverunt, dixeruntque ἐπίσημον βαῦ *Vau* expresse etiam vocat Quintilianus instit. orator. lib. 1. cap. 6. quod idem fuit cum digamma Æolico duplicem τῶ V vocalis, & consonantis usum comprehendente; & tandem ad vitandam confusionem ὑψιλὸν sive V vocalem quam initio neglexerant coacti sunt admittere, sed ad calcem Alphabethi sui rejecerunt ne receptum ordinem turbarent: ad figuras quod spectat ἐπίσημον τῶ ἓξ ut prima *Vau* nostri soboles similiorem ejus speciem exhibet quia sic formatur ϛ atque conversum ו repræsentat: τὸ Y ejus sonum referens videtur *Vau* geminum in unam formam confudisse: digamma vero unum gamma alteri imponens sic *F* merum est Græcorum inventum, quod post admissum Y videtur evanuisse, ut proprium cederet Romanis, nobisque, est enim nostrum *F*, & eumdem obtinet locum, quem inter Ebræos *Vau* habet; nempe duobus *Vau* indigemus, consonante, & vocali, hæc antepenultimum Alphabethi nostri locum occupat, illa sextum, atque sic utraque Ebraico *Vau* respondet, unde concludendum vim hanc vocalis continere: sane S. Hieronymus trad. Ebr. in Genes. ubi de Ephrone, testatur *Vau* apud Ebræos pro *o* legi.

ח. *ETH* octavum elementum est Ἦτα Græcorum in eodem ordine constitutum; forma etiam utriusque fere eadem linea enim superior Ebrææ in mediam partem dumtaxat descendit; designat autem E non tantum longum, sed acutum etiam & densum, ut in balatu ovium βὴ βὴ; politiorum est quantitatem, & tonorum discrimen observare, idcirco Ητα, & ωμέγα a prima antiquitate inter suas vocales non habuerunt Græci: sic de primo Socrates apud Platonem in Cratylo: τὸ ἀρχαῖον ἀντὶ τῶ H, E E ἔδει λέγειν δυό *antiquitus pro H, duo E E proferenda erant* & Latini similiter *E* longum figura, a brevi diversa non designarunt, & utrisque H ἐπίσημον fuit, & aspirationem notavit non tantum initio vocum sed etiam in medio, ut observavit Jos. Scaliger de Literarum Jonicarum origine in suis ad Eusebium observationibus: verum Græci agnito tandem ejus usu pro vocali utilissima illam adhibuerunt, & alias aspirationum notas excogitaverunt, ut nativo dumtaxat fungeretur officio; sicque ad exemplum Ebræo-

rum,

rum, quod contempſerant, coacti ſunt confugere, & hanc vocalem eſſe utiliſſimam comprobarunt.

י *Jod* decimam occupat ſedem, ut ἰῶτα Græcorum ipſum nomine, & figura etiam, licet ex obliqua paululum in rectam extenſa, referens: Latini qui præcedens ט *Thet* Ebræorum, & Græcorum θῆτα non admiſerunt T ſuo ſimplici contenti, illius ſedem huic conceſſerunt, & ſic uno gradu debuit retrogradi; ſed nomen, & formam Græcam conſervavit, quare non poteſt a vocalium conſortio removeri.

ע *Ain* decimam ſextam ſedem in Alphabetho Ebræo occupans ſupereſt, & reſpondet τῷ ο in eadem ſede apud Græcos conſtituto; Latinum o etiam ipſum repræſentat, ſed ob prætermiſſum Thet, uno gradu inferius eſt, ſicut jota abſque ullo Ebrææ vocalis præjudicio, cum antecedat omnes Literas, quas antecedit *o* Latinum, & ſequentes etiam illud ſequantur: verum nomine, & figura ab o Græco & Latino diſcrepare perhibetur; nempe prima ejus ſyllaba, quæ ſonum ejus, ut in cæteris fit, enunciare debet, cum *a* convenit, & figura a ſuperiori parte aperta deſinit in caudam, cum *o* ſit rotundum, neque interſtitium ullum admittat; fateor primam illius nominis ſyllabam per ᴛ *Camets* efferri, ſed proxime ad *o* hoc punctum accedere, & mixtum ex eo habere ſonum omnes fatentur, plurimi autem ſunt qui per *o* denſius, & craſſius judicant eſſe enunciandum, atque hoc modo nomen ejus in *Oin* liceret tranſmutare, ad figuram quod ſpectat perfecti circuli ſpeciem habet *o* Latinum, ſed cum a Græco duxerit originem, hujus præcipue ratio habenda eſt; conſtat autem duplici figura hoc pollere, Ω & ω differunt ab *o* ſicut magnum a parvo; cum igitur Ωμέγα interſtitium habeat minime eſt alienum ab Ebræo ע; neque objiciendum hoc interſtitium ſuum habere in ſuperna parte, illud vero in ima, quoniam ſic etiam in minuſcula forma ω pingitur, & ſuperne apertum eſt ut Ebræum; reſtat cauda, quæ in altum erecta huic ultimo ω videtur poſſe etiam accommodari, ſi enim ſic pingatur Ebræum ע, manifeſte ad Græcum accedet; longe majus ſane diſcrimen obſervari poteſt inter Literas rotundas, quæ in libris editis cernuntur, & eas quas adhibent in manuſcriptis ſuis notarii; denique non urgenda eſt figura undique circularis ע *o*, cum in antiquis inſcriptionibus ſoleat quadratum obſervari: adde quod hoc, ut illud, ſeptuagenarii numeri indicium eſt.

S. Hieronymus propterea in Hos. 2-16. de voce בעל agens scribit: *inter* ב *&* ל *Literas consonantes,* ע *vocalis ponitur.* Sic de locis Ebraicis Gen. de Gomorra: *sciendum quod g Literam in Ebraico non habet, sed scribitur per vocalem* ע. & Deut. *sciendum quod apud Ebræos* (Gaza) *non habeat in principio Literam consonantem; verum incipiat a vocali ain, & dicatur Aza.*

Omnes igitur vocales Græcorum, & Latinorum in Ebræorum Alphabetho invenimus, nomen, formam, situmque conservantes; & quemadmodum consonantes cæteræ consonantibus iis similibus convenienter respondent, non potest in dubium revocari, illas vocales esse genuinas; cum præsertim sponte sonoras esse pateat, neque ut pronuncientur aliquo indigeant auxilio ut omnes consonantes, quæ unam aut alteram vocalem requirunt, atque eas omnes propterea indiscriminatim admittunt.

His generalibus argumentis particularem libet addere observationem, quæ Grammaticis non contemnenda forsitan videbitur: spectat ה. ח. & ע quæ *patach furtivum* in fine habent, cum pronunciandа sunt; cur quæso vocali antecedente non annectuntur proximæ consonanti, ut consonantes solent? sane quia vocales sunt, & diphthongum quamdam formant quæ illo patach facilius exprimitur: sic Mappik finale ה notare solet, quoties distincte pronunciatur, neque cum vocali præcedente confunditur, unde neque patach furtivum admittit: præterea Literæ gutturales I. vocales dages forte non admittunt quia vocalium sonus non potest intendi, ut sonus consonantium ab organis dependentium facile intenditur.

CAP. III.

De Genuina potestate, & peculiari Sono vocalium Ebraicarum.

PErfectum cujusvis linguæ etiam florentis Genium, absque diuturno, inter eruditos, illius usu fere impossibile est assequi; adeo difficile est non tantum puræ, & elegantioris elocutionis Lepores imitari, sed vel unius syllabæ convenientem pronunciationem omnimode callere; frustra igitur a præceptis accuratissime scripto tradi-

tis

tis mediocris etiam illius acquiſitio expectanda eſt; quia auribus, non oculis ſonus uniuſcujuſque Literæ debet penſitari, atque dijudicari; præterea adeo varius eſt ille ſonus, ut qui probe proferunt vix valeant omnia illius diſcrimina penitus obſervare, quantominus genuine deſcribere, ac in alienigenas mentes perfecte transfundere, optime Quintilianus: *an cujus libet auris eſt exigere literarum ſonos? non hercule magis quam nervorum*; inſtit. orator. lib. 1. cap. 6. quamobrem, ut peritiſſimum muſices eſſe oportet, non tantum qui egregie pulſat Cytharam, ſed etiam qui ſuaviſſimos ejus modulos novit percipere; ſic eruditis auribus eget erudita pronunciatio, & longo, aſſiduoque exercitio illa eruditio comparatur: ſi autem ſinguli unius cujuſque Literæ ſoni tantum ſtudium requirunt; quid ſtatuendum de vocalibus, quarum diverſi, & multiplices ſoni augent in immenſum difficultatem? ſane Grammatici ſingulis vocalibus denos, atque etiam plures ſolent aſſignare ſonos, quos modo quantitatis notis, modo aſpirationibus, modo accentibus, imo ipſorum abſentia etiam deſignabant.

Tanta illa ſonorum varietas ingens inſuper accepit incrementum cum gentis diverſas regiones occupantis incremento; temperies enim, & aëris conſtitutio in diverſis regionibus diverſimodè nativam pronunciationem variare conſueverunt; hinc tot inter Græcos dialecti, quæ omnes vocales in alienas paſſim permutabant: Dorici verbi gratia deperibant α, & ingratum ipſis η in illud ſolebant convertere, & dicere νίκαν, σελάναν, ἅτερον, cum alii dicerent νίκην *victoriam*, σελήνην *Lunam*, & ἕτερον *alterum*; in hoc ultimo ε eandem cum η fortunam habet; ſic τράπω pro τρέπω verto & πιάζω pro πιέζω *premo* dicunt: in dilectum hoc α ſimiliter convertebant ipſum ω πρῶτος enim & πρώτιστος ipſis erant πρᾶτος, & πράτιστος *primus* & primarius, plurimaſque ſimiles admittunt mutationes ut ου in ω ει in ε, & εα in η dicendo ὦν, Ἑκτόρεος, & ὄρη pro οὖν, Ἑκτόρειος, & ὄρεα &c. contra Jones dicebant θύρην po θύραν *januam*, ἡμέρην pro ἡμέραν *Diem* πρῆγμα pro πρᾶγμα *negotium*, α, in η converſo; moleſtum etiam ipſis illud α converterunt in ω dicendo ὤνθρωπον, & ὤριστον pro ἄνθρωπον *hominem*, & ἄριστον *optimum*; ſic ο commutant in ου dicuntque οὖρος, & οὔνομα pro ὄνομα *nomen*, & ὄρος *mons*: Æoles vero α in ο mutarunt dicentes στροτὸς, & ὄνω, non ut cæteri στρατὸς, & ἄνω; iidem ι pro υ uſurparunt, dixeruntque ἰψηλόν, & ἴπαρ pro

ὑψηλὸν,

ὕψηλὸν, & ὕπαρ; mutant præterea etiam ο in ε dicuntque πρές σε, non ut cæteri πρὸς σε; imo in υ, atque ὄνομα, & ὅμοιον ipſis ſunt ὔνυμα, & ὕμοιον; denique pro ει modo η, ελθῆν pro ελθεῖν; modo οι, ὄνοιρον pro ὄνειρον efferre conſueverunt. ad Atticos quod ſpectat a ſono α pleno videntur abhorruiſſe, & mutaſſe modo in E ut Μενέλεως pro Μενέλαος; modo in η, dixerunt enim ἐυφῦη pro ἐυφῦα, &c. ει etiam ipſis acutius viſum, in η ſimiliter mutarunt, maluerunt enim βασιλῆς, quam βασιλεῖς, præterea que contractionibus diverſos ſonos in unum conflantibus gaudebant; ſic τῶμῷ pro τῷ ἐμῷ, & θοιμάτιον, φροέμιον non τὸ ἱμάτιον, τὸ προοιμίον &c. pronunciabant: denique I dictionibus addebant, ut νυνὶ, πελνὶ, τουτονὶ, pro νῦν, πελν, τὸτον; modo tollebant pronuntiando ἕταρον, κλάιεν pro ἕταιρον, κλάιειν, & ſimilia; imo ου ipſis placuit præ οε, ſic pronuntiaverunt τοὔνδυμα, & τοὖπος non ut alii τὸ ἔνδυμα, & τὸ ἔπος, &c.

Crebræ illæ, omnium fere vocalium in diverſiſſimas, permutationes evidenter demonſtrant, varium uniuſcujuſqne in eadem Græcorum gente, eodem etiam tempore, ſonum, & omnes diverſimode fuiſſe in diverſis locis pronuntiatas; quando quidem pronunciatio antecedit ſcripturam, atque dictiones debent profferri antequam referri valeant: conſtat etiam longe minus variare ſcripturam diu in eodem ſtatu perſeverantem, quam pronunciationem, quæ continuis mutationibus obnoxia perhibetur; unde abſque ſcriptura ejus volubilitatem tantiſper retinente, ne minimam quidem obtineret ſtabilitatem, & in eadem urbe paſſim diverſæ obtinent pronunciationes, etiam eodem tempore.

Verum enim vero craſſior licet aër obſcuret vocem, & purior illam reddat clariorem, nitidioremque; nihilominus plurimæ diverſitates pronunciationi aliunde accedunt, & variæ aëris conſtitutioni non poſſunt omnes niſi temere aſſignari; ipſa enim hominum varia conditio magna ipſi infert diſcrimina, aulicus enim, & ruſticus, vir & mulier, barbarus, & diſciplinis humanioribus eleganter excultus non eodem modo loquuntur: ſane feroces Barbari quandam truculentiam ſuis aſpirant ſermonibus, quos demum erudita urbanitas paulatim annititur expolire; hinc adeo durus fuit veterum Romanorum ſermo, pleno ore illi ſeſquipedalia verba eructare ſatage bant, quamobrem i in er producere ſolebant, ſic *auxiliarier* & *convivarier* ipſis magis arridebant, quam *auxiliari*, & *convivari* recentiorum; *ſim*,

atque

atque *sit* ipsis videbantur tenuiora, *siemque*, & *siet* pronunciabant: propterea v etiam, & E in grandius O efferebant, ita *volt*, *salvos*, & *divos* pro *vult*, *saluus*, & *divus*; atque in Plautino Amphitruonis prologo: *vostris*, *voltis*, *emundis*, *vendundisque* quibus addi possunt, advorsor, advorsatrix, vorsura; quin si *V* visum est quibusdam vocabulis necessarium, ut amplius esset, ei *o* associarunt, dixeruntque *Loumen* non Lumen, eadem ratio de *joure*, *joustitia*, & aliis vocabulis, quæ cum *V* simplici scribuntur & simplicem ejus sonum obtinent a pluribus sæculis: *etiam optimus*, *maximus*, *ut mediam* I. *Literam*, *quæ veteribus V fuerat*, *acciperent C. primum Cæsaris inscriptione traditur factum*, inquit Quintilianus instit. orat. lib. I. c. 13. antea vero optumum maximum pronunciasse constat; addit: *here nunc E Litera terminamus*, *at veterum comicorum libris adhuc invenio heri ad me venit*, *quod idem in Epistolis Augusti*, *quas sua manu scripsit*, *aut emendavit*, *deprehenditur*: contra ibidem testatur, quod *a Messala in libro de S Litera positum sibe*, *& quase scriptum in multorum libris*, quæ suo tempore in *i* finiebantur; utque magis pateat brevissimo temporis spatio omnes illas in pronunciando mutationes factas fuisse audiantur insuper hæc ejus verba: *quid dicam vortices*, *& vorsus*, *cæteraque ad eumdem modum*, *quæ primo Scipio Africanus in E Literam secundam vertisse dicitur*: *nostri præceptores cervon*, *servonque V & O Literis scripserunt* &c. ne autem ab omni mollicie duram illam, & rigidam antiquitatem existimemus alienam, adhuc expedit observare, quod, Teste eodem Rhetore, *Cato Censorius non dicam*, *& faciam*; *sed dicem*, *& faciem scripsit*, *eumdemque in cæteris*, *quæ similiter cadunt*, *modum tenuit*. Diutius his inhærere, & omnes diversarum vocalium sonos in Latio inter se confusos, & permutatos referre, tædium pareret.

Supradictis mutationum originibus tertia, cui ipsæ suffragantur accessit: nempe unius linguæ in aliam translatio; si enim una, & eadem lingua diversas patitur mutationes, certissimum est, quod cum in diversam linguam transit pluribus, & gravioribus obnoxia fit, & longe magis ab extraneis, quam a seipsa, cogitur alterari, quia suum unicuique genti est peculiare genium, atque varia cum iisdem licet Literis, scribendi & pronuntiandi ratio: exempla sint omnia fere vocabula Græcorum, in *os* desinentia, quæ Romani civitate sua donarunt, ea enim in *us* solent referre: ὄλυμπος *Olympus*, κάλαθος *Calathus*,

thus, θεὸς *Deus* &c. etiam *ι* in *E* converterunt & *η* in a ut φήμη *fama* ποινὴ *pœna* : *o* in a ἄροτρον *aratrum*, aut in *E* γόνυ *genu*, aut in ι, ὄμβρος, *imber*. aut in *au* ὀρείχαλκον *aurichalcum* &c. ad diphthongos similes permutationes etiam accedunt : Αι in *Æ*, & ει in *E*, Αἰνέας *Æneas*. Αι in *A*, & A in V κραίπαλη *Crapula*; alias Ει etiam in ι simplex Νεῖλος *Nilus*. εα in a sic in inscriptione templi delphici γνῶθι σαυτὸν *nosce* teipsum pro σεαυτὸν; ȣ vero in *V* μȣσα *musa* βȣς *bos*; aliquando etiam in *E*, ut πȣς *pes*. denique ut his mutationibus finem imponam ῳ in *OE* ut κωμῳδία *Comœdia*, silentio tamen prætermittere non debeo, quod passim υ redditur per *V*, ut μῦς *mus*, σῦς *sus* δύω *duo*, Ausonius tamen loco sæpius citato testatur quod:

Cecropiis ignota notis ferale sonans V.

Nempe nulla Litera Græca ipsi penitus respondet, adhibetur tamen, quia ejus sonus licet diversus a Græcis vocalibus, nihilominus aptior quibusdam vocalibus designandis videtur, quam cæterarum omnino dissonans; unde etiam ad *O* exprimendum adhibetur sic νὺξ *nox*; alias *Y* Græcum, & cauda a cæteris aliis vocalibus distinctum; scribimus enim *Phryges*, *Pyrrhum*, & *Syllam*; qui *Sulla*, *Purrhus*, & *Phruges* etiam dicti fuerunt; unde donatus in Terentii Hecyram Act. 1. scen. 2. de anu Syra : *Suram veteres legerunt V pro Y ponentes, ut Musia, Suria.*

Quid si ad hodiernos Græcos, & degenerem Latinorum posteritatem descendamus? tunc sane evidenter patebit longius adhuc a genuina vocalium pronuntiatione discessisse : sane hodierni Græci, quique pessimæ eorum consuetudini suffragantur unum, & eundem sonum his ι. η. υ. αι. ει. οι. & υι &c. vocalibus tribuunt; constare autem debet linguam suavissimam, atque omnibus numeris absolute perfectam ingratissimæ illi μονῳδίᾳ, & ταυτοφωνίᾳ obnoxiam non fuisse; frustra etiam fuissent tot consonantes, si pronunciandi rationem non variassent : sed argumentis non est opus, sufficiet immutabiles animalium voces observare a Cratino enim poeta ineptus quidam describitur qui ὥσπερ πρόβατον βὴ βὴ λέγων βαδίζει *ut ovis bè bè dicendo ititabat*: & observant βὴ μιμητικὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς *bè imitari ovium vocem*, Eustathius in Homerum hunc versum citans, & Suidas; Hesychius vero βηβὴν esse πρόβατον scribit, *ovem dici beben*,

ab

ab illa voce; tam certum itaque est η sonuisse tunc ut *E*, quam certum est vocem ovium fuisse, ut nunc *bé bé*, non vero *vi vi* ut hodierni legunt: nomen secundo Literæ idem probat, dicitur βῆτα quod *Beta* reddit Ausonius l. c.

Dimidium Betæ monosyllabon Italicum B.

Fateor Veteres nonnunquam V Latinum per β reddere, & e contra β suum per V illud; immo indiscriminatim solent scribere Σεβήρου & Σευήρου &c. sed hoc evenit ex diverso linguarum sono ad utramque literam partim accedente; ut apud Ebræos Beth aspiratum fere ut V. lene ut β sonat: sic θῆτα, de quo Persius satyra 4, alludens ad morem adscribendi, θ, calculis damnatoriis, quia designat θάνατον

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta

Martialis similiter

Est operæ pretium discere Theta novum.

Denique ipsum Alphabetum hoc clamat, cur enim quæso ε diceretur ψιλὸν si non esset E magnum nempe H: quin plurimi hoc voluerunt ex εε simul junctis coaluisse quia ante longarum vocalium usum, duæ breves solebant adhiberi; sic ω ex duobus *omicron* Levi interstitio disjunctis constare videtur; & pridem observatum est inveniri in fine Comœdiarum Terentii oo, aut ω indiscriminatim, ut sic designaretur ὁ ὄχλος *Grex*, & *turba*.

Eadem ratio ꝗ υ; hinc *Achilleus* Latinis Ἀχιλλεὺς, Horatius: *ad pedes Achillei*; si *Vi* autem ab ι non differet, sic male redderetur: ταῦρος etiam est *Taurus*; quare ὑψιλὸν dicitur ad discrimen *V* consonantis, quæ validiorem sonum habet.

Αι etiam ut *I* non legebant antiqui, unde Αἰνέαν reddiderunt *Æneam*: sic Μαῖα *Mercurii mater* Latinis redditur *Maia*.

EI & HI. εἶα, Latine eia adverbium usitatissimum: Ἠίων locus in Bosphoro Cimmerio, quem *Eionem vocant* scribit Plinius lib. 6. c. 6. scio I pro ει nonnunquam in libris vetustis inveniri; sed a scribis diversum sonum confundentibus error ortus est.

OI. Ὀιλεύς pater Aiacis ut Testatur Homerus il. γ. similiter Virgilius Æneid. I refert *furias Aiacis Oilei* nempe filii; Propertius etiam

tiam Oilidem vocat lib. 4. eleg. 2. Græci τρώιαν dixerunt, Romani etiam ut ibid. propertius

---Troia cades, & Troica Roma resurges.

υι Ἅρπυιαι *Harpyiæ*, ita ut penultima syllaba duplici, diversoque sono gaudeat, quia υ medium inter V & O sonum debet obtinere.

αυ & ευ supersunt has autem diphthongos pronunciant hodierni, quasi *af*, & *ef*; at aliter antiqui testibus Plauti *pseudolo*, & Terentii *Heautontimoroumeno*, oporteret enim dicere Heaftontimoroumenon, & Psefdolon; Græci enim scribunt ψεύδυλον, ἑαυτὸν τιμωρȣ́μενον: eadem ratio *Pseudothyri* I. ostii occulti, in opposita patentis ostii parte constituti, sive postici, de quo Cicero orat. 2. in Verrem §. 50. & Pseudodamasippi dequo id. Epist. famil. l. 7. ep. 23. aut Pseudonardi, & Pseudodictami apud Plinium lib. 12. cap. 12, & lib. 25. cap. 8. innumera alia exempla addi possent; verum hæc sufficiunt ad demonstrandam hodiernam Græcorum pronunciationem ab illa, quæ temporibus Ciceronis, & Plinii obtinebat esse diversissimam.

Idem judicium de Latinitate etiam ferendum est; omnino enim degeneravit, & in ipso Latio frustra illam disquirere Romani satagerent: fragmenta quædam quasi e naufragio emersere, & miserandarum reliquiarum instar conservantur inter Italos, Hispanosque & Gallos etiam, sed ne umbram quidem pristinæ majestatis minimam exhibere perhibentur; sane confusus est præcipue vocalium sonus, & nulla fere est, quæ sociarum omnium vices non aliquando usurpet; ita ut vix ulli sonum, qui cum primogenio conveniat, liceat assignare; ut sequentibus exemplis evidenter probatur.

Itali *A* loco *E* usurpant, & *fidar*, *rachiudere*, *rapresentare* &c. dicunt, non *fidere*, *recludere*, *repræsentare* alias *a* pro *i* ut *ancude*, pro *incude*.

Alias *a* in *o* mutarunt dicendo *povero* pro *paupere*.

Hispani vero *A* in *E*, in *i*, in *o*, & in V mutant; nam *Ebenus*, *Ampulla*, *Ossa*, atque *æqualis* ipsis sunt *Evano*, *Impolla*, *Huessos*, *Igual*, aut ut Italis *Vgual*; quin *au* in *o* vertunt, nam *Oro*, *Moro*, *Toro* dicunt, non *aurum*, *Maurum*, *Taurum*, & Caminus ipsis est *Cheminia*. an quæso ullum ex omnibus his intelligeret vocabulum redivivus Cicero?

E non

E non minorem experitur mutationem, & *I* occupat locum in his vocabulis *cenere*, *segno*, *degno*, *fede*; id est *cinis*, *signum*, *dignus*, *fides*, & innumeris aliis inter Italos usitatis: supplantavit etiam *V* *annulus* enim Italis est *anello*; atque indebitum insuper passim usurpat locum sic cethera pro Cythara dicitur, & sonum *i* etiam suo adjunxit, in his, & similibus vocibus *Tiepido*, *intiero*, *fiero* &c. in quibus sola olim audiebatur, cum *Tepidum*, *integrum ferumque* dicerent Romani: Hispani similiter ad *E* primitium I solent addere, sic *mienbro*, *encantamiento* &c. pro *membro*, *incantamento* &c. alias E absorbet I *menor minor*: & *pez* piscis; at *pie*, pes *I* vicem reddit, & simile jus exercet in his syllabis quas cum *E* componit, ut *Tiempo*, *desierto*, & cæteris, quas absque ullo jure ingreditur; præterea sese in locum *O* insinuat dum *Cielo*, & *Ciero* dicunt Itali neque amplius *Cœlum*, & *Cærum*: pellit etiam E passim ex propositione *re*, dicimus enim *Riamare*, & *Ricevere*, ut *Dinero*, *Dimonio*, & *Difenso*, pro *Defenso*, *Dæmonio*, & *Denario* ut *Dio*, pro Deo: Hispani contra sæpius *I* in *E* solent permutare, ut *Encantar*, *Encorporar*, *Lengua* pro *Incorporare*, *Incantare*, *Lingua*; quin sub forma Y totam *H*, & *V* vim complectitur, nam *Herba*, & incus ipsis sunt *Yerva*, & *Yunque*.

O occupat sæpe *E* locum: *Agro*, *Dovuto* sunt *Ager*, *Debitum*: etiam I. *Debole* enim est *Debilis*: & V. sicut in Moglie, *Mulier*, *Mondo Mundus*, *Ago Acus*, *Capo Caput*, *Croce Crux* & sæpissime. Alias absorbet *I*, & ejus vim complectitur, ut in *Cauzone Cautio*, *V* etiam in *Ploia*, *Occhio Pluviæ*, *Oculus* &c. alias O degenerat in *VO* sic ex Solo, Tono, Voto, Statua prodierunt *Suolo*, *Tuono*, *Vuoto*, *Statoua* &c. imo magis adhuc crevit *Givoco*, I. *Jocus*. Hispani etiam V in O permutarunt Testis est *Lobo Lupus*, & addi possunt terminationes in us redditæ per *O*.

V denique solet intimam cum *O* inire Societatem hinc *Bueno*, *Fuoco*, *Nuovo*; at Hispani *O* amandant, ipsique *E* præferunt dicentes *Bueno*, *Fueco*, *Nuevo*, I. *Bonus*, *Focus Novus*, & plurima nomina ejusmodi, quæ cuivis obvia sunt, V insuper nonnunquam mutatur in E. *Neblia*, enim, & *Nevola* est nubes, & *Lepre* est Lepus. alias etiam mutatur in *VY*, nam ex *Tua &*, *suo* fit *Suya*, & *Tuyo* &c.

Nullus esset finis si varius omnium vocalium, secundum diversam earum

earum cum diversis consonantibus connexionem, sonus distinguendus, atque observandus esset; vix enim credibile est quantum hac ratione, tam in hodiernis linguis, quam in veteribus soleat immutari: sed præcedentes mutationes nostro proposito sufficere arbitramur.

Quamobrem, ut tandem e diverticulo non inutili redeamus in viam, tres conclusiones certissimæ ex his omnibus vocalium inter se invicem permutationibus manifeste colligi debere videntur, quarum prima est, difficillimum esse reducere ad certos, & constantes sonos, omnes unius cujusque linguæ, etiam in eadem regione comprehensæ, vocales; quia quantumvis exigui sint illius regionis, & linguæ fines, nihilominus varia erunt incolarum temperamenta, & genia: quidam robusti erunt qui igneis spiritibus turgentes masculam emittent vocem, & plenas ita acuent syllabas, ut *E* ad *A* proxime accedat, atque *O* & *V* sibi mutuam vicissim præstent operam, quo illud crassius hoc elatius sonet, indistinctumque fere utrumque animadvertatur; alii debiles, & effæminati exilem edent vocem, vocalesque magis robustæ in eorum ore ita attenuabuntur, ut vix *E*, & *I* minutias valeant superare, quod continua experientia confirmatur.

Altera conclusio demonstrabit longe adhuc difficilius vocales omnes inter se æquabiliter componere, quæ diversas linguas in dissitis a se invicem regionibus usurpatas constituunt: aer enim, & varia cæli solique constitutio, alimentorum etiam, atque morum diversitates incredibilem inducunt voci differentiam; in regionibus enim amænis, excultis, & temperatissimis vox nitidior & magis flexilis, in crassis vero & horridis obscurior, impeditiorque, & consequenter pronunciationem hæ reddunt confusam, illæ contra distinctam atque purissimam; quin consuetudo nescio unde orta has adhuc diversitates magnopere adauget, ut in Anglis patet qui in pronunciandis vocalibus adeo discrepant a cæteris gentibus, ut nulla sit, quæ ipsos Latine loquentes absque diuturno studio possit intelligere, quamvis cæteræ, ut Hispani, Itali, Germani, Dani, Suedi, Poloni, & Moscovitæ etiam ultra Europæ nostræ limites promoti illa lingua sese commode alloquantur.

Tertia conclusio audacter affirmabit, nobis penitus impossibile esse proprium, & genuinum singulis vocalibus linguæ antiquissimæ, & in regione a nobis remotissima usurpatæ, atque ante duo annorum millia

millia obſoletæ, ſonum perfectè aſſignare; quandoquidem quanto a nobis abeſt loco, & tempore, tanto diſſidet a linguis noſtris, lingua illa, & tamen cogitur noſtrarum vocalium ſonis ſuos accommodare, ut hos explicet, cum per ſeipſam non poſſit amplius ſe explicare; ſic diſparitas noſtræ pronunciationis hodiernæ ab antiqua, & a genio noſtro remotiſſima lingua, non poteſt debitum vocalibus hujus ſonum nobis exhibere, ſed contra valde nocet illo ipſo, quo nos incipit determinare, præjudicio; ut enim oculus flava bile infectus inficit objecta, ſic auris quibuſdam ſonis tota intenta, diverſos ab his vix poteſt diſcernere.

Itaque non eſt expectanda vocalium Ebræarum certa, conſtans, & diſtincta expoſitio, aut ſoni unicuique proprii exacta definitio: quandoquidem lingua illa omnium, ut vidimus, prima cæteris quidem ingentem dotium ſuarum copiam conceſſit, ſed nihil ab illis mutuabatur, quia omnibus numeris erat abſoluta & eo ipſo, quo perfectior, illæ ſenſim ab illa magis declinarunt, quia facilis ad defectionem deſcenſus, & præterea inevitabilis fuit ob frequens illarum omnium inter ſe commercium, ab Ebræa vero divortium; quoniam Ebræi omnium gentium fugiebant ſocietates, ipſique viciſſim ab omnibus negligebantur.

Si quæ lingua utilem Ebraicæ illuſtrandæ operam præſtare poteſt, Chaldaica proculdubio erit, quia diutius cum ipſa manſit conjuncta; licet enim in ipſo Babylonis campo confuſio linguarum divinitus immiſſa ſit, nihilominus benigna providentia Dei voluit, ut Chaldaica lingua ab Ebræa minus differret, quia ſedes ipſis Ebræis Chaldæa aliquandiu conceſſit, & ingratiſſima, moleſtiſſimaque illis fuiſſet hæc habitatio, ſi cum præcipuis incolis colloquia, & cætera vitæ civilis officia habere non potuiſſent; imo patet habuiſſe ex hiſtoria Jacobi, & Labanis propria enim lingua unus cum altero agebat, & ex hiſtoria regum etiam evidenter colligitur, ad poſtrema uſque Ebræorum, & Chaldæorum regna, ſufficientem inter utriuſque gentis linguas, ut reciproce ab utriſque intelligerentur, duraviſſe affinitatem: verumenimuero pauciſſima reſtant illius linguæ monumenta, & tantum abeſt, ut quærunque reſtant, ad genuinum vocalium Ebræarum ſonum exponendum valeant inſeruire, contra ab Ebraicis punctis, quæ in gratiam Ebræarum vocalium primo excogitata ſunt, totam vim ſuam obtinuerint ſuperſtites Chaldæorum vocales; nam conſtat, ut opti-

optime observavit Elias in præfatione sui *Methurgeman* quod המתרגמים כתבו תרגומם בלי ניקוד: *Targumistæ suas paraphrases Chaldaicas scripserunt absque punctis :* constat אחר זמן רב ננקדו על יד יחיד או רבים אנשים בלי שם *post longum tempus tandem punctatas ab uno, aut pluribus hominibus nullius nominis :* constat denique punctationem illam privata auctoritate a viro ipsis Judæis ignoto recenter factam ברצונו *ad libitum*, & absque regula, aut ratione ; על כן יצא משפטן מעוקל : *propterea aberrat hujus* interpretis, & *illorum* qui ipsum imitantur, *judicium atque transversum agitur*, addit idem Rabinus, quamobrem opus fuit, ut doctissimus Buxtorfius illam punctationem corrigere & ad exemplar Chaldaici textus Esdræ, & Danielis totam reformaret : nihilominus ob vocales sonum convenientem absque punctorum illorum subsidio perspicue exhibentes minime contemnendam nobis præstant operam paraphrases illæ, quoniam sua antiquitate merentur venerationem; licet enim non eadem sit de Jonathanis, Onkelosi, & Josephi cœci Targumistarum ævo sententia, extra omnem dubitationis aleam videtur, quod simulatque deficere visa est in Judaica plebe linguæ Ebrææ cognitio, ipsius eruditioni providerit pia doctorum solicitudo, atque in linguam vulgarem, nisi in ipsa captivitate, saltem immediate post ipsius exitum, adornaverit versionem, ne Lex aut historia sacra ex cujusquam memoria delerentur : sed quia a pluribus, & per partes hæc versio diversimode peragi debuit qui ad nos pervenerunt interpretes forsitam sategerunt, ut in statum uniformem, & accuratiorem redigeretur; sane nemo debet inficiari saltem tempore Christi receptam talem interpretationem inter Judæos cum שבקתני *dereliquisti me* ex Psal. 22-1. ex illa citare maluit, quam עזבתני ex Ebræo textu quasi notior, & vulgatior tunc fuerit: quod posset etiam confirmari diversis locis, qui ab Ebræo textu, & versione Græca recedentes paululum, alterius versionis vestigia secuti videntur : quapropter subsidium hujus versionis in Evangelio celebratæ non est nobis contemnendum, quamvis nostræ utilitati non semper satisfaciat.

Græca septuaginta interpretum expositio commodior est, vocalibus enim diuturno, & nondum penitus obsoleto usu sonoris constat, atque his vocalibus passim Ebraicis directe respondentibus, abditam illarum vim promere, & in apertum exponere dilucidius videtur, dum nomina Ebræa literis Græcis redduntur.

La-

Latina vetus ex Græco facta, & Hieronymitana ex Ebræo, prosunt dumtaxat ad illustrandos sensus obscuriores, & ad declarandam pronuntiationem tunc receptam; unde propositum nostrum nonnunquam promovebunt.

Itaque linguæ Ebrææ genio ex ejus reliquiis Sacris noto, & interpretationibus Chaldaicis, Græcis, Latinisque freti, delitescentes Ebræarum vocalium sonos expromere nunc aggredimur; neque aspernabimur punctationem, sed in ea præcipuum constituemus momentum & reservabimus caput integrum ad antiquitatem ejus examinandam.

Memoriæ nostræ infixum permanere debet, quod ipsum nomen unius cujusque Literæ, in quavis lingua, vim ejus exhibeat, & cum pluribus sonis constat, primum esse sonum ejus proprium, atque genuinum, cum hoc dumtaxat discrimine, quod vocales mero spiritu exprimantur; consonantes vero characterem organi a quo formantur præ se ferant.

א. *Aleph* igitur est *a*, & simplici oris apertione erumpit: sic אָב *ab pater* constat ex spiritu sic erumpente, & ב *Beth* consonante, formata a Labiis spiritum illum comprimentibus; hinc Syri qui hanc vocem bisyllabam faciunt, & ei alterum א in fine addunt, sic אַבָּא pronunciant *Abba*, sicque redditur in Sacro Textu ἀββᾶ Marc. 14-36. Rom. 8-15. & Gal. 4-6. & eadem vox in compositis innumeris ab omnibus linguis redditur; ut *Abraham*, *Abimelec*, *Abiathar*, *Absalom* &c. conservatur, ab illa etiam formatur *Abbas* monachorum pater, אָבִיב *Abib* mensis pariens primos fructus Exod. 13-4. אֲבַדּוֹן *Abadon* pernicies est, & exitium, sicque exponitur Apoc. 9-11. & Literis Græcis redditur ἀβαδδων, sicque *a* τῷ א respondet אָדָם *Adam* primi hominis nomen est in omnibus linguis conservatum, Ἀδὰμ Græci, & similiter alii uno ore nuncupant; ab אֲדָמָה *terra rubra*, qua formatus est.

אֲדֹנָי *Adonai Dominus* unum est e Dei nominibus sic legitur, & exponitur a S. Hieronymo in Ezech. cap. 6-1. & nomen illud multa cognomina ingreditur ut *Adoni-Bezek* Judic. 1-5. *Adoni-Sedek* Jos. 10-1. &c. quæ similiter Literis Græcis scribuntur.

אֲדָר *Adar* mensis duodecimus Ebræorum, Græci interpretes etiam reddunt Ἀδάρ.

אָמֵן *Amen* particula hæc, quæ præcum summam colligit, & in varia

ria

ria vota distractam mentem reducit ad unum illa comprehendens, ut unitis viribus misericordiam divinam validius commoveat, apud gentes obtinet: cum autem ab Ebræis quotidie debuerit usurpari, non potuit mutari, sed immutata Græcis, & cæteris gentibus ab illis tradi oportuit; hinc Græci ἀμην referunt Nehem. 5-13. & omnes linguæ absque ullo discrimine; his & innumeris similibus exemplis, evidens est aleph Ebræorum plane respondere τῷ ἄλφα Græcorum, & nostro *a* vocali: id tamen adhuc erit evidentius exemplis illis in quibus Aleph radicale æstimatur *a* longum dumtaxat designare, aut ut tale ablatum quando puncta cæperunt apponi sicut Mich. 7-2. *omnes propter sanguinem* יֶאֱרֹבוּ *insidiantur* 70. δικάζονται *litigant*, quasi a רוב *litigavit*; cui *Aleph* minime convenit, & potuit dumtaxat adhiberi ante puncta inventa ad designandum *cames*, quod debet subjungi literis futura præformantibus verborum Vau mediam radicalem habentium in Kal, sicque legerunt quasi scriptum fuisset יָרֹבוּ: cum יֶאֱרֹבוּ veniat ab אָרַב *insidiari*, simili Græcorum interpretum errore 1. Sam. 15-5. יָרֶב legitur pro יֶאֱרֹב quia *cames* sufficienter visum est exprimere א: aut contra, licet minime sit Aleph radicale, tamen ad *a* vocalem designandam dumtaxat superadditur, ut Jerem. 52-15. legimus Nebuzardan transtulisse residuum הָאָמוֹן *turbæ*; *turba* enim dicitur הָמוֹן ab הָמַן *tumultuatus est*, & Masora marginalis observat ad hanc vocem, quod non amplius sic scripta reperiatur, licet plene scribi soleat; quamobrem ad adjuvandam lectionem, & significandum exilem sonum ה initio hujus vocabuli non sufficere, sed masculum & ad *a* tendentem requiri additur א. Sic Job. 7-5. יִמָּאֵס *dissoluetur*, & יִמָּאֲסוּ *dissoluentur*, vel *Liquefient* Psal. 58-8. a verbo מָסַס unde igitur illud א? si enim consonans est, ut adversæ sententiæ patroni volunt, inauditum consonantes irrepere inter radicales literas, & occupare illarum locum, cum Ebræi id non concedant nisi duabus nempe ו & י, quæ sustentacula ordinaria affinium vocalium ab ipsis habentur: hinc R. Aben Ezra in Job. 7-5. ימאס מן מסס והא׳לף תחת הס׳מך כאל אשר באוו נהרים. verbum ימאס *venit a* מסס, *& Aleph in eo pro samec, ut in* באוו *diripuerunt flumina* Jes. 18-2: verum quo exemplo talis permutatio probabitur licita? Literæ quidem ejusdem organi, quia sunt affines, non raro permutantur, at *Aleph* gutturalis a Samec Dentali est remotissima; præterea nec etiam Samec desideratur, ut vicaria ope indigeat; quoniam verba, quæ tertiam radicalam secun-

cundæ ſimilem habent, & duplicantia nuncupantur quia duas illas Literas in unam compingunt; unde מָסַס in conjugatione paſſiva niphal habet נמס, ut a Rabino probe obſervatum, quod in tertia futuri perſona ſingulari requirit יִמַּס, & hic ob finalem accentum יִמָּס quia accentus ille producit ſyllabam, quam afficit; quamobrem ad camets illud extraordinarium deſignandum א addi debuit; ſi autem Samec adderetur, hoc verbum duplicativum ad formam regularium inepte reduceretur. Huic exemplo ad noſtræ ſententiæ confirmationem idoneo aliud ſuppeditat Rabinus ſcilicet בָּזְאוּ verbum itidem duplicativum, quod regulariter eſſet בָּזְזוּ idcirco R. Salomo Jarchi annotat : בזאו כמו בזזו האלף תמורת הכפל, *ſcriptum* בזאו quaſi בזזו, *Aleph in vicem ſive compenſationem duplicuatis*, optime ad propoſitum noſtrum, conſonantis enim defectum, & vocalem breviſſimam, Aleph longum ſufficienter compenſat : ne autem quid peculiare in hoc verborum genere aliquis ſuſpicetur, in aliis generibus exempla ſimilia proſtant Zach. 14-10. רָאֲמָה *exaltatur* a רום ad quam vocem R. D. Kimchi ראמה בתנועת האלף והוא במקום וי"ו ע"ין הפעל כאלף וקאם שאין אלא : האלף הת״א נחה verbum hoc ראמה *cum Aleph mobili eſt, illudque in loco Vau ſecundam quorumdam verborum radicalem Literam conſtituentis: ut Aleph in* קָאם *ſurgit tumultus* & quieſcit Hoſ. 10-14. ubi iterum obſervat hoc Aleph loco ſecundæ radicalis poni; at ſecunda horum verborum radicalis in præterito apponi non eſt opus, neque apponi ſolet; quin conſideratione dignum; quod *obſervat hic quieſcere*, ſive eſſe otioſum nempe ob Camets additum, quod partes ejus agit, ſed antea otioſum non erat, neque otioſas Literas textui Sacro inepte adſcriptas convenit exiſtimare : in ipſis verbis perfectis in quibus nulla radicalis ſupplenda eſt, exempla etiam inveniuntur ad refellenda ſubterfugia, ſic invenimus 2. Sam. 11-1. מְלָאכִים *reges* a מָלַךְ *regnavit*, in qua nullum habere locum poteſt *Aleph*, niſi vocalem *a* deſignet; quare Ebræi interpretes permutationem hic nullam obſervant, & Maſora dumtaxat ad marginem notat א יתירא. *ſuperfluum eſt Aleph*; at non ſuperfluum erat ante appoſita puncta, quæ vocalium ſonos edunt, ſed ipſiſſimum ꝫ Camets ſonum edebat. Sic Jeſ. 19-6. הֶאֶזְנִיחוּ *abjiciunt*, א neque ad originem, neque ad formationem, pertinet ſed ad ſonum ex *a* & *e* mixtum deſignandum.

Verum enim vero ut omnis dubitandi anſa penitus aufferatur obſer-

vandum vocales Ebræas locum ſuum non conſtanter obſervare, ſed pro varia conſtructione, & numerorum diverſitate multipliciter immutari, quamobrem lingua adhuc inter doctos florente, potuerunt nonnunquam negligi; quia ex linguæ genio, & normis tunc unicuique eorum cognitis facile ſupplebantur; idcirco Aleph aliquando deficit, licet ſit radicalis, ut vidimus ſuperfluum alias exiſtimari, verbi gratia Geneſ. 30-11. in בָּגָד 1. *proſperitas* ſecundum Pagninum; at radix *perfidiam* potius deſignaret; quare Maſora notat hanc vocem eſſe unam ex iis, quæ conjunctim ſcribuntur, & diviſim legi debent, ſic legerunt 70, verterunt enim ἐν τύχῃ *in fortuna* ſic ב propoſitio ipſis viſa eſt, & גַּד *fortuna* revera Rabi Salomo Jarchi exponit מזל טוב *Sydus fauſtum*, & R. D. Kimchi in Jeſ. 65-10. ubi Propheta arguit eos qui parabant לַגַּד *huic Gad menſam*; 70. τῷ δαιμονίῳ, ſcribit: גד פירושו מזל כלומר מקריבים למזל מן מזלות ואמר רבי משה כהן שהוא כוכב צדק כי כן יקרא בלשון ערבי: *Gad interpretantur Sydus, eſt igitur quaſi diceret ſacrificant Syderi uni e cæleſtibus conſtellationibus, & R. Moſes ſacerdos dicit eſſe planetam Jovis quia ſic nuncupatur in lingua Arabica* &c. non invenio Jovem expreſſe dictum *Gad* ab Arabibus; ſed ipſis גַּדָּד *gadda*, & גָּאד gada ſignificant *magnum, divitem, & beneficum* eſſe, unde Jovem, quem beneficum ſydus exiſtimabant, forſan denominatum *Gad* putaverunt: ſed ſi ב præpoſitio, ſceva habere debuit; at habet Camets, quapropter Maſora notat ad marginem cap. 30. Gen. legendum באגד *venit Gad* ſive *fortuna*, aut ut alii malunt *Turma*, quia ſe uno filio auctam gaudebat Lea, & numeroſioris poſteritatis ex eo ſpem concepit; ſic revera legit Onkelos qui reddit אתא גד *venit proſpera fortuna*, vel *Turma*; Jonathan ben Uziel, & Hieroſolymitanus paraphraſtes cum maxima Judæorum parte ſic etiam legunt, & poſt ſe trahunt Junium & Tremellium, Galloſque interpretes, qui idcirco coguntur agnoſcere א τῷ ב addendum, cum eſſentiale ſit verbo quod ſignificat, & conſequenter e Textu effugiſſe, quia ſponte intelligebatur: addam Syrum interpretem, & Aquilam etiam, ut Targumiſtas legiſſe, & patere diu priſtinam Lectionem fuiſſe conſervatam: ſimiliter 1. Sam. 25-8. בָּנוּ *venimus* pro בָּאנוּ: plura ejuſmodi exempla addi poſſent; uno tamen contentus ero, quia ſimul confirmabit *Aleph* olim adhibitum ad *a* deſignandum, atque aliquando etiam ſubſtractum, quia commode ſubintelligebatur: צִיאר *col-*

collum a צור *in angustum redigi*, quia collum inter caput grandius & vastos humeros coarctatum minuitur; sic non requirit *Aleph*, quod apposito Camets mansit prorsus inutile, ut videre est apud Jes. 8-8. unde alias exulat, ut Nehem. 3-5. scribitur צַוָּרָם *collum eorum*, neque dubito quin eadem sit ratio vocis הַתַּנִּין *Draconem* significantis Nehemi. 2-13. agitur autem de fonte insigne quoddam in draconis effigiem conformatum habente, & ab auctoribus celebrato; at Græci interpretes vertunt *fontem τῶν συκῶν ficuum*: quare quæso? nisi quia habebant in exemplari suo תאנין ficus, & *Aleph a* vocalem exprimente pro radicali acceperunt.

Quo autem manifestius appareat *Aleph* suo vocalis munere fungens post adhibita puncta hoc munus usurpantia passim disparuisse, testem producemus Samaritanum pentateuchum, cujus antiquitas procul dubio est antiquissima, Ebræum autem, a quo exscriptus est totidem Literis referre debet, & sola literarum forma ab ipso discrepare; sæpe tamen Aleph habet in iisdem vocabulis, quæ illo carent in exemplari hodierno Ebræorum, ut Gen. 33-13. videmus in exemplari Ebræo עָלוֹת *Lactantes*; at Samaritanus habet עאלות nempe appositum postea Camets, & locum, & officium hujus *Aleph* occupavit: sic 42-38, & 44-31. בְיָגוֹן *in dolore*, & Samaritanus ביאגון. 44-29. in Ebræo habetur קָרָהוּ *accidet ei*, in Samar. קארהו. sic Num. 5-18. in Ebr. הַמָּרִים *Amaræ*, Sam. המארים. 11-25. illud habet יָסָפוּ hoc יאספו *addiderunt*. Deut. 28-7. illud etiam הַקָּמִים *surgentes* hoc הקאמים. hæc specimina sufficere debent, quia cæterarum vocalium exemplis confirmabuntur; & manifeste declarant א adhibitum ad a vocalem significandam, & substractum, cum ־ appositum est, quod probat ejus vim habuisse.

ה *E* idem nomen, & idem sonus modo aspiratio ex abusu orta amandetur, quod sequentibus exemplis evidenter demonstratur. מַקְהֵלוֹת 70. Μακηλῶθ, vulg. *Maceloth* ubi manifesto ה redditur per E Num. 33-26.

הין *ein* iisdem omnino Literis redditur a Græcis ἐιν Exod. 20-40, 34-24, Ezech. 4-11, & 14, unde corrigi debet alibi scriptum mendose ἴν ob pronuntiationem *jota*, quæ ad ει proxime accedebat: *ein* autem est mensura liquidorum.

הן *en* 1. *ecce*, cujus particulæ usus remansit Latinis, & invenitur Genes. 3-22. & passim.

:הבן Ἔβεν☉ *Ebenus*, & quamvis ſcribat Virgilius Georg. 2. v. 116.

—— Sola India nigrum
fert ebenum.

Notum tamen fuit Ebræis lignum illud, & pretioſiſſima opera ex illo facta cognoverunt, quæ Ezech. 27-15. celebrantur dicunturque הובנים ſed Vau irreptitium declarant Maſorethæ leguntque הבנים, & nomen illud a prima lingua ad cæteras tranſit, unde Arabibus etiam eſt אֶבְנוּס *Ebenus.*

הי *Ei* retrorſum lectum in fronte templi delphici de quo Plutarchus.

הִנֹּם invita punctatione 70. Ἐννὸμ, celebre viri nomen redditur a Græcis interpretibus Joſ. 15-8. & a Vulg. Ennom, a quo nomen accepit vallis amœniſſima prope Hieroſolymam, quæ ipſiſſimas delicias valuit denominare, Syris enim הֶנְיָן *enian* ſunt *deliciæ*, & *amœnitates:* vallis illa etiam nuncupatur גֵּי בֶן־הִנֹּם ut hic & 18-16. 2. Reg. 23-10. Jerem. 7-30. & 32. 19-2, 6. alias ſimpliciter dicitur גֵּי־הִנֹּם *gennom* vallis Ennomi ut etiam Joſ. 15-8. modo redditur, niſi quod nonnunquam conjunctim ei aſcribunt *ge* vel γαι vallem ſignificantis, ſic Joſ. 18-16. habent 70. γαιέννα *Geenna*; unde γεέννης & γεέννα *Geenna* in Novo Teſtamento, pro *æternis* inferorum cruciatibus Mat. 5-22, 29, 30. 10-28. 18-9. 23-15, 38. Marc 9 43, 45, 47. Luc. 12-5. Jac. 3-6. ſcilicet idololatræ amæniſſimam prope Hieroſolymam *Ennomi* vallem ad impios Moloci cultus elegerant, ut illa loci amœnitate ſocios allicerent; Joſias autem rex pius contrario propoſito, omnia, quæ in eo loco placuerant, devaſtavit, & contaminavit, ut memoriam idololatrici cultus aboleret, quemadmodum refertur 2. Reg. 23-10. cum autem nihil ſit fœdius cadaveribus, præſertim inter Iſraelitas, quibus morticinia polluta erant, juſſit in eam vallem cadavera canum, equorum &c. cum cæteris ſordibus tranſportari; quare continui ignes ad illa conſumenda neceſſarii fuerunt, & vermes etiam innumeri fuerunt, qui ſuperſtites reliquias depaſcerent, indeque vermes immortales, & ignes inextinguibiles inferorum, & nomen etiam *Geennæ*; ita priſtinum nomen continuus uſus conſervavit invariabile: in eoque ה vim ſuam *E* vocalis ſemper conſervavit.

הוּפַּלְח,

הופרת, Ευφράτης, fluvius Euphrates Gen. 2-14.

יְיֵלִילוּ ejulabunt Jes. 25-5. ab יָלַל habet ה pro *E*; nam illa Litera non est ex radice, neque in formatione futuri requiritur, sed duæ breves, quæ initium futuri constituunt, in *E* longum converti debent, & idcirco hæc vocalis olim adhibita semper remansit.

הַכִּכָּר Ε'κχεχάρ redditur a 70. Nehem. 3-22. sensus, neque ulla ratio eos sic referre coëgit; nam ה illud demonstrativum præponitur vocibus; sed earum integritatem non componit, & כִּכָּר *planiciem* designat; quamobrem ה per *E* non reddiderunt, nisi quia nomen loci ipsis ignoti referendum putarunt genuinis Literis quæ Ebræorum vim exhibebant.

אלוה *Eloe* reddit S. Hieronymus, sic enim legendum Epist. 136. Addam unum exemplum ex Josepho antiq. lib. 3. cap 8. agit de ornamentis pontificis scribitque Balteum ejus Ebraice dici αβανήθ, & Chaldaice ἐμίαν: revera Exod. 20-40. duo ejus baltei אַבְנֵטִים *abnetim* pluraliter in Textu Ebræo nuncupantur, & in Chaldaica paraphrasi הֶמְיָנִים *Emeianim*; ubi E τῷ ה respondet: sed forsan quibusdam decretorium videbitur Amos 4-13. מַה־שֵּׂחוֹ quid meditatio ejus? 70. redunt τὸν χριστὸν αὐτοῦ legerunt itaque מְשִׁחוֹ quia noverant ה pro *E* brevi posse usurpari.

ו. *Vau* respondet vocali *V*; sed quia hujus Literæ sonum in sua lingua Græci non observarunt, illam in ἐπίσημον mutarunt, & idcirco ad calcem Alphabeti rejecta, cum cæpit usurpari, ut supra observatum. & tunc illud *V* τῷ Ebræorum *Vau* exprimendo inservivit, paucissimis autem vocabulis hæc vocalis est initialis; quamobrem plurima non producemus exempla, & petenda erunt ex exemplis cæteras vocales spectantibus, in quorum medio, & fine passim occurrit.

וַשְׁתִּי *Vasti* reginæ *Assueri* uxoris nomen Esther. 1-9. extat, eadem illa vocalis in medio regis nomine אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ, & per *V* similiter invita punctatione hodierna additur: Græci interpretes reginam Ἀστὶν *Astin* dicunt ob rationem supra observatam, sicut Æolibus *Aurora* αὠς dicta, quæ aliis αὐὼς, & αϝὼς, ob difficilem ipsis *V* vocalis sonum; videatur Scaliger de lit. Jonic. orig. in suis ad Euseb. animadvers.

וָפְסִי *Vapsi* redditur ab Hieronymo, & confuse a Græcis Num. 13-15.

וַשְׁנִי *Vasseni* ab Hieronymo 1. paral. 6-26. a Græcis dicitur Σαυὶ rejecta ו ob rationem dictam; at caput hujus sacerdotalis genealogiæ לֵוִי Levi ab iis bene redditur Λευὶ ubi ו per υ & a Latinis per *V*: sic in eodem capite דָּוִיד *David* ab iisdem redditur Δαυὶδ, ut in Psalmorum libro semper, quod probat diversam fuisse horum nominum pronunciationem.

חִוִּי Εὐαῖος, *Evæus* Gen. 10-17. יְבוּסִי Ιεβουσαῖος *Jebusæus* vers. præced. vers. 11. etiam נִינְוֵה Νινευὶ, Vulg. *Ninive* vers. 7. חֲוִילָה 70. Εὐιλὰ: & innumera similia nomina pro Vau Ebræo υ & V habere perhibentur; sic עֵשָׂו 70. Ησαῦ Gen. 25-25. Vulg. similiter *Esau*: pauca hæc ex innumeris.

Addam Kibbuts æstimari ὑψιλὸν Græcorum, & *V* breve Latinorum ab omnibus grammaticis, jam vero ut pateat *Vau* Ebræorum hujus vocalis vim habuisse, convenit observare plurima vocabula, quæ nunc Kibbuts in codicibus punctatis Ebræorum habent, *Vau* simplex olim habuisse modo fidem habeamus pentateucho Samaritano, quem exscriptor mutatis dumtaxat Literis Ebraicis in Samaritanas constituit, sic Gen. 24-39. Ebræi codices habent אֻלַי vers. 35. שִׁלְחֻנִי 26 7. יַהַרְגֻנִי 27-21. אֲמֻשֵּׁךְ vers. 3. יָקֻם 30-20 & 35-23. זְבֻלֻן 42. עֲטֻפִּים Samaritani vero: אולי. שלחוני. יהרגוני. אמושך. יקום. זבולון. עטופים innumera ejusmodi exempla superaddi possent: alias Vau longum sive Schurek a Græcis per ου, ita שָׁאוּל 70. Σαοὺλ Vulg. *Saul* שְׁמוּאֵל Σαμουὴλ 70, & *Samuel* Vulg. Sic Ebræis: שׁוּשָׁן *Sousan*, Lilium; Græcis vero σοῦσον, & a Liliorum copia Persarum Metropolis dicta est שׁוּשָׁן *Susan*; imo mulier ob candorem Liliis minime cedentem, dicta שׁוֹשַׁנָּה Σουσάννα, *Susanna* quæ Luc. 8-3. scribitur *Susan*: de urbe vero fit mentio Esther. 1-2. observavit autem Stephanus de urbib. dici ἀπὸ τῶν κρίνων, ἃ πολλὰ ἐν τῇ χώρᾳ πεφύκει ἐκείνῃ; σοῦσάν τε αὐτὸ καλοῦσιν οἱ βάρβαροι, *a Liliis quæ copiose nascuntur in illa regione; Susan enim Lilium vocant Barbari*; quare, ut obiter dicam, bene Chares, & Aristobulus apud Athenæum lib. 12. cap. τὰ Σοῦσα διὰ τὴν ὡραιότητα τοῦ τόπου; σοῦσον γὰρ εἶναι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ τὸ κρίνον *Susan propter loci amœnitatem sic nuncupari, Suson enim, lingua Græcorum dici Lilium*; sed advertendum Lilium Græce dici κρίνον, & explicare Ebræam vocem; שׁוּשַׁן *Susam* sive σοῦσον, quæ Græca non est: Etymologicum magnum alteram exhibet hujus denominationis originem, & Susam dici ἀπὸ τοῦ ἱππάσιμον αὐτὴν εἶναι; *quia equis abundat*

dat; revera Ebraice סוּס *sus* est equus, & in utraque etymologia *Vau* & *V* sibi respondent.

פּוּעָה *Phua* nomen est unius obstetricis Ægyptiacæ Exod. 1-15. 70. Φȣά, sic Græci, & Latini consentiunt per V longum exprimemere *Vau* Ebræorum.

פּוּטִיאֵל 70. Φȣτιηλ Vulg. *Phutiel* Exod. 6-25.

יָוָן Gen. 10-2. 70. reddunt Ἰωύαν. הוֹשֵׁעַ 70. Αυσην reddunt Jos. 13-9, 17. quis non novit Jones in primis ab Jone dictos: denique solet in fine etiam absque punctis sic sonare עֵשָׂו Ἡσαῦ Esau. פִּיו *piu* os ejus. שְׂלָו *scelau Coturnix* &c.

Alias O valet unde ו post ֿ quiescit; sic in אֶשְׁקוֹלָה *appendi* Ezræ 8-25. quare vers. seq. auffertur.

ח *Eth*, cum terminatione Græca Ἦτα, & consequenter hanc vocalem valet, estque *E* longum, ut sequentibus exemplis demonstratur.

חֲוִילָה 70. Ἐυιλάτ invita punctatione hodierna. Sic etiam redditur a Philone Judæo sæpius lib. 1. alleg. leg. neque objici potest diversa illa punctatio; nam chateph patach est scheva 1. *E* breve literarum gutturalium.

נחש Ægyptiis Νέισι *Serpens* eo ævum designantibus; sic enim legendum putat Scaliger non Μȣσι, ut apud Horum legimus. & iisdem נחל *Nilus* hinc Νεῖλος scribitur, & Etym. mag. derivat a νέω *fluo* & ἰλὺς i. *Limus*; *quia arva fœcundat Lybyci felici uligine Limi.* Sed Ebræa origo certior. Quia torrens passim in S. Script. dicitur.

חַוָּה Primæ matris nomen: 70. Ἐυα, & Vulgatæ etiam *Eva*, Josepho antiq. l. 1. c. 2. cæterisque scriptoribus, quod adeo certum Pontificiis visum est, ut conversum velint in *Ave* salutationis Angelicæ, ad declarandum salvifico virginis Mariæ partu noxam a prima matre inductam nobis cessisse in bonum; unde breviarium in ejus officio diei sabbathi:

--- Sumens illud ave
Gabrielis ore
Funda nos in pace
Mutans nomen Evæ.

Observandum insuper in hoc nomine *Vau* Ebr. per υ & *V* ab omnibus reddi.

חֹשֶׁן Εσσὴν invita hodierna punctatione secundum Josephum antiq. lib. 3. cap. 8. 70. vero Exod. 25-15. sensum potius quam sonum considerantes λογεῖον *rationale* exposuerunt.

חִזְקִיָּה 70. Ἐζεκίας Vulgata *Ezechias* rex Judæorum 2. Reg. 18-1. invit. hod. punct; quæ pervertit illud.

חרמה. Ερμὰ urbs Josuè 15-29.

חֶשְׁבּוֹן Εσεϐὼν 70. est civitatis nomen Jerem. 48-2.

חִוִּי Ἐυαῖον 70. invit. hod. punct, reddunt Gen. 10-17. gens a Chamo orta.

חִירָה Ἐιρᾶς 70. amicus Judæ Gen. 38-2. ubi observandum *Jod*, similiter vocalem esse, ut in præcedenti exemplo.

חֲנוֹךְ Ενὼχ 70. nomen filii Caini Gen. 4-17. & Jaredi Gen. 5-18. a Josepho vero Ενὼς, & urbs ab eo nomine dicta Ἐνώσα antiq. l. 1. c. 3. sic etiam Gen. 46-8. licet hodierna puncta adversentur; notandum tamen supponi ipsi cateph patach quod ex *a* & *e* brevibus componitur, & sonum η potest referre, licet ad *a* magis declinemus, ut patet in חקל דמא *ager sanguinis* emptus ex impio Judæ salario nam redditur Græce Luc. 1-19. ἀκελδαμὰ pro ἀεκελδαμὰ vel paulo dissimili Sono, genuini enim ignoti sunt.

בֵּית־חֶסְדָּה βηθεσδα Beth. Esda 1. *domus beneficentiæ*, aut *gratiæ*; piscina, in qua ægroti divitus sanabantur Joan. 5-2. obiter arguenda vulgata, quæ ibi Bethsaidam inepte habet a Hierosolyma remota, ut pote in Galilea ad extremam oram maris Genesaret sitam. Sic בֶּן־חֶסֶד υἱὸς Ἐσδὶ 70. 1. Reg. 4-10.

פִּנְחָס 70. Φινεὲς Vulg. *Phinees* Exod. 6-25. ubi duo *E* pro ח in media dictione, quæ duæ breves unam longam efficiunt; sic autem patet ubique ח esse *Etha*; tædiosum esset plura addere.

Non dubito ex hoc ח Sono ortam sententiam eorum qui ambiguam vocem הַיֵּמִים Gen. 36-24. *aquas calidas* interpretabantur ex usu linguæ punicæ teste S. Hieronymo tradit. Ebraicis in Genesim; quia Ebrææ inquit *contermina est:* nempe Ebræis חַמִּים, ut Arabibus *aquæ calidæ*, & dicebant eas Pœni *emim*.

חָגְלָה 70. Εγλὰ contra punctationem hodiernam *Ogla* exigeret; melius Lat. *Hegla* aspirans dumtaxat E.

י. *Joth* est Ιῶτα, ut nomen, exigua forma, & sonus Testantur, in

in his ex ingenti copia selectis exemplis patet. צִיץ *Sis* clivus 2. paral. 20-16.

הָיָה *aia* pronunciatur secundum ordinariam punctationem, nullum autem punctum ׳ sonum *I* edit, & consequenter ab *Joth* oritur, idcirco vocalis est, cum sponte, & vi propria sonet; sic in ejus derivatis יִהְיֶה *jeie*, הָיוּ *ajou* &c.

אַיָּה *aia*; unde cum Terminatione Græca ἀιετὸς *Aquila*: אַיָּל *pica*, & similia nomina *Joth* absque punctis sonorum habere perhibentur, quod in primis patet vocibus Græce redditis quales sunt.

יַרְדֵּן 70. Ἰορδάνης Jos. 3-1. *Joth* vocalis in prima syllaba clare auditur, neque potest supprimi cum sit radicalis, sive nomen ejus formetur ex יְאֹר־דָּן Jordan i. *fluvius Dan*; sive יוֹרֵד מִדָּן *descendens ex Dan*; sive ex *Jor*, & *Dan* fontibus, & rivulis, qui coeuntes ipsum componunt.

יְהוּדָה 70. Ἰȣδαν, & Vulg. *Judam* reddunt Gen. 29-35. ut in *Judæis*, &c. ab eo derivatis.

יֵמִם 70. Ιαμὲιν Gen. 36-24. Aquila, & Symmachus Ἰαμειμ, quæ vox diversimode lecta, & exposita quia alibi non extat; quidam legerunt יַמִּים *jammim* & exposuerunt *Maria*; alii, inter quos S. Hieronymus videntur legisse חימים *Eimim* quia pro ה præposito ח acceperunt a חמם *Calidum esse*, & interpretati sunt aquas calidas, nempe licet ex origine res calidas verbum indiscriminatim significet, usu tamen factum, ut ad aquam magis spectet; unde Arabibus *Emim aqua Calida*. Onkelos gigantes legendo, אימים.

יִצְחָק 70. Ἰσαάκ. יַעֲקֹב 70. Ιακώβ. יְדִידְיָה 70. Ιεδδεδὶ vel Ἐιδιδιὰ, quia *I* per *EI* passim expressum, nomen est Salomonis. 2. Sam. 12-24. his, & similibus nominibus adde omnia pluralia masculinorum vocabulorum quæ I vocalem in ultima syllaba habent; omniaque verba in tertia Persona futuri masculina; ita ut non esset finis si omnia exempla essent producenda: adde cum א, & ה Diphthongum facere, ut in אֵיתָם *aitham perfectus ero* Ps. 19-14. & הֵיטִיב *eitib benefacere* Jerem. 10-5. &c. in iis enim *Joth* non est radicale, sed auget sonum vocalium præcedentium.

Denique *Joth* in multis vocabulis olim adscribebatur, e quibus cœpit abesse, cum punctum *Chirek* ipsis subditum est, quod probat idem esse utriusque officium; sic in Ebræorum codicibus inveniuntur absque *Joth* penultimo נְשִׂאִם Gen. 17-20. צַדִּקִם 18-24, 26, 28.

28. & seq. הַשִּׁחִם 21-15. in Samaritano autem pentateucho integre & convenienter regulis scribuntur Literis Samaritanis, השחים, צדיקים, נשיאים cap. 22-22. inter Nachoris Liberos refertur פִּלְדָּשׁ *pildas*, qui Samaritane scribitur בילדש & 24-30. inter ornamenta a servo Abrahami Rebeccæ data, sunt armillæ in Textu Ebræo defective sic scriptæ צְמִדִים *Tsemidim*; at in Samaritano צמידים sic etiam in Ebræo vers. 47. אִשִּׁם, 67. יְבִאֶה. 25-4. אַשּׁוּרִם וּלְטוּשִׁם 24. תוֹמִם gemelli. 26-1. רִאשֹׁן; sed in codice Samaritano integre, cum joth in loco Chirek nempe ראישון צמידים אשים יביאה, אשורים, לטושים, תומים: sic etiam 28-19. 32-17. 33-2. 38 28. & alia innumera, quæ ex eodem Genesis libro addi potuissent. quis denique potest dubitare quin post subscriptum Chirec, jod neglectum fuerit in voce בִּרְאוֹת 2. paral. 26-5. cum 70. Græci interpretes vertendo ἐν φόβῳ. Testentur se legisse בִּיִרְאַת vel plur. בְּיִרְאוֹת *in timore* sicque legunt R. S. Jarchi in h. l. & alii Rabini jod illud subintelligentes.

ע. Respondere *o* nostro, & *ω* Græcorum multa exempla probant; quin certum *ω* ex duobus *oo* conjunctis coaluisse, quia longæ ex duabus vocalibus brevibus constant, & per eas olim expressæ fuerant; imo ipsa ע forma videtur accedere ad illud modo pes inferior reducatur paululum in altum & exempla sequentia ostendunt pro *ω*, aut per *o* aliquandoque pro V affini acceptum.

בֹּעַז alter Ruthæ maritus 4-13. optime 70. & Vulg. Βοοζ. Booz. (a quibus male puncta recedunt) sic etiam Joseph. lib. 5. cap. 11.

נַעֲמָה 70. Νοεμά Gen. 4-2. ex hoc nomine, aliisque videtur colligi posse ע nonnunqnam esse *oe*; unde & per Η etiam exprimitur in עֵלִי. Ηλι.

עֲדֻלָּמִי 70. Οδολλαμίτην, & Lat. Odollamitam nuncupant Gen. 38-2. amicum Judæ.

עָרְפָּה 70. Ὀρφά & Lat. Orpha Ruth. 1-4. mulieris nomen ex qua volunt natum Goliatum, ut ex Rutha altera nuru Naomi Davidem.

עֹפֶל 70. Ωφάλ. Lat. *Ophel* Nehem. 3 26. locus in quo habitabant Nethinæi, qui sic etiam nuncupatur a Josepho de bello lib. 6. cap. 7. vel 26. secundum diversam versionum partitionem; refert enim Joannem tenuisse τὴν Ὀφλᾶν, & illius passim mentionem facit: cum autem nomen illud arcem, & propugnaculum significet, Jacóbus frater Domini dictus est עפליה *Ophlia* 1. *propugnaculum divinum*; sive ut Levi mutatione *P* in Β Ὠβλίας addit enim de ipso, & hoc ejus

no-

nomine ὅ ἐστιν ἑλληνιστὶ περιοχὴ τοῦ λαοῦ, καὶ δικαιοσύνη, *quia pietate sua sua coercebat vitia, & propugnabat gentem* contra ingruentes calamitates, histor. Eccles. lib. 2. c. 23. Eusebius Cæsariensis.

עֹבַדְיָה 70. Ὀβδίας, in libro prophetiæ suæ passim.

עֻזָּא 70. Ὀζὰ Lat. *Oza* 2. Sam. 6-3. & ibidem vers. 11. עֹבֵד־אֱדוֹם Lat. *Obededom.*

עֻזִּיָּהוּ 70. Ὀζίας. Lat. Ozias 2. Chr. 26-9.

רֹעִים *Roim* reddit Literis Latinis S. Hieronymus, exponitque *Pastores* Epist. 125. ad Damasum, & רֹעֶה Pastorem *Roe* tradit. in Gen. cap. 26 38. supra autem vers. 12. observaverat hordea dici שְׂעֹרִים *seorim.*

שִׁמְעוֹן a Græcis & Latinis redditur Σιμων, *Simon* &c.

תְּקֹעִית 70. Θεκωιτις, & urbs ejus תְּקוֹעָה 70. Θεκωὲ 2. Sam. 14-2. & 4.

תֹּעִי 70. Θοῦ Lat. *Thou* nomen regis 1. Chr. 18-9.

עוֹג 70. Ὤγ Lat. *Og* rex Basan Deut. 3-1.

Denique J. Morinus observat Grammaticæ suæ Samar. cap. 13. quod Samaritanis frequenter usurpatur ע pro vocali *o*, & plurimis id confirmat exemplis, e versione Samaritana petitis, quæ ibi possunt videri.

Sic doctiss., D. Le Moyne existimat Orpheum dictum quasi ערף *Orphon* id est *vates & divinus* Arab. Not. ad Hypolitum jojo; at Judæi hodierni eo utuntur pro E sicque usurpatum etiam a Chaldæis probat Bel, idoli nomen ex בעל. *Dominus*; sed a recto tramite recedendo, ut 70. etiam aliquando per *A* ut Jos. 7-26. reddunt עֵמֶק עָכוֹר ἐμεκαχὼρ uno nomine pro *valle Achoris.*

CAP. IV.

Vis vocalium Ebræarum inter se conjunctim unitarum, ad componenda, absque alieno subsidio diversa vocabula, demonstratur.

אַיָּלוֹן 70. Αιλών quæ antiqua lectio punctis turbatur in nomine hujus vallis de qua Jos. 10-12.

אֵיפָה *Epha*, mensuræ nomen Exod. 18-36.

יוֹאָב 70. Ἰωάβ, Lat. *Joab* : אֲבִישַׁי 70. Ἀβισαι Lat. *Abisai.* מוֹאָב 70. μωάβ בֵּית לֶחֶם 70. Βεθλεέμ : hæc omnia nomina in uno cap. 23. libri 2. Sam. & sponte leguntur.

אֱלִיאָב 70. Ελιάβ Lat. *Eliab.* אֱלִיצוּר 70. Ελισὲρ Latina *Elisur*, filius שְׁדֵיאוּר 70. Σεδιὲρ Lat. *Sedeur* Num. cap. 2-10.

Sic שָׁאוּל 70. Σαὲλ Lat. *Saul* .אֵפוֹד *Ephod* .זִיף 70. Ζὶφ Lat. *Ziph.* desertum .יְשִׁימוֹן 70. Ἰεσσαιμὲ .מָעוֹן Μαών Lat. *Maon.* 1. Sam. 23. ex tribus his capitibus tot vocabula sponte se offerunt, quæ vocalibus, & consonantibus æqualiter constant, atque reddita Græce sonos a nobis assignatos edunt; si enim Joth nonnunquam per *EI* & *αι* redditur; & Aleph per *E*, nulla est lingua quæ hoc non permittat, quia affines habent sonos.

Sed præstat nomina hinc illinc dispersa Colligere :

יוֹאֵל 70. Ἰωὴλ Lat. *Joel*, Propheta, filius פְּתוּאֵל Pethuel Joel. 1-1. יֵהוּא 70. Ἰηού. 1. Chron. 19-1.

צִיץ Lat. *Sis.* יְרוּאֵל Lat. *Jeruel.* אָסָא 70. Ἀσὰ Lat. *Asa* 2. Chron. 20.

שִׁישָׁא Lat. *Sisa.* חוּר 70. Ὢρ. אֵילוֹן 70. Ἐλών. בֵּית שְׁאָן 70. βηθσάν. Lat. *Bethsan* .אָבֵל מְחוֹלָה 70. Ἀβελμαουλᾶ. יָאִיר *Jair* אֵלָא 70. Ἠλὰ 1. Reg. 4.

אֲרִיאֵל 70. Ἀρὴλ Lat. *Ariel*, urbs Jes. 29-1. de qua S. Hieronymus testatur quod habuit idolum hujus nominis a civibus adhuc tempore suo cultum. de loc. Ebr.

דִּיבוֹן 70. Δηβων, Lat. *Dibon.* מֵידְבָא *Medaba* אֶלְעָלֵה 70. Ἐλεαλή. Lat. *Eleale* .לוּחִית 70. Λουὲιθ, ubi ח per *E*, Lat. *Luit.* אֵלִים. 70. Ἀιλείμ. דִּימוֹן 70. Δειμών Jes. 15-9.

הָרָמָה 70. Ερμά. אֶשְׁתָּאוֹל 70. Ασάωλ. אַכְזִיב *Achzib* אַשְׁדוֹד Ασηδὼθ 70. יָנוּם *Janum.* חַלְחוּל 70. Ἀιλὲά at Edit. Basil. apud Hervagium Ἐλὲλ melius, sicque duplici argumento patet ח esse Græcorum *E*, & cum Vau ad ε accedere. זִיף. *Ziph.* הַקַּיִן Lat. *Accain*, accepit pro radicali, demonstrativum. בֵּית צוּר 70. Βηθσὲρ. omnia hæc urbium nomina secundum genuinam vocalium Ebræarum pronunciationem supra declaratam referuntur Jos. 15.

בֵּית אֵל. 70. Βαιθὴλ. Lat. *Bethel.* לוּזָה 70. Λεζά. בֵּית חוֹרוֹן 70. Βαιθωρών. יָנוֹחָה Lat. *Janoe.* Jos. 16.

אַשְׂרִיאֵל *Asriel.* נֹעָה 70. Νεά. Lat. *Noa* 17. hæc, & plura similia exhibent tria capita continua serie Lecta, & magna Ebræorum vocabulorum pars discribenda esset, si omnia, quæ absque supplemento legi possent in medium producere teneremur.

Quam-

Quamobrem nomina quædam continuo uſu quibuſvis nota tantum addemus יִשְׂרָאֵל 70. Ισραήλ. Lat. *Iſrael.* 1. יֵשׁ *is. vir*; רָא (contracte pro רָאָה) *qui vidit* אֵל *Deum*; unde locus dictus *Peniel* פניאל 1. *facies Dei* Gen. 32-30. vel potius quia יֵשׁ *vir* שַׂר *princeps*, evaſit in lucta, cum אֵל *Deo*. יְהוּדָה 70. Ἰȣ́δα בֶּן־־אוֹנִי. Lat. *Benoni.* dictus a matre moriente puer; ſed poſtea vocatus a patre בִּנְיָמִין 70. Βενιαμιν, & Lat. *Benjamin* Gen. 35-18. longe melius quam hodierna punctuatio quæ Binjaminum dicit; cum Philo Judæus de nomin. mutat. Joſephus lib. 2. cap. aut. & antiqui auctores uno nomine Benjaminum nuncupent.

אַיָּה 70. Ἀιὲ, contra hodiernam punctuationem ה per *E* ſecundum obſervationem noſtram redditur in hoc unius ex poſteris Eſavi. Sic שָׁאוּל Σαȣ́λ, *Saul.* 1. Sam. 13-1.

פֻּוָּה 70. Φȣα̉: Lat. *Phua*, Job. אֵלוֹן 70. Ἀλλὼν invitis punctis. שׁוּנִי Lat. *Suni*. אֲרוֹדִי 70. Ἀροηδεὶς יִשְׁוָה 70. Ἰεσȣα̉. יִשְׁוִי Lat. *Jeſui*, *Jeſſui*. גּוּנִי 70. Γωνὶ. Lat. *Guni.* &c. Gen. 46.

צִיּוֹן 70. Σιών. Lat. *Sion.* civitas Davidis 2. Chron. 5-2.

אַרְיֵה S. Hieron. in Jeſ. 21-8. Legit *Arie Leo*, Literis ſponte ſonantib.

אוּר *Ur* urbs unde Eduxit Deus Abrahamum; & אוּרִים וְתוּמִּים *Urim*, & *Thumim*. מאור *Maor* Luminare. &c.

קִירָה *Kyre* nomen urbis 2. Reg. 16-9. in quam tranſtulit rex Aſſyriæ Damaſcenos; unde in manuſcripto Alexandrino dicitur Κυρήνε cum terminatione Græca in paraph. Chald. קרינא & in Vulg Cyrene. Cyrenem Ægyptiacam non intelligo, ſed Κύρη inſulam in mari Perſico, dequa Stephanus; vel urbs in Media aut regio, dequa 2. Reg. 16-9. intelligi poſſunt; videantur annotationes Junii & Tremellii, qui volunt ab his Damaſcenis Syromediam dictam.

CAP. V.

CAP. V.

Aptitudo Literarum Ebræarum, ad omnia Cæterarum Linguarum vocabula, & hodiernus Judæorum uſus confirmant eas eſſe vocales, quas deſignavimus.

ETſi debeat ſufficere Alphabethum Græcorum ſuam ab Ebræo duxiſſe originem, ut Græcæ vocales Ebræis reſpondere exiſtimentur, atque ſecundum ordinem inter Literas ſatis exacte obſervatum uniuſcujuſque vocalis vis, ſonuſque probe dijudicetur: Nihilominus ſingularum vocalium vis, ſonuſque diſtinctius adhuc demonſtratur multiplici exemplorum Copia, quam præcedens Caput exhibet vocabulorum Ebræorum in Græcam ſcripturam tranſlatorum; ſed omnem dubii ſuſpicionem aufferre debet celebre Origenis opus, quo univerſa biblia Ebræis vocabulis conſtantia totidem Græcis Literis retulit, cum enim ex ſuperſtitibus fragmentis conſtet permixtas conſonantibus vocales habuiſſe, & certas vocales certis Literis Ebræis aſſignaviſſe, certo certius eſſe debet, vocales inter ſuas Literas Ebræos hæbuiſſe, eaſque eodem fere ordine quo inter Græcos diſponuntur.

Idem Contraria ratione demonſtratur ingenti Græcorum vocabulorum Copia, quæ in vetuſtioribus Judæorum libris conſpiciuntur, omniaque ſolis Literis Ebræis abſque ullo punctorum adminiculo facile leguntur; Teſtantur enim Ebræorum vocales Græcis perfectiſſime reſpondere, atque eadem vi omnino pollere ſic in Thalmude & Rabboth &c. אבולאי *ἀβολάι munimenta.*

אבק *ἄβαξ abacus*, ſive menſa ad ſcribendum, aut menſa ad numerandos nummos diſpoſita. alibi אגון *ἀγών certamen.* אגריאון *ἀγρεῖος agreſtis.* אכסיומא *ἀξίωμα* אויר *ἀήρ*, *aer* &c.

ה. plurima etiam nomina incipit הגמון *ἡγεμών dux* הוגנס *ευγενής*, *nobilis*, המינה *ἡμίνα.* הנכיה *ἐνοχή noxa*, &c.

ח iis non cedit: חכנא *ἐχῖνος Echinus*. חכינא. *ἔχις vipera.* חצינא. *ἀξίνη*, *aſcia.* &c.

יקונאות εἰκών, *imago*, atque cujuſuis rei ſimilitudo ירינון ἴρινον, irinum *oleum* &c. יסמין. Ἰάσμη. *Jaſmin.*

υ. Diverſimode uſurpatur in vocibus extraneis aliquando pro α ut עמרה ἀμίς *matula* ערכאות ἀρχεῖον alias pro ε ſcribunt enim aliquando עכנא ἔχιν@, & עכס ἔχις vipera.

Exempla a *Vau* incipientia non occurrunt; quia υ ſolent per *Jod* reddere, ut יקנטין ὑάκινθ@ *Hyacinthus* &c. ſed in medio, & fine paſſim occurrere oſtendunt cætera exempla.

Latina præterea vocabula Ebræis Literis commode etiam exprimuntur: ut אבלינא *avellana nux.* אדריינוס *Adrianus.* אנטוכיא *Antiochia.* אנקורה *Anchora.* אנטונינוס Antoninus atque innumera ejuſmodi; ſic תורפה *Turpe* paſſim in paraphraſi Jonathanis; alibi אפריקא Africa, אסיא Aſia תיברוס *Tibris.*

Italica etiam plurima in Rabinorum Italorum ſcriptis, ut בליסתרא *Baleſtra*, 1. *Baliſta* קליסתיר *clyſtere*; at ſufficiet obſervare in initio Lexici Ebr. R. Davidis de Pomis extare copioſiſſimam tabulam vocabulorum Italicorum Literis Ebraicis ſcriptorum, quæ omnibus Ebraicis radicibus reſpondent.

Gallica ſimiliter פא״ון *paon*, pavo apud R. S. J. & R. D. K. in Ezech. 27·15. הר״יצ׳ון *Eriſon*, *Ericium.* Levit. 11-3. ſic 19. איספרויר *eſperuier*, *accipiter* צואיטיש *chouëtes*, *noctuæ.* קלבה שוריץ *Chauve Souris*, *veſpertilio* טל״פא *Talpa* ציג״נייא *Cigogne*, *Ciconia.* היור״ון *heron* verſ. ſeq. &c. varia inſuper vocabula habent ſic Jarchi הומיר *humer*, *ſorbere* in Gen. 24-17. אקוב״טיר *acouveter incumbere pullis*, aut ovis. Gen. 1-2. in Pſal. 1-1. explicat אשרי voce vulgari לישפלי״שמנן *les plaiſements delectationes*, & לצים dicit eſſe גאב״ורש *gabeurs* irriſores. & in verſ. 3. שתול arbores conſitas פלנ״דין *plantes*, פלגי vero ראו׳יארש *rivieres*, & לא יבול ſignificare quod non debeant marceſcere פלוש״טיר *fleſtrir.* Sic in Pſ. 2-2. רוזנים exponit שינ״ורש *Seigneurs Dominos*, & עבותימו funes eorum per לוייק״ורדש *leurs Chordes* plura addere eſſet ſupervacaneum.

Poſſent denique nomina Celeberrimarum totius Europæ urbium iiſdem Literis expreſſa referre ex Ebræa bibliotheca, quæ inſcribitur שפתי ישינים *Labia mortuorum*, aut *ſenum*, quæ editorum nomina eodem modo etiam habet. ſic Euangelium Ebraice impreſſum dicitur נורנבערג Norinbergæ, & quod hanc editionem procuravit הוטערוס *Hutterus*, & Germaniee שארעאוס *Sadeus*: שטאסבורג *Strasburgi.*

gi. Librum qui inſcribitur pulvis Aromatarius, הולסיוס *Hulſius* ברעדא *Breda.*

Jachiadem edidit עמבעאור *Empereur.* אברעוויאטורס העברייצים ליברוס *Abreviaturarum Ebraicarum* librum באזיליאה *Baſilea* : alios קלוניא *Coloniæ* פראנקבורט *Francofurtum* ויניציאה *Venetia.* איזנא *Iſna* היידלבערג *Heidelberg* פראנעקר *Franekera.* פאריז *Pariſii* אמשטירדאם *Amſterdamum* האמבורג *Hamburgum.* לייפסיק *Lipſia*, אוקסבורט *Oxonium* טובינגן *Tubinga*, אלטורף *Altorpia.* צורך *Zurich Tigurum.* ליידן *Leida.* אנוירשה *Anvers* Antverpia. ברעדא *Breda.* רומי *Roma.* קנסטאנטינא *Conſtantina* לונדון Londinum, atque aliæ ediderunt quæ paſſim in toto hoc opere celebrantur.

Verum enim vero ſufficiet obſervaſſe Judæis his ſuis Characteribus uti ad exprimendas cæteras vulgares linguas, iiſque epiſtolas ſuas Germanas, Polonicas, & Hiſpanicas paſſim abſque ullis punctis deſcribere atque expedite legere quod ipſe Buxtorfius ingenue ad calcem Theſauri obſervavit; docet enim א vocalem eſſe A. ע vero *E.* י autem I, & ו V in Germanicis Judæorum ſcriptis atque ex iiſdem ſuas diphtongos componi; ita ut veriſimile non ſit Ebraicas Literas nunc obſoletas ſufficere ad deſcribendas legis expoſitiones, & omnes Ebraicos Rabinorum tractatus, mercatorios etiam libros in quibus exacta omnia eſſe debent, atque omnia linguarum vulgarium vocabula ab Ebraicis magis aliena, non vero ſuffeciſſe ad totam propriorum vocabulorum vim exprimendam illo ipſo tempore, quo florebant, & in aſſiduo uſu ſolæ adhibebantur.

CAP. VI.

Objectiones contra vocales Ebræorum refutantur.

PRima validiſſimaque objectio petitur a punctis, quæ nullam cum illis vocalibus convenientiam habere perhibentur; א verbi gratia modo habet *Tſere* ſive *E* ut אֵד *vapor*; modo *Chirec I* אִגְרָא *Epiſtola* אִשָּׁה *mulier* אִכָּר *agricola*; modo *Cholem o* ut אֹזֶן *auribus.* אֹבֶן & dualiter אָבְנַיִם *rotæ figuli*, vel inſtrumentum ejuſmodi ad vaſa teſtacea formanda; denique *Kibbuts V* אֻלָם *veſtibulum* אֻרְוָה *ſtabulum* : imo nonnunquam caret omni puncto, & ſono ut אור *Lux* אות *ſignum* : eadem fere

fere cæterarum ratio, quare aut abroganda omnis punctorum auctoritas, aut אהוי, & si quæ aliæ similes Literæ sunt dumtaxat considerandæ, ut punctorum bases, & fulcra.

Sponte agnosco puncta non semper antiquis, & genuinis vocalibus perfecte respondere; attamen non sunt propterea legitimo suo officio abdicandæ illæ vocales, quoniam puncta non semper sunt regularia, & lectionem intolerabilem nonnunquam exhibent: neminem latet Grammatices præcepta & verborum conjugationes ad punctationis normam fuisse composita, nihilominus impossibile fuit omnes eorum irregularitates certis regulis adstringere, & quædam prorsus enormes deprehenduntur sic הָתְפָּקְדוּ *recensiti fuerunt* Num. 1-47, 2-33. 26-62. & 1. Reg. 20-27. hæc vox quater, ut Masora notat eodem modo extat, neque ulla est inter Ebræas conjugatio, ad quam cum punctis suis possit revocari; unde R. Aben Ezra observat componi משני בנינים *ex duabus conjugationibus*, partim enim cum hitpael, & partim cum hophal affinitatem habere videtur; sed regulariter scribi debet & הִתְפָּקְדוּ, ut alias solet Jud. 20-15. & 17. neque cum legibus potest conciliari הִתְאַוִּיתֶם *determinabitis* Num. 34-10. aut enim oritur a תָּאָה & habere deberet הִתְאוּתֶם, quia ה mutatur in ו: aut a תָּוָה & tunc haberet הִתְוִיתֶם; sed tunc א cum suo puncto esset eliminandum, ut ' e primo; hacque ratione duæ diversæ origines male confunduntur; quare non esse ipsi simile in S. Scriptura testatur Masora.

אֶשְׁקְוֹלָה *appendam* Eze. 8-25. Monstrosum est, ut apud Jes. 18-7. אֶשְׁקְוֹטָה *quiesco* & nemo non videt punctatores propterea mutasse cholem in chateph Cames. quia aliquatenus accommodare voluerunt Grammaticis regulis quæ ante *he* paragogicum brevem vocalem requirunt; quasi hoc constans esset, & non haberemus אָנוּשָׁה *æger ero* Psal. 69-21. cui censura pepercit: sic Psal. 7-6. יִרַדֹּף *persequatur* ad nullam conjugationem regulariter revocatur, & ex kal, & piel dicitur formari, ut ad normas aliquo modo revocetur.

Monstrosum est etiam לִדְרְיוֹשׁ *ad inquirendum* Ezræ 10-16. & ratio vult לִדְרוֹשׁ ut legitur Gen. 25-22.

In primis תֵּתֵן 1. Reg. 17-14. meretur observari, quia nullus est qui possit illam vocem tribus consonantibus, & uno dumtaxat *Tsere* constantem legere, nam inauditum est duas consonantes absque aliqua vocali Ebraice consociari: quare ad illam vocem R. D. Kimchi scribit:

bit : כתוב בנ"ון כמו לתתן שם ונקרא בלא נו"ן תת ושניהם נכונים וכבר כתבנו דעתינו בכתיב וקרי כי בגלות נשתבשו הנסחאות והיו מוציאים בנסחא אחת כן ובנסחא אחרת כן ולא עמדו על בירורם וכתבו האחת מבפנים והאחרת מבחוץ : *scribitur cum nun, ut* לָתֵתֵּן *ad collocandum ibi* (1. Reg. 6-29. sed ibi tres vocales quatuor consonantibus necessarium præstant officium) *legitur sine nun* תֵּת *quæ duæ lectiones sunt satis convenientes; jam autem scripsimus sententiam nostram, circa scriptum, & legendum, quod in captivitate exemplaria fuerunt confusa; ita ut invenirent in uno exemplari sic, & in altero sic; cum autem non manifeste constaret utra esset genuina lectio, unum intus adscripserunt textui, alterum vero extra ad marginem.* Ex hac hujus Rabini observatione patet errores in punctationem nonnunquam irrepsisse.

Sane error evidenter patet in אֲנוּ Jerem. 42-6. & cæcus esset qui non animadverteret puncta nominis integri אֲנַחְנוּ fuisse ei contracto adscripta; unde illud legi debere observat Masora.

Sic Ps. 38-21. רָדְופִי nulla ratione potest excusari.

Plurima exempla similia addi possent, sed hæc possunt sufficere: addam tamen in nominibus propriis validiora adhuc occurrere argumenta, quæ non sinunt dubitare punctationem recentem, & irregularem esse; quis verbi gratia rectum esse credat מְדָן *Midiam* nomen filii Abrahami Gen. 25-2. cum 70. constanter legerint, & cæteræ versiones Μαδιάμ, a qua gens vicina, & regio ipsa dicta est, & finitimis etiam celebrata fuit hoc ipso nomine Arabibus teste Geographo Nubiensi prima parte climatis 3. Μαδιάν, etiam dicitur Judith. 2-16, immo Actor. 7-29. a S. Stephano qui non poterat hujus nominis pronunciationem ignorare, sic a Josepho, Philone & innumeris aliis auctoribus ad ætatem Madianitarum propius accedentibus quam punctatores: eadem ratio, *Gabaonis* quam גִבְעוֹן *Gibeon* dicunt; 70. vero Γαβαών ut Vulg. *Gabaon.* Quis credat יָוָן Javan Gen. 10-2. sic punctatum, & non potius, ut Literæ sonant *Jon.* cum ejus posteri a Græcis Ἴωνες & a Latinis *Jones* illud nomen constanter conservaverint: quis putet Josuam Mosis successorem dictum secundum puncta יְהוֹשֻׁעַ *Jehoscuha* ut his punctis addictus Tremelius reddit? sane interpretes Græci non putaverunt, cum ipsis sit Ἰησοῦς *Jesus*, & Josepho, Philonique similiter; sic prima Litera ipsis visa est *I* vocalis; ut ה, & ו, quarum sonum per η posse exprimi putaverunt; ע vero ad ο aut ϖ proxime accedere judicarunt, *S* vero additur, ut terminatio Græca

ca & Latina requirebant: sic non videtur verisimile Judæos legisse אֵלִיָּהוּ *Elijahu* cum Græci interpretes unam in eo nomine consonantem agnoscant, ipsis enim est Ηλιȣ̀, & Josepho Ηλία, vel ut Græca nomina magis referret Ηλίας; nemo saltem debet in dubium revocare sic tempore Christi adhuc pronunciasse Judæos cum milites qui multa de illo a Judæis audiverant, putarunt Christum illum advocare, cum clamavit in Cruce אֵלִי אֵלִי *Eli Eli Deus meus, Deus meus* Matth. 27-47. sane *Eli* cum *Elijahu* exiguam habet affinitatem.

Si in propriis nominibus tantæ varietates, quid de extraneis judicandum? *Cyrus* inter omnes gentes nomen suum conservavit immutatum; sed punctatores illud in כּוֹרֶשׁ *Cores* mutarunt licet ו τῷ ὑψιλὸν respondeat; hinc factum ut nomina quædam regum Persiæ agnosci non possint, adeo a genuinis ob puncta discrepant sic אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ *Achasueros*, qui ita est ignotus, ut Grotius in Esdræ 4-6. in eo quærere Xerxis nomen cogatur & locum aliter in historia exotica uix potest invenire; neque absque aliqua probabilitatis specie, nam Literis lingualibus, quæ mixtum quemdam sonum habere perhibentur, non tantum unam vocalem præponunt hodierni Judæi, ut in אִזְמֵל σμίλη *scalprum* א; sed sæpius duas, sic dicunt איסקפא pro σκάφη, *scapha* Hispani *Esquife*, & Galli *Esquif*. איסקריטור pro *scriptore* Hispani dicunt similiter *Escritor*, at Galli *Escriture*. etiam dicunt איסטרטה pro *Strata* sive via lapidibus, & pavimentis incrustata: si hunc morem ab antiquis acceperunt hodierni Judæi, licet dicere את vocales fuisse præpositas nomini שורוש quo pro Xerxe utebantur, quia aliter non poterant Barbarum illud nomen pronunciare: objici potest, quod hic rex Estheris maritus Josepho antiq. lib. 11. cap. 6. sit Αρταξέρξης, imo ipsis 70. interpretibus, qui pro Assuero Artaxerxem habent; verum scire couvenit vix ullum inter hæc nomina esse discrimen, quia *arta*, vel *arto* auget dumtaxat denominationis decus, cum sit Ξέρξης ἀρήιος. Αρτοξέρξης μέγας ἀρήιος *Xerxes, Bellator; Artoxerxes magnus bellator* Teste Herodoto lib. 6. §. 98. sic idem utroque elogio potest ornari, & revera post primum Xerxem ad posteros videtur Transivisse, atque hac sola ratione potest conciliari cum historia, quod legirur in Syriaca versione Estheræ 1-1. hunc Assuerum fuisse filium alterius Assueri, nam duos reges cognomines sibi immediate succedentes illo tempore præter Xerxem, & Artaxerxem in historia Persica difficile est excogitare.

Samaria urbs nota Græcis, atque Latinis ſcriptoribus ut Straboni, Plinio &c. conſtat autem dictam a Domino montis שֶׁמֶר *Semer*, unde facile formatur nomen urbis a 70. redditum Σεμηρὼν 1. Reg. 16. 24. ut ſupra obſervatum: at Ebræi punctis mutarunt in שֹׁמְרוֹן *Someron*, quod nec a Semer derivari, neque formare Samariam poſſe videtur. Ex his ſpeciminibus de cæteris licet judicare.

Præterea ſunt in Textu ſacro plurimæ voces, quibus ex profeſſo, & ob rationes ipſis cognitas aliena puncta ſuppoſuerunt Rabini; Tale eſt ſacro ſanctum Dei nomen τετραγράμματον, quod propria puncta non habere dicunt ſed* punctis אֲדֹנָי notari; aut cum ipſi præſens conjungitur adonai, punctis אֱלֹהִים, ut 2. Sam. 7. 19. אֲדֹנָי יֱהֹוִה; unde ſecundum puncta legunt, neque ullam habent rationem Literarum; quod novum non eſt; Græci enim interpretes paſſim pro יְהוָה *adonai* etiam legentes κύριον ſolent exponere: ſunt plurimæ aliæ voces contra omnem normam eodem modo punctatæ, nempe eæ, quæ ſcribuntur, & non leguntur, verum cedunt locum iis, quæ in margine adſcribuntur quæque puncta earum ſibi vindicant, ut 2. Reg. 18. 27.* חֲרָיהֶם, & שֵׁינֵיהֶם nemo eſt, cui primo aſpectu hanc punctationem non animadvertat eſſe ineptiſſimam & revera Judæi illam volunt dumtaxat convenire his vocibus, quæ in margine notantur צואתם & מימי רגליהם; quamobrem his priorum puncta adaptant, & legunt צוֹאָתָם & מֵימֵי רַגְלֵיהֶם ut patet commentario R. Levi Ben gerſom, qui aliorum verborum nullam facit mentionem, hæcque dumtaxat exponit: at R. David Kimchi ſcribit: חריהם כן כתיב וקרי צואתם וענין אחר הוא והקרי הוא לשון נקיה: שניהם כן כתיב וקרי מימי רגליהם והכתוב הוא דמו לתחוניות. *Stercora ſua; ſic ſcribitur; at legitur; excrementa ſua, idem eſt ſenſus, ſed hæc lectio eſt honeſtior: Lotium ſuum ſcribitur; ſed legitur, ex aqua pedum ſuorum, quæ ſcriptura deſignat partes inferiores &c.* Eædem voces eodem modo permutantur Jeſ. 36. 12. & puncta quæ ſunt in Textu appoſita ad marginales voces ſimiliter referuntur; centena vocabula cum punctis ſuis parum concordia referri poſſent, niſi hæc exempla abunde probarent in punctatione conſtantem normam fruſtra requiri.

CAP. VII.

CAP. VII.

Inconſtantia punctationis ex Samaritano pentateucho demonſtratur.

SEd ut Clarius Luce meridiana pateat exiguam eſſe vim in punctatione hodierna contra genuinum vocalium officium, Demonſtrandum eſt non tantum inconſtantem, & plerumque arbitrariam fuiſſe; ſed quod majoris momenti eſt, a prima antiquitate eam non ducere originem; id autem nullo negotio præſtabimus oſtendendo diverſiſſimas eſſe Lectiones, quas exhibet, ab his, quæ præſtantiſſimorum exſcriptorum antiquiſſimis calculis comprobantur.

Agmen ducant exſcriptores Samaritani, qui antiquitate poſteriorum prophetarum ſcripta anteceſſerunt, neque libros priorum ob ſchiſma eorum tempore factum admiſerunt, ſed ſolum pentateuchum venerantur; ii enim hoc Moſaicorum Librorum volumen ſedulo deſcripſerunt, & Literas Ebræas in ſuas Samaritanas permutarunt; nullam autem punctorum, aut apicum fecerunt mentionem ſolaque vocalium a nobis deſignatarum opera mutas conſonantes potuerunt efficere ſonoras; imo ita diſpoſuerunt ut variantes evidenter conſtituant pluribus in vocabulis Lectiones ab iis quæ hodie in punctatis noſtris codicibus obtinent, ut ſequentibus exemplis palam fiet.

Gen. 3·6. Eva a Serpenre ſeducta de fructu prohibito guſtavit, & viro etiam dedit, qui ejus exemplum imitatus eſt, וַיֹּאכַל *& Comedit*; ſic hodie legimus in omnibus punctatis codicibus ſingulariter; at Samaritanus Codex habet ויאכלו pluraliter, *& Comederunt*, quaſi Eva, ut Adamum, ab inſtantis mortis metu liberaret iterum præiverit, & nullum in hoc eſu periculum eſſe, voluerit oſtendere; ſic præterea legerunt 70. Græci interpretes, qui reddunt ἔφαγον *Comederunt*, & ita paſſim referunt Patres Græci, & plerique Latinorum; quamobrem ita initio in quodam codice ſcriptum fuiſſe eſt probabile; ſed appoſitis punctis, pro וּ *Schurek* potuit apponi ְ & ſcribi וַיֹּאכְלְ ut fit aliquando teſtibus יִקְרְחֻה Levit. 21-5. & שָׁפְכָה Deut. 21·7. & tandem tria illa puncta potuerunt deleri.

Gen. 10·2. filius Japheti qui in punctatis noſtris codicibus dicitur

מֶשֶׁךְ

מֶשֶׁךְ *Mescek*, scribitur in Samaritano מושוך *Moscok*, & in Græca etiam 70. versione Μοσὸχ; quin hæc lectio insigni probabilitate gaudet, quia Mosok ille fuit auctor Moscorum, & Moscovitarum in quorum nominibus manifestum illius nominis vestigium cernitur; quidquid sit hoc exemplo patet eos non habuisse punctatos codices, ut nos, neque legisse ut hodie legimus; licet Samaritanorum lectio Græcorum calculo munita non sit anteponenda.

Gen. 10-17. inter Chananis posteros refertur עַרְקִי *Arki* idem Samaritanus habet ערוקי *Aruki*, & similiter Græci Αρȣκαῖον, Vulgataque *Arucaum*.

Gen. 10-25. de Ebero יֻלַּד *nascitur* ipsi posteritas; sed quia immediate sequuntur *Duo filii*, expressio apparet dura; nam quamvis vers. 21. idem verbum de Semo usurpetur, quia tamen id fit absolute, & absque immediata plurium liberorum mentione, facilius toleratur; hinc ibi legit Samaritanus יֻלַּד reddit enim ילדו. 70. etiam ἐγέννηθησαν *nati sunt*; imo ipsi Chaldæi interpretes Onkelos & ben Uziel יִתְיְלִידוּ *nati sunt*, illorum premunt vestigia Syrorum, Arabum, Persarum, & Latinorum versiones: huic exemplo affine habetur 24-55. de matre, & fratre Rebeccæ וַיֹּאמֶר *& dixit*; nam Samaritanus habet ויאמרו *dixerunt* quasi legisset וַיֹּאמְרוּ. 70. similiter legerunt reddentes ϰ̀ εἶπαν Vulgata etiam, & *responderunt*.

Gen. 10-28. inter Eberi posteros extat עוֹבָל *Obal*; Samaritanus vero legit עיבל *Ebal*. 70. etiam Ευαλ, Vulgata Ebal.

Gen. 11-7. שְׂפָתָם *Labium eorum* legitur secundum puncta; at in Samaritano שפתים *Labia*; nempe Jod nonnunquam abest, ut in הַתַּנִּינִם *ceti* Gen. 1-21. & similia, & tunc potest suppleri.

Gen. 11-31. וַיֵּצְאוּ אִתָּם *& exierunt cum illis*: vix potest hæc Lectio cum præcedentibus componi: immediate enim antecedit: *& accepit Therach Abrahamum filium suum & Lothum filium Haranis filium filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abrami filii sui*, quæ ægre convertuntur cum, *& exierunt cum illis*; nam & illud Copulativum postulat verbum singulare; si autem sit plurale, & referatur ad eos quos Therach dicitur accepisse, pronomen singulare ipsi conveniens esse saltem debuit, ut cum ipso exivisse intelligantur, confusaque videtur constructio, quæ eos omnes cum seipsis egressos significat: itaque commodiorem exhibet Lectionem Samaritanus qui habet singulariter ויוצא *& eduxit* אִתָּם *ipsos* nempe Abrahamum, Lothum,

thum, & Saram, & aſſentientes habet Græcos interpretes vertentes *ἐξήγαγεν αὐτοὺς & abduxit eos.*

Gen. 12-2. מְקַלֶּלְךָ *maledicenti tibi* maledictam; Samaritanus מקלליך *maledicentes tibi* ut 70. καταρωμένους σε, & cæteræ verſiones, quemadmodum ibidem *benedicentes* ibid.

Gen. 15-3. Abrahamus dicit de ſervo ſuo יוֹרֵשׁ *hæreditans eſt*: Samaritanus יירש *iraſe jure hæreditario poſſidebit*, ut 70. κληρονομήσει.

Gen. 18-33. שָׁב *reverſus eſt*: Samaritanus שוב 19-29. בַּהֲפֹךְ *in ſubvertendo*: Samaritanus בהפכו *in ſubvertendo eo*, ut 70. ἐν τῷ καταστρέψαι κύριον &c.

Gen. 23-8. יֵשׁ אֶת־נַפְשְׁכֶם *eſt cum anima veſtra* 1. vobis placet: at codex Samaritanus habet ישת נפשכם *propoſuit anima veſtra*, nempe non habuit punctationem noſtram, & ut ſuo ſenſui accommodaret junxit duo monoſyllabica in unum verbum יָשֵׁת ex hiphil a שית vel שָׁתַת *poſuit*, vel *conſtituit*, hæ, & ſimiles in vocalibus mutationes, aut quaſdam addendo, vel auferendo manifeſte oſtendunt tunc Lectionem non fuiſſe punctis, ut nunc determinatam; cum tot ex paucis unius Libri capitibus cuivis pateat innumeras ejuſmodi ex toto pentateucho potuiſſe colligi.

CAP. VIII.

Punctorum inconſtantia ex verſione Græca Demonſtratur.

GRæca 70. interpretum verſio, quæ vocalibus notiſſimis conſtat, & diſtinctiſſime ſenſum, quem ex Textu Ebræo elicuit, nobis exhibet, clarius adhuc declarat punctationem hodiernam nondum obtinuiſſe, idcirco copioſiorem exemplorum meſſem ex ea producere expedit.

Gen. 4-15. לָכֵן *propterea.* 70. οὐκ οὕτω *non ſic*, & vulgata: *nequaquam ita fiet*; quamobrem legiſſe oportet לֹא כֵן; ſed ſuppoſito Cames ablatum fuit Aleph ut ſæpe alias, utriuſque enim idem officium.

--- 16. נוֹד *Nod* locus, cui Caini inquies nomen dedit: 70. legerunt נֵיד Ναίδ. & Joſephus cum ipſis lib. 1. antiq. c. 3. non dico bene legiſſe; ſed dumtaxat has ex Textu ſuo collegiſſe Lectiones.

Gen. 14-5. בְּהָם in *Ham*; regio ſic dicta; 70. legerunt בָּהֶם *in ipſis* ἅμα ἀυτοῖς *ſimul cum eis*; ſic vulgata: *cum eis*. --- 11. רְכֻשׁ *ſubſtantiam*. 70. τὸν ἵππον *equum* legerunt רֶכֶשׁ *equum*.

Gen. 15-11. וַיַּשֵּׁב אֹתָם, *& exſufflavit eas*, aves ſcilicet quæ in victimas Abrahami irruerant, a נָשַׁב *flavit*, *& flatu abegit*; 70. καὶ συνεκάθισεν ἀυτοῖς, *& conſedit cum illis*; ſic S. Ambroſius: *conſedit illic* (leg. illis) lib. 1. de Abrahamo, & S. Auguſtinus de civitate Dei lib. 16. c. 25. *& conſedit illis*; legerunt וַיֵּשֶׁב ab יָשַׁב *ſedit*; melius Aquila ἀπεσόβησεν *abegit*, ut conſideranti hiſtoriæ ſeriem patebit; ſed hoc non impedit quin certum ſit hodiernam punctationem eos non habuiſſe.

Gen. 17-15. לֹא־תִקְרָא *non vocabis* 70. οὐ κληθήσεται *non vocabitur*, legerunt לֹא־תִקָּרֵא, eodem ſenſu; nam Sara dici debuit ejus uxor ab omnibus, ſolentque Ebræi promiſcue ad ſimiles ſenſus uti verbis paſſivis, & activis; ſic יִקְרָא *vocabit*, pro יִקָּרֵא vocabitur Jeſ. 9-6.

Gen. 18-12. Sara dubitans de filio divinitus ipſi promiſſo ait: erit mihi עֶדְנָה *voluptas*: 70. legerunt עֲדֶנָּה per ſyncopem pro עד הנה *adhuc*, verterunt enim ἕως τὸ νῦν *uſque nunc*: non ignorarunt tamen priorem ſignificationem quoniam Pſal. 139-11. בַּעֲדֵנִי *circa me*, verterunt ἐν τῇ τρυφῇ μου *in deliciis meis*, vel *in voluptate mea*; ſic ubi non conveniebat voluptatem poſuerunt, & abſtulerunt e primo loco in quo eſſe debuit, quia diverſimode utraque loca legerunt; in Pſal. ſcilicet legerunt בְּעֶדְנִי quod evidenter probat eos hodiernam, & conſtantem non habuiſſe punctationem.

Gen. 26-12. terra in gratiam Iſaci pro una centum producit שְׁעָרִים *menſuras* 70. κριθήν *hordeum* legit שְׂעֹרִים.

Gen. 30-11. בְּגָד cujus jam fecimus mentionem vox eſt Ebræis fere ignota, quia ſemel uſurpatur in ſenſu, quem hic habere debet; ſed inter Arabes eo ſenſu frequens eſt, nam iis בגד *bagad* cætus, & turba dicuntur; *Bagad* igitur exclamavit Lea numeroſam ex ancilla ſperans prolem; ſed cum inde dicatur puer *Gad*, & *B* initiale deficiat, maluerunt Ebræi in duas dividere voces ita ut בָּגָד ipſis ſit, quaſi בָּא גָד *venit Turma* eodem prorſus ſenſu; א autem exulat ob Camets additum, quod ejus vicem ſupplet; ſic legerunt Chaldæi paraphraſtes, Syrus: 70. vero legerunt בְּגָד quia verterunt ἐν τύχῃ *in fortuna*, unde S. Auguſtinus arripuit occaſionem exiſtimandi, quod

omnem

omnem idololatriæ labem nondum Lea exuerat. quæſt. 91 & 94. in Geneſim.

Gen. 49-5. כְּלֵי *arma* 70. legerunt כִּלּוּ cum verterint συνετέλεσαν *perfecerunt*; ſic etiam legit exſcriptor Samaritanus, ſicque Simeon, & Levi conſummaviſſe horrendum ſcelus gladiis ſuis ſat convenienter dicuntur.

--- 6. כְּבֹדִי *gloria mea*, redditur a 70. τὰ ἥπατά μου *viſcera mea* legerunt כְּבֵדִי. mutato ד in ר ob ſimilitudinem, ut contra verſ. 14. חֲמֹר *aſinum* reddiderunt per τὸ καλὸν *bonum* legendo חֶמֶד *res deſiderabilis*; ſed puncta ſi adfuiſſent errorem ex ſimilitudine harum Literarum ortum facile avertiſſent.

--- 21. אַיָּלָה *Cerva* 70. στέλεχος *virgultum*, legerunt אֵילָה vegetis enim arboribus ſolent aſſimilari homines ut Pſal. 1-3. & 92-13. præſertim cum ſoboleſcunt, ut Nephtali qui quatuor Liberorum dumtaxat pater ingreſſus Ægyptum, in exitu habuit 53400. viros ad bellum idoneos, præter numerum fœminarum, ſenum, & puerorum bis, terque majorem Num. 1-43.

Exodus ſimilia exempla nobis ſuppeditabit; nam cap. 13-18. חֲמֻשִׁים *ad bellum inſtructi* leguntur Iſraelitæ ex Ægypto exiviſſe; unde Aquilæ, & Symmacho καθωπλισμένοι *armati* Onkeloſo מְזָרְזִין & Hieroſolymitano interpreti מְזַיְּנִין *accincti*, & *armati* dicuntur quod eo eſt convenientius; quod חֹמֶשׁ dicatur ea corporis pars, quæ quinque coſtis nothis comprehenditur, & quia jecur, & partes periculoſiſſimis ictibus obnoxias 2. Sam. 2-23. continet, ideo præ cæteris aliis indiget munimento, & armis: nihilominus 70. reddunt πέμπτη δὲ γενεᾷ *quinta autem progenie*, & legere debuerunt חֲמִשִּׁים *quintani*, ut intelligerent quintam progeniem; poſt ingreſſum Iſraelitarum in Ægyptum, natam; at quarta generatio Liberari debuit Gen. 15-16. & inſuper obſervare expedit quod his ipſis interpretibus חֲמֻשִׁים ſint εὔζωνοι, διεσκευασμένοι ſive bene accincti, & armis inſtructi Joſuæ 1-14.

Numer. 16-30. בְּרִיאָה *creatio*: 70. ἐν φάσματι *in viſione* legerunt בְּרוֹאָה in viſione a רָאָה; ſimilitudo י & ו in cauſa fuit, ſed ſi puncta adfuiſſent error ſtatim patuiſſet: finem imponemus exemplis quæ ſuppeditat pentateuchus ut ex Hagiographis, & Prophetis nonnulla etiam in medium afferamus; ſed non poſſumus præterire Num. 21-30. ubi quatuor contigua verba diverſimode legerunt Græci inter-

pretes. נַשִּׁים עַד־נֹפַח אֲשֶׁר *Desolare fecimus usque ad Nophac*, *quæ* &c. Chaldæus, Syrus, Arabs, Latinus, & vulgares interpretes huic lectioni suffragantur; at ne minimum quidem illius potest agnosci vestigium in his 70. verbis: αἱ γυναῖκες ἔτι προσεξέκαυσαν πῦρ *mulieres adhuc succenderunt ignem* &c. quia legerunt: נָשִׁים עַד נָפְחָה אֵשׁ & hæc verba eum sensum penitus edunt.

1. Sam. 15 5. וַיָּרֶב *& rixatus est*; 70. καὶ ἐνήδρευσεν *& posuit insidias* leg. וַיֶּאֱרֹב.

1. Sam. 16-20. mittit Isai ad Saulem cum Davide filio חֲמוֹר *asinum* panibus onustum 70. legerunt, & conservarunt γόμορ mensuræ nomen.

2. Paral. 26. 5. בִּרְאוֹת *in visionibus* 70. ἐν φόβῳ *in timore* legerunt בְּיִרְאַת; vel בְּיִרְאוֹת in plurali; & Junius observat ad marginem versionis suæ, sic scriptum fuisse in exemplari emendatissimo Bibliothecæ Palatinæ, quin R. Salomo Jarchi sic exponit שהבין ביראת האלהים *quod intelligens fuit in timore Dei*, *& illum docuit*; neque mirum *Jod* evanuisse post puncta apposita, & *Vau* etiam potest suppleri & in pluralibus non raro subintelligitur.

Ad Psalmos me confero, qui soli sufficerent, si omnes variæ lectiones enumerarentur.

Psal. 2-9. תְּרֹעֵם *conteres eos*: 70. ποιμανεῖς αὐτοὺς *reges eos*, aut *pasces*; sic Syrus, Arabs, Latinus & legerunt תִּרְעֵם a רָעָה; cum prius oriatur a רָעַע ut punctatio declarat, & paraphrasis Chaldaica ipsi suffragatur.

Psal. 8. & 84. in titulis עַל הַגִּתִּית *super Gittith* sive *instrumentum musicum*: Chaldeus interpres vult fuisse Cytharam allatam ex urbe Philisthæorum Gath, & ab ea dictam; vel potius μέλος ἐπιλήνιον *carmen torcularium* quale refert cantatum coram Ptolemæo Philadelpho Athenæus lib. 5. c. 7. ad cujus modos potuerunt hi Psalmi adaptari; sane ad levandos labores in messe Messores, & in vindemia vinitores; immo qui ad remiges damnantur suas habent Cantilenas: 70. reddiderunt ὑπὲρ τῶν ληνῶν, & Vulgata *pro torcularibus* legerunt גתות levi *Jod* in *Vau* permutatione.

Psal. 22-1. bis repetitur אֵלִי אֵלִי, *Deus meus*, *Deus meus*, at 70. πρόσχες μοι, & vulgata *respice in me* videntur postremam illam vocem legisse אֵלַי *ad me*, & verbum ad illustrationem sensus addidisse.

שַׁאֲגָתִי *Rugitus mei* scilic. a שָׁאַג *clamavit fortiter*, & Rugiit Leonis

nis instar, ut Christus in Cruce: 70. *τῶν παραπτωμάτων μȣ*, & vulgata *delictorum meorum*, legerunt שְׁגָתִי a שָׁגָה *erravit*, & *deliquit*; quod Christo non potuit convenire.

---17. : כָּאֲרִי *sicut Leo* : 70. *ὤρυξαν foderunt*; legerunt כָּאֲרוּ a כָּאַר, vel א erit loco *Cames* nondum inuenti a כָּרַר vel כָּרָה *fodit*; est autem verisimile a prima antiquitate diversam obtinuisse lectionem, & כארי esse plurale participii in statu constructo, ut significet *fodientes* manus, & pedes; hinc Chaldæus reddidit per נָכְתִין *mordentes*, & verbum repetendum ex præcedenti pericope, ut etiam fecit, retinendo præterea receptam lectionem: quin י pro ו non raro ponitur, quod in quibusdam exemplaribus etiam inventum; sed de his alias.

Ps. 26 9. אַל־תֶּאֱסֹף *ne Colligas* ab אָסַף *congregavit* : 70. *μὴ συναπολέσῃς ne simul perdas*, legerunt תָּאסֵף a סוּף perdidit, א pro *Cames* habendo.

Ps. 46-5. קְדשׁ מִשְׁכְּנֵי *Sanctum Tabernaculorum* i. adytum 70. *ἡγίασε τὸ σκήνωμα αὐτȣ̃ sanctificavit Tabernaculum ejus* legerunt קִדֵּשׁ מִשְׁכָּנוֹ.

Ps. 47-10. magnifici populorum aggregati sunt עַם *populo* Dei: 70. *Μετὰ τȣ̃ θεȣ̃* legerunt עִם *cum*, & Vulgata similiter, cæteræque versiones.

Ps. 56-8. salus impiorum fundatur super אָוֶן vanitatem; 70 *ὑπὲρ τȣ̃ μηδενὸς* leg. אַיִן *non*.

Psal. 60-2. בְּהַצּוֹתוֹ *cum ipse rixaret*, aut *contenderet* ab הָצָה *rixis & jurgiis contendit* 70. *ὁπότε ἐνεπύρισε cum incenderet*, leg. בְּהַצִּיתוֹ ab יָצַת *combussit*.

Psal. 53-10. וּמֵי מָלֵא יִמָּצוּ *aquæ pleni*, calicis (vel oculi si cùm paraph Chald. de Lachrymis intelligamus, *exprimentur*, 70. *καὶ ἡμέραι πλήρεις εὑρεθήσονται*, & *dies pleni invenientur* leg. יְמֵי מָלֵא יִמָּצְאוּ; nempe א potuit post מ scribi ad significandum Camets, illud autem facile transposuerunt, & ו in י permutarunt, quod non potuissent facere si repugnantia puncta vidissent.

Psal. 88-11. רְפָאִים יָקוּמוּ *mortui resurgent* 70. *Ἰατροὶ medici* leg. רֹפְאִים. ut infra Jes. 26-14.

Psal. 90-8. עֲלֻמֵנוּ *absconditum nostrum* 70. *αἰὼν ἡμῶν* seculum nostrum leg. עֹלָמֵנוּ: at Chaldæus. עֲוָיַת טַלְיוּתָנָא *peccata juventutis*, Symmachus *ἀμελείας ἡμῶν iniquitates nostras*, & Aquila *παροράσεις ignorantias*, legerunt ut hodie legimus, sed quasi esset עֲלוּמֵינוּ *juventutes*,

ies, sive *juventutis errata*; nempe *Jod* pluralium sæpe deficit, & Schurek mutatur in Kibbus.

--- 12. יָמֵינוּ *dies nostros* 70. τὴν δεξίαν σου *dextram tuam* leg. יְמִינְךָ quod facile fuit absentibus punctis, quia Caph ad Vau proxime accedit; finale enim diversissimum nondum erat in usu; sed si puncta adfuissent; talis permutatio fuisset impossibilis.

--- 15. שַׂמְּחֵנוּ *Lætifica nos* 70. εὐφρανθείημεν *Lætati sumus*, legerunt שָׂמַחְנוּ sicut vulgata, & cæteræ versiones præter Chaldaicam, & Syriacam.

Psal. 104-16. בְּרוֹשִׁים *abjetes* 70. ἡγεῖται αὐτῶν *dux est* leg. בְּרֹשָׁם *in capite eorum*, ut dux solet: Vau pro Aleph quasi בְּרֹאשָׁם.

Psal. 120-5. גַרְתִּי מֶשֶׁךְ *peregrinatus sum Mesech* nomen loci forsan Μασκάνη, πόλις πρὸς τῶν σκηνιτῶν Ἀράβων *Mascane urbs ad Arabes Scenitas* sita, inquit Stephanus de urbibus; vel Prophetia est de Israelitis ad Moschos usque & Tybarenos post captivitatem dejectis vid. Clariss. Bochart. in phal. lib 3. c. 12. 70. παροικία μου ἐμακρύνθη *incolatus meus est prolongatus*. Aquila προσηλύτευσα ἐν μακρυσμῷ *advena fui longo tempore*, & alius ὤ μοι ὅτι παροικῶν παρείλκυσα *hei mihi quia protraxi incolatum* eodem fere sensu, quia legerunt eodem modo גַרְתִּי מָשַׁךְ *incolatus meus prolongatus est*, ut Vulgata.

Psal. 130-4. *ut* תִּוָּרֵא *timearis* 70. ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου *propter nomen tuum*; nulla autem affinitas verbum Ebræum habet cum nomine; at scribit Theodoretus: *pro* τοῦ ὀνόματος *Aquila quidem, & Theodotio interpretati sunt* φόβον *timorem*; *Symmachus autem* νόμον *legem* &c. S. Hieronymus vero Epistola 135. ad Suniam & Fretellam: *dicitis vos legisse in Græco* ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου *id est propter nomen tuum, & nos confitemur plura exemplaria sic reperiri; sed quia veritati studemus, id quod in Ebræo sit simpliciter debemus dicere: pro nomine enim, sive lege apud eos legitur* תירא *Thira quod Aquila interpretatut est* φόβον *hoc est timorem, Symmachus, & Theodotion* νόμον *id est legem, putantes* תורה *propter* י *Jod &* ו *Vau similitudinem, & formam, quæ tantum magnitudine distinguntur: quinta editio terrorem interpretata est: sexta verbum.* Ex his patet S. Hieronimum tunc legisse תִּירָא & interpretatum fuisse *timorem*, ut etiam Aquila, & quinta editio (de Theodotione ipsi controversia est cum Theodoreto) Symmachus autem, sexta editio; & quicunque verterunt νόμον legem, aut verbum, legerunt

gerunt מוֹרָה mutando *Aleph* in *He* quod non est infrequens; cum autem Patres, ut S. Hilarius, S. Augustinus in hunc Psalmum, & Vulgata ex Græco facta hanc lectionem sequantur, nullus dubito quin 70. illam primi tenuerint, & exscriptorum errore, id τοῦ ὀνόματος originem duxerit ex τοῦ νόμου. Chaldæus legit הִירְאָ pro מֹרָאה quasi *Jod* locum habuisset *Chirek* longi, & *He* ultimum deficeret quod non rarum; vertit enim רְתִתְחַמֵּי *ut videaris.*

Ps. 139-20. עָרֶיךָ *hostes tui*: 70. τὰς πόλεις σου & Vulg. *Civitates tuas* legerunt עָרֶיךָ: exiguo quidem discrimine observando tamen, quia Jes. 14-21. *urbes* contra in *hostes* transmutaverunt.

Ecclesf. 12-9. אִזֵּן *audire fecit*, 70. οὖς *auris* leg. אֹזֶן.

Cant. 2-2. בְּאַיְלוֹת *in cervis* 70. ἐν ἰσχύσεσι leg. בְּאֱיָלוֹת.

Cant. 7-9. יְשֵׁנִים *dormientes*, aut *mortui*: 70. καὶ ὀδοῦσιν Vulgata, *& dentibus*; sic Æthiops, Syrus, & Arabs *interpretes*, qui legerunt omnes וְשִׁנַּיִם quia *dentes* dualiter exprimuntur ob duplicem dentium ordinem; solus Chaldæus sequitur textum Ebræum, qui recte se habet, cum in statu regiminis sit vocabulum præcedens, quod neque mutationem *Jod* in *Vau* patitur; neque aliter etiam sensus quadraret.

Ad Prophetas me converto Jes. 5-9. בְּאָזְנָי *in auribus meis* 70. ὤτα leg. צְבָאוֹת. בְּאָזְנָי 70 σαβαὼθ, & alibi semper, ut Jacob. 5-5. in Textu Græco, & in Vulgata.

Jes. 9.8. דָּבָר *verbum* 70. θάνατον *mortem*, sive *pestem*, quæ ob funestissimum virus a morte vix distinguitur; unde Num. 14-12. percutiam eum בַדֶּבֶר *peste*, Chaldæus reddit בְּמוֹתָא 70. θανάτῳ, & versiones Samaritanæ, Syriacæ, & Arabicæ eos sequuntur: contra, adeo sunt inconstantia hominum judicia; iidem interpretes. Psal. 91-3. מִדֶּבֶר a *peste* (ubi similiter Chaldæus habet מִמּוֹתָא a morte) vertunt ἀπὸ λόγου *a Sermone*, & invito sensu דָּבָר legerunt, sequacesque suos Syrum, Arabem, Æthiopemque, & Vulgatam post se traxerunt.

-- 17-11. וּכְאֵב אָנוּשׁ *sicut dolor desperatus* 70. ὡς πατὴρ ἀνθρώπου, *ut pater hominis*; legerunt כְּאָב אֱנוֹשׁ cum diversissimis punctis: S. Hieronymus vero וְכָאֵב אָנוּשׁ *graviter dolebo* vertendo.

Jes. 23-3. שִׁחֹר *Nili* 70. μεταβόλων *negotiatorum* leger. סֹחֵר pro שִׁחֹר quia שׂ & ס non differunt; sed שׂ cum puncto dextro diversum, unde patet puncta harum literarum diacritica nondum fuisse inventa.

Jes.

Jes. 24-23. pro הַלְּבָנָה & הַחַמָּה *Luna*, & *Sole* 70. πλίνθος *later*, & τεῖχος *Murus* Leg. הַלְּבֵנָה *Later* & הַחֹמָה *Murus* in quibus vocabulis puncta sunt diversissima; quare alia editio habuit convenienter nostræ lectioni: ἐντραπήσεται ἡ σελήνη, καὶ αἰσχυνθήσεται ὁ ἥλιος.

Jes. 26-14. רְפָאִים *mortui* non resurgent. 70. Ἰατροὶ *Medici* Leg. רֹפְאִים, ut Psal. 88-11.

33-7. אֶרְאֶלָּם S. Hieronymus in hunc locum scribit: *Aquila Symmachus, & Theodotio interpretati sunt apparebo eis* (legerunt igitur אֵרָא-לָם ὀφθήσομαι, & ὀφθήσομαι αὐτοῖς, quod perfecte scribi debuisset אֵרָאֶה לָהֶם sic etiam legit Chaldæus, nisi quod punctum primæ syllabæ videatur tempus, & personam mutasse, habet enim אִתְגְּלֵי) *Ebræi significare Angelos arbitrantur* (sic 70. ἄγγελοι, & Vulgata *Angeli*; quare legere debuerunt אֶרְאֵלִים in plurali, & sic Jod deficit: R. D. Kimchi vult esse nomen Angeli, & de pluribus dici.

53-8. נֶגַע לָמוֹ *plaga est ipsi*: 70. ἤχθη εἰς θάνατον *ductus est ad mortem*. Leg. נֻגַּע לַמָּוֶת putaruntque ת finale supplendum, quia quando linea perfecta est, solet non adscribi, ne cæterarum linearum limites excederet, quod Lineola oculos facile effugiente, notatur; constat etiam נגע significare *duxit*, & in *pual ductus est*, unde Gen. 12-17. וַיְנַגַּע exponitur ab Onkeloso אַיְתִי *adduxit*.

56-11. רֹעִים *Pastores*: 70. πονηροὶ Leg. רָעִים *mali* sic Chaldæus etiam, habet enim מְבַאֲשִׁין *Malefacientes*, & Syrus, Arabsque similiter.

60-21. נֵצֶר *Virgultum*: 70. φυλάσσων *custodiens* Leg. נֹצֵר, & Arabs.

Jes. 63-9. צָר *Angustia*: 70. πρέσβυς *Legatus*; Leger. procul dubio צר, sive ציר, ut Prov. 13-17. a ציר *Cardo*, quia ejus prudentiæ ut cardini negotia Domini inniruntur.

Jerem. 3-2. כַּעֲרָבִי *sicut Arabs*: 70. ὡσεὶ κορώνη *ut Cornix* Leger. כְּעֹרֵב.

13-18. מַרְאֲשׁוֹתֵיכֶם *Sublimitates vestras*. 70. ἀπὸ κεφαλῆς ὑμῶν *de capite vestro*. Leg. מֵרָאשׁוֹתֵיכֶם, & plurale fœmininum dederunt τῷ ראש quod non est inauditum, plurima enim nomina utriusque terminationis pluralia habent.

18-9. אָנֻשׁ *perversum*: 70. ἄνθρωπος, *homo* Leg. אֱנוֹשׁ pro אָנֻשׁ.

31-13. יַחְדָּו *simul* 70. χαρήσονται *gaudebunt*. Leg. יֶחֱדוּ a חָדָה *gavisus est*.

Lament.

Lament. 2-11. כְּבֵדִי *jecur meum*: 70. δόξα μου *Gloria mea* Leger. כְּבֹדִי, ut Gen. 49-6.

4-16. חִלְּקָם *divisit eos*: 70. μερὶς αὐτῶν *pars eorum* Leg. חֶלְקָם.

Ezech. 7-11. נֹהַּ *Lamentum*, a נָהָה *Lamentatus est*: 70. secundum manuscriptum Alexandrinum ὡραϊσμὸς *pulcritudo*, & *decorum* Leg. נָהּ a נָאָה *pulcher*, & *decorus fuit*; cætera exemplaria habent σπουδῆς *festinatio* ab נָחָה *invasit*, & *oppressit*: vulgata vero *requies* Legit נָוֶה *mansio*, & *sedes* in qua unusquisque post peracta itinera requiescit; hincque licet colligere antiquitus Vau fuisse appositum, & post puncta ablatum, quia quiescit in cholem.

12-3. הִשְׁבַּתִּי *Cessare feci*: 70. ἀποστρέψω *avertam* legerunt הֲשִׁבֹתִי.

48-35. שָׁמָּה *ibi*: 70. ὄνομα αὐτῆς *nomen illius* Leger. שְׁמָהּ; unde colligendum nondum mappik fuisse in usu, observassent enim non fuisse appositum.

Hos. 3-1. dilectam רֵעַ *Socii*: 70. Leg. רַע vertunt enim ἀγαπῶσαν πονηρὰ *amantem mala*, & pro אֲהֻבַת Legerunt אֹהֶבֶת.

4-15. בֵּית אָוֶן *domus vanitatis* per contemptum nuncupatur *Bethel* 70. οἶκον Ὢν Legerunt בֵּית־אוֹן eodem sensu; sic Theodoretus, & alii: sed mirari subit S. Hieronimum cui hæc lectio visa est mirabilis, & putavit *Vau* medium in *Jod* fuisse permutatum quasi *Jod* habere locum possit in *on*: si ex hoc loco judicaremus de ejus eruditione diceremus, quod nequidem Ebraicè Legere potuerit; verum aliquando bonus dormitat Homerus.

Hos. 6-9. וּכְחַכֵּי אִישׁ *ut expectantes virum*? ad quæ verba R. D. Kimchi: היו"ד במקום ה"א חכה והוא מקור *Jod est loco He*, *& est infinitum* quare Legisse videtur חַכֵּה: reddit similiter Targum singulariter: at Septuaginta Leg. כֹּחֲךָ a כֹּחַ *robur* habent enim ἰσχύς σου & S. Hiero. כְּחִכֵּי *sicut fauces* a חֵךְ *faux*; ita etiam Symmachus.

9-12. בְּשׂוּרִי *in recedendo me*: 70. σάρξ μου *Caro mea* & Theodotio etiam Leg. בְּשָׂרִי; Vulgata punctationem hodiernam sequitur.

12-5. עִמָּנוּ *nobiscum*; 70. secundum Manuscriptum Alexandrinum πρὸς αὐτόν *ad ipsum*, nempe Jacobum sensu commodiori judicibus Capello, & Grotio, & sic Leger. עִמּוֹ.

12-12. שְׁוָרִים *boves*, punctatione inepta pro שׁוֹרִים: 70. ἄρχοντες *principes* legerunt שָׂרִים, & inde patet puncta diacritica שׂ ש nondum in usu fuisse.

13-1. וַיֶּאְשַׁם *deliquit* : 70. ἔθετο *posuit* Leg. וַיָּשֶׂם a שׂוּם ubi Cames designatum per *Aleph*.

--3. מֵאֲרֻבָּה *e fumario* sive *Camino*; unde Chaldæus מִבֵּית נוּרָא *e domo ignis*; nempe Caminus habet focum ubi ignis accenditur, & in superiori Domus parte viam apertam, qua egreditur : 70. ἀπὸ δακρύων *de Lachrymis*, Ebræum autem vocabulum cum Lachrymis nihil habet commune; sed S. Hieronymus observat in plerisque codicibus legi ἀκρίδων *Locustis*, neque dubium hoc vocabulum Transpositione ϗ δ. Transmutatum in aliud; quoniam Legerunt 70. מֵאַרְבֶּה *a Locustis* vocabulum enim Locustas significans iisdem Literis scribitur, ac illud quod fumarium, ut idem S. Hieron. ibid. observat, & punctis dumtaxat discriminatur; verum cum de fumo agatur, convenientius est intelligere fumarium, unde Theodotio Transtulerat καπνοδόχον & Aquila, καταῤῥάκτην quæ iter, & foramen, quo fumus recedit designant.

Hos. 14-3. פָּרִים *vitulos* 70. καρπὸν Leg. פְּרִי sicque refert Apostolus Eb. 13-15. nempe ob diversitatem minimi momenti a recepta versione discedere noluit, ne infirmos offenderet; sane in plurali constructo quod hic esse debuit parum est discriminis in utroque vocabulo, sed absolutum pro constructo dificultatem quandam parere potuit, licet similia exempla occurrant ut טוּרִים־אֶבֶן *ordines Lapidum* Exod. 28-17. pro טוּרֵי sic hic פָּרִים pro פָּרֵי.

Joel. 1-15. מִשַּׁדַּי *ab omnipotente* : 70. ἐκ ταλαιπωρίας *ex miseria* Leg. מִשֹּׁד, ut vocabulum præcedens superaddito dumtaxat Paragogico *Jod*, quod non rarum.

Amos 1-6. minatur Deus captivitatem שְׁלֵמָה *perfectam* 70. ϗ Σαλωμὼν Leg. שְׁלֹמֹה : nomen autem Salomonis ibi habere locum non potest, & melius Aquila ἀπηρτισμένην; Symmachus & Theodotio τελείαν convenienter Lectioni Ebraicæ, ut observavit S. Hieronymus in h. l.

3-12. מִטָּה *Lecti* 70. τῆς φυλῆς *Tribus* legerunt מַטֶּה 1. *Tribus*, aut *Baculus*, quem Tribuum principes gerebant : sic Gen. 47-31. Jacobus ad caput מִטָּה *Lecti* prostratus adorat; 70. autem ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ *super summitatem virgæ suæ*, quam Lectionem Syrus sequitur; & S. Paulus Ebr. 11-21. at Ebræam Aquila, & Symmachus.

Amos 3-11. צַר *Augustia*, & *Tribulatio* 70. Τύρος *Tyrus*, legerunt

runt צר : Theodotio vero צָר *fortitudinem*, sive, *petram durissimam & excelsam*, quæ Græcis diceretur ἀκρότομος, ut observavit S. Hieronymus in h. l.

Amos 4-10. בְּאֹשׁ *fœtorem*, 70. ἐν πυρὶ in igne Leg. בְּאֵשׁ 4-13. מַה־שֵּׂחוֹ *quid meditatio* ejus, 70. χριστὸν αὐτοῦ Leg. מְשִׁחוֹ atque ה medium pro E brevi forsan habuerunt.

Amos 9-12. אֱדוֹם *Edom* 70. τῶν ἀνθρώπων Leg. אָדָם.

Mich. 2-8. שַׂלְמָה *vestem* : 70. τῆς εἰρήνης *pacis* ; Leg. שְׁלֹמָה cum ה parag.

Mich. 2-12. בָּצְרָה *Botsera* urbs regia Idumæorum : 70. ἐν θλίψει. *in tribulatione*, Leg. בְּצָרָה.

Nahum. 2-4. מְאָדָּם *rubefactus* : 70. ἐξ ἀνθρώπων *ex hominibus*, Leg. מֵאָדָם.

3-8. מִנֹּא *ex No* urbe Ægypti, quam esse Alexandriam volebat Judæus S. Hieronymi præceptor vid. in h. l. 70. μερίδα *partem* Leg. מְנָא cujus plurale מְנָאוֹת Nehem. 12-44.

Habac. 2-4. בֶּאֱמוּנָתוֹ *ex fide sua*, 70. ἐκ πίστεώς μου *ex fide mea*, Leg. בֶּאֱמוּנָתִי facili permutatione *Vau*, in *Jod* sola quantitate discrepantes Literæ, sed quam puncta situ diversissima prohibuissent.

3-2. חַיֵּיהוּ *vivifica illum*: 70. ζώων *animalium*; unde fabula de duobus animalibus Christum in præsepio ambientibus, quo referunt Jes. 1-3. *cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui* &c. Leger. חַיּוֹת *animalia* ה in ת mutato; sed puncta alienissima obstitissent, si tunc adfuissent : Eusebius ζώων *vitarum* interpretatus est; sed Aquila, & Theodotio ζώωσον αὐτὸν *vivifica eum*, convenienter nostro Textui reddiderunt, & Symmachus similiter ἀναζώωσον.

Zachar. 9-5. מַבָּטָהּ *aspectus ejus*, 70. ἐπὶ τῷ παραπτώματι αὐτῆς *super ruina sua* Leg. מִבְטָה *ob temerariam loquutionem*. Manuscriptum Alexandrinum vero ἀπὸ ἐλπίδος αὐτῆς *ob spem suam*. Leg. מִבְטַח mutando ה in ח sic etiam legit vulgata.

Zachar. 9-11. אַתְּ בְּדַם בְּרִיתֵךְ שִׁלַּחְתִּי *tu in sanguine fœderis tui emisi* &c. 70. σὺ ἐν αἵματι διαθήκης σου ἐξαπέστειλας *tu in sanguine Testamenti tui emisisti* &c. Leg. אַתְּ בְּדַם בְּרִיתֵךְ שִׁלַּחְתְּ; sicque ה in secundæ personæ pronomine, ut sæpe deest, & *Jod* abundat, quod etiam plurima exempla habet; neque est primæ personæ indicium; sic etiam legit vulgata.

11-11. כֵּן עֲנִיֵּי *sic afflicti*. 70. οἱ χαναναῖοι, *Chananæi* Leger. כְּנַעֲנִי &

duas voces in unam conjunxerunt; unde patet nondum fuiſſe excogitatum *Nun* finale quod illas manifeſte diſtinxiſſet.

Zachar. 14-5. נַסְתֶּם *fugietis*; 70. φραχθήσεται, & ἐμφραχθήσεται *obturabitur*; Leg. נִסְתַּם a סָתַם *clauſit*; hanc lectionem ſequitur Chaldaica paraphraſis, & verſio Arabica, poteſtque quorundam Rabinorum ſuffragio comprobari.

-- 20. מְצִלּוֹת *frenum* equi, vel *Tintinnabula*: 70. τὸ χαλινὸν frænum; at Aquila, & Theodotio βυθὸν *abyſſum*, & *profundum*; Leger. מְצֻלּוֹת, ſicut Symmachus, qui reddidit περίπατον σύσκιον *inceſſum umbroſum* ut refert S. Hieronymus in h. l.

Malac. 2-3. זֶרַע *ſemen*, 70. τὸν ὦμον *humerum* Leg. זְרֹעַ *humerus*, & præcipue *brachium*; contra Ezech. 31-17. ubi extat זְרֹעוֹ *brachium ejus* reddiderunt σπέρμα αὐτοῦ *ſemen ejus*.

Confirmabo petitum a 70. Græcorum interpretum diverſa Lectione argumentum, Joſephi eorum veſtigiis inſiſtentis exemplo, & ut brevitatis rationem habeam Caput 8. Libri 3. antiquitatum dumtaxat percurram, in eo ornamenta Pontificalia deſcribit; eorum autem nomina eo tempore uſitata Sacerdos cum eſſet non potuit ignorare, ea tamen refert ab hodierna punctatione multum diſcrepantia; immo ipſa Sacerdotum nomina quibus utitur cum ea non conveniunt: nam Sacerdotes χαναίας vocat quos nunc כֹּהֲנִים *Choanim* dicimus, non quidem mirum terminationem *im* Ebræorum in Græcam permutari; ſed O primæ ſyllabæ non debuiſſet per a exprimere ſi illud inveniſſet; ſic Αναραβάχην Pontificem dicit ſive potius χάνα ραββάχην ex כֹּהֵן רַב; nempe diverſitatem illam attulit dialectus Chaldaica cui כָּהֲנָא רַבָּא eſt *Sacerdos Magnus*, ſive Pontifex; nihilominus punctatorum lege *Cames* ad O proxime accedit ſequente *ſceva*: ad veſtes ejus quod ſpectat primo commemorat μαναχασὴν in qua manifeſta tranſpoſitio pro μαχανασὴ quæ dualiter ſcribitur מִכְנָסַיִם ob bina femoralia cujus ne unica vocalis conſervatur, licet mutatio numeri, aut terminationis Græcæ non exigeret diverſas ſubſtitui; in altera nempe χεθομένη pro כְּתֹנֶת *m* deſcribentium incuria irrepſit. אַבְנֵט Balteus eſt Joſepho ἀβανὴθ: חֹשֶׁן pectorale ipſi eſt ἐσσήν. Hæc ſpecimina ſufficiunt.

Tot tantæque in omnibus S. Scripturæ Libris diverſitates circa punctationem evidenter probant nondum fuiſſe punctatos illos Libros, ut hodie ſunt, & nativas vocales tunc ſuffeciſſe; neque dicendum etiam diverſitatem occurrere in Literis; cum id rarius ſit, & ſoleat

fieri

fieri in iis Literis, quæ similes sunt, & vix possunt a se invicem distingui; puncta autem singula ab omnibus aliis facile distinguuntur: hinc, qui auctoritatem punctorum propugnandam susceperunt, maluerunt recurrere ad negligentiam Græcorum interpretum, quasi eorum tempore linguæ Ebrææ studium omnino jaceret, Librique Sacri essent rarissimi, præsertim ii, qui accuratissimi erant, atque punctis vocalibus instructi; quamobrem licet nonnulli tales invenirentur, iis potuerunt carere hi interpretes: verum quis credat iis saltem caruisse pontifices, quorum erat omnes codices ad examen revocare, & secundum exemplaria in Templo asservata sedulo emendare? quis credat hos Pontifices ex universo gentis suæ cætu præstantissimos, doctissimosque viros studiose elegisse, & non accuravisse ut codices haberent emendatissimos & omnibus notis ad intelligentiam Textus conferentibus munitos; cum divinum opus aggrederentur in gratiam regis Augustissimi, & amicissimi, atque omnibus subsidiis indigerent ob usum linguæ Ebrææ obsolescentem, & recentem linguæ Græcæ, in quam e Codicibus Ebræis Legem, & forsitan etiam Prophetica oracula transferre debebant, introductionem? proculdubio, si qua tunc extitit interpretatio Chaldaica, ea etiam non caruerunt, & inde est quod tantus sit inter eos & Chaldæos paraphrastes, qui antiquiorum vestigiis institerunt, consensus; sed saltem punctatos codices habuerunt, si puncta genuinarum vocalium munus semper gesserunt, & animæ vocabulorum fuerunt, neque verissimile est sapientissimum Eleazarem Pontificem post expertam regis munificentiam, post Libertatem Judæorum captivorum innumerabili multitudini Liberaliter a rege concessam, post dona pretiosissima Templo facta, post declaratum animi ejus in legem divinam studium propensissimum, adeo in regem Liberalissimum fuisse ingratum; ut puncta exiguosque apices ipsi inviderit, immo Legi ipsi, quæ absque illis commode, neque perfecte Legi potuit, si nullæ aliæ fuerunt vocales, & maximæ etiam totius gentis parti, quæ linguæ Græcæ gnara, & Ebrææ ignara Græcam Legis suæ interpretationem anhelabat: an quæso summus ille Pontifex ob pietatem atque prudentiam celeberrimus curasset ex singulis tribubus binos præ cæteris peritos interpretes eligi, ut versio totius gentis consensu munita conderetur, & neglexisset obvia subsidia sine quibus versio futura erat manca, & confusa? an exemplar aureis Literis describi, & variis ad pompam

dumtaxat utilibus ornamentis illuſtrari ſategiſſet, vocales autem perfectam ejus integritatem conſtituentes, ſuſque deque habuiſſet; nemo cordatus id unquam in animum inducet ſuum: at ſuſpicabitur aliquis, quod egregius ille Codex ſanctus fuerit, & in uſum Templi dicatus, quoniam Pontifex ſuis ad regem Literis ejus reſtitutionem efflagitavit; ne in alienigenarum manibus pollueretur; conſtat autem volumina in uſum ſynagogarum conſcripta ne hodie quidem puncta habere; hoc non me latet, ſed præterquam quod parum veriſimile eſt codicem in uſum Templi adornatum ad regem miſſum, cum alius in ejus gratiam etiam venuſtior deſcribi potuerit, qui tamen ob res in eo contentas ſatis ſanctus fuerit ut in poteſtate prophanarum gentium remanere non debuerit; verum ſupponamus ita fuiſſe, an non debuerunt ſeptuaginta interpretes ſinguli ſua habere exemplaria? an inter tot exemplaria ne unum quidem punctis inſcriptum eſſe potuit? an adeo propriam famam, immo pietatem contempſerunt, ut non diſquiſiverint ſedulo omnia auxilia ad perficiendam verſionem ſuam? quare eo ipſo quod punctatos codices non habuerunt, licet inferre tunc revera nullos fuiſſe: ad fraudem fortaſſe alii recurrent, autumabuntque punctorum Theſaurum ſibi reſervaſſe Judæos, neque cum gentibus inæſtimabilem illam traditionem communicandam judicaviſſe; at non communicaſſent cum gentibus, ſed illam ſibi reſervare potuiſſent interpretes, aut ſaltem illi qui ex Levitico ordine adſtabant, ut ejus opera legitimum legis ſenſum valerent adipiſci, neque temere divina præcepta exponerent, quod accidere debuit ſi nullæ vocales præter puncta fuerunt: ſane ex ipſa eorum verſione manifeſte patet eos omnes vires revera adhibuiſſe, ut ſenſum aſſequerentur, & fideliter exprimerent, neque latuiſſent totam gentem, ſi ſponte a recepta lectione paululum receſſiſſent, neque cum tanto plauſu ab omnibus fere Judæis excepta fuiſſet, & ad uſus ſacros adhibita illorum verſio. Quin etiamſi interpretes ſategiſſent receptam ſecundum puncta lectionem occultare, id valuiſſent præſtare, quia innumeri Judæi in Ægypto degentes, & regis miniſterio addicti fraudem manifeſtaſſent, & zelo incenſi inſurrexiſſent in temerarios legis ſuæ interpolatores; ipſi etiam apoſtatæ, qui erant plurimi iis inſultaviſſent, & ſublæſtam exprobraſſent fidem.

Unicum videtur ſupereſſe ſubterfugium, in פָּנִים *faciebus* diverſis Legis, docent enim Rabini כִּי שִׁבְעִים פָּנִים לְתוֹרָה *quod ſunt legi ſeptua-*

ginta

ginta facies, ſive diverſi illam exponendi modi; ut ſcribit R. Aben Eſra in fine præfationis Rithmicæ, quæ in Bibliis Baſilienſibus aliiſque ſimilibus Textum ſacrum immediate præcedit; Sed per puncta ita determinari, ut non amplius pateant, unde abſque illis illam deſcribere maluerunt veteres, & adhuc illam deſcribunt Judæi in publicum ſuarum ſynagogarum uſum: verum enim vero ab illis Libenter quærerem an ſeptuaginta illæ Legis facies ex intentione legiſlatoris oriantur & legitimum ejus ſenſum eſſentialiter conſtituant; ſi affirmant, inde colligam tantum abeſſe, ut puncta legi conveniant, & originem divinam habeant quemadmodum literæ; contra vitioſa ſunt, atque peſſimo conſilio poſtquam Prophetæ deſierunt, & ſapientes Judæorum doctores evanuerunt demum excogitata, & conſequenter iis merito caruiſſe 70. interpretes; ſi vero negant, dicam varias illas expoſitiones eſſe Luſus in rebus divinis minime tolerandos, a quibus alieni Græci interpretes debuerunt puncta exoptare, ut unicum legis ſenſum aſſequerentur, nobiſque illum native referrent.

CAP. IX.

Eadem punctationis inconſtantia, ex paraphraſibus Chaldaicis demonſtratur.

QUamvis abunde probaverimus Græcos interpretes noſtra puncta non habuiſſe, neque lectionem hodie receptam ſemper tenuiſſe, obiterque obſervaverimus Chaldæas paraphraſes convenire cum ipſis in plurimis locis, quibus a recepta illa lectione diſcrepant; nihilominus exiſtimamus hæc, & nonnulla alia exempla ſimul referenda, & fortius urgenda, ut reſponſio noſtra agnoſcatur ſolidior; quia vice argumenti etiam fungi poteſt, & ſententiam noſtram non obſcure confirmat.

Gen. 14-5. בְּהָם *in Ham* nomen loci, & Nubienſis Geographus urbis *Hamæ* meminit climat. 4. part. 5. quæ ab illa regione non fuit remota: Targum vero Hieroſolytanum reddit בֵּינֵיהוֹן *inter illos*: legit igitur בֵּנֵיהֶם ut legiſſe obſervavimus Græcos interpretes. S. Hieronymum quæſt. in geneſ. & alios.

Geneſ. 49-11. בְּנִי *fili mi*: Onkelos יִבְנוּן *ædificabunt*, videtur legiſſe

se בָּנוּ *Jod* in *Vau* facile permutato ; sed si puncta habuisset lapsum hunc non potuisset non evitare.

2. Sam. 19-14. יֵט *inclinavit* cor a נָטָה, pro יַטֶּה in hiphil conjugatione præ cæteris activa; Chaldæus Interpres reddit אִתְפְּנֵי *inclinatum* est &c. אִתְ enim passivarum conjugationum inter Chaldæos indicium; legit igitur יֵט in kal. pro יִטֶּה per contractionem, ut Gen. 38-1. in illa autem conjugatione passivam plerumque habet significationem ut Job. 19-29. יִטֶּה *extendetur.*

Deut. 26-5. suppeditat Mercerus, observatque אֹבֵד 1. *periturus* reddi ab Onkeloso בְּעָא לְאוֹבָדָא *quæsivit perdere*, & a Vulgata *prrsequebatur*, & consequenter legisse in activa *conjugatione* אִבֵּד cum in Kal. passionem soleat hoc verbum designare; unde non ad Jacobum, sed ad Labanem referunt; & frustra doctissimus Buxtorfius mavult ad præteritum hiphil formæ Arameæ recurrere, cum hæc formula Ebræis, & Ebraice loquentibus præscribatur.

Psal. 22-17. כָּאֲרִי *sicut Leo* : paraph. Chald. נָכְתִין *discerpentes* Leg. כָּארֵי *fodientes*, sive *fossores* nempe pedum, & manuum mearum, est enim in statu constructo pro כָּארִים : fateor addi etiam, *sicut Leo*, secundum alteram lectionem, quod non rarum, quia ex diversis paraphrasibus hæc conflata videtur.

Psal. 130-4. תִּוָּרֵא *timeberis* : Paraph. Chald. תִתְחַמֵי *videaris* Leg. תֵּירָא pro תֵרָאֶה a רָאָה, & mutaverunt Vau in Jod quod putarunt pro chirek longo dumtaxat adhiberi.

Jes. 56-11. רֹעִים Pastores Chald. Paraphr. מַבְאִשִׁין *male facientes*, Leg. רָעִים *malefici*; sic 70. πονηροὶ, quorum vestigiis insistunt Syri, & Arabes.

Hos. 11-12. עִם־אֵל *cum Deo* : Paraph. Chald. עַמָּא דֶאֱלָהָא *populus Dei* Leg. עַם־אֵל, quod mirum videtur R. Davidi Kimchi qui habebat puncta; at sine illis, tam facile erat legere עִם, quam עַם.

Zachar. 14-5. נַסְתֶּם *fugietis* : Paraph. Chal. יִסְתַּתִים *obturabitur.* Legit נִסְתַּם a סָתַם, & sic etiam legerunt interpretes Græci; R. D. Kimchi etiam observat in quibusdam exemplaribus correctis sic a quibusdam repertum, quos R. Aben Esra teste sequuntur Orientales. Unicum proferam locum, qui meretur illustrari, & non tantum vocalia puncta probat esse nova, sed dages etiam recentem habere originem; quare extra ordinem collocatur.

2. Reg. 23-7. commemorantur mulieres texentes ad Luci cultum

בָּתִּים

בָּתִּים *domos*; nempe mos fuit idololatrarum non tantum Deorum suorum cudere imagines, sed templorum etiam, ut præsentia cum Diis haberent, licet ab illis essent remotissimi; hinc Demetrius ille ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος *faciens argentea Templa Dianæ* Act. 19-24. sive in plano repræsentarentur secundum nummi speciem a Beza ad h. l. exhibitam; sive ædis formam accuratius undique exhiberent: Jonathan vero in sua paraphrasi exponit מְכוּלִין *Mensuras*; unde Judas Patriarcha Gen. 38-26. in paraphr. Hierosolym. ait: בְּמְכִילָא דְאֱנָשׁ מְכִיל בָּהּ מִתְכִיל לֵיהּ בֵּין מְכִילָא טָבָא בֵּין מְכִילָא בִישָׁא *Mensura, qua homo metitur, ipsi metitur* (divina providentia) *sive bona sit mensura, sive mala*: propterea est מִדָּה מְטוּפָרה *Mensura rasa*, & æqua modio; est מִדָּה גְּדוּשָׁה *Glomerata*, & *cumulata*; & מִדָּה כְּבוּשָׁה pressa mensura, quibus in trito Judæorum sermone usitatis illustratur hoc Christi dictum: *date, & dabitur vobis, mensuram bonam, pressam, agitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum* Luc. 6-38. verum quæ convenientia domos inter & mensuras? ingeniosa hunc nodum responsione solvit ut solet D. Le Moyne in eruditissimis ad Polycarpi Epistolam notis; dicit enim בָּתִּים non a בַּיִת *Domus* ducere originem, sed a בַּת *Batho Mensura* ex S. Scriptura nota; ego autem inde colligo puncta tunc nondum extitisse, quia בַּתִּים *Mensuræ* per Patach solent punctari; בָּתִּים *Domus* habent *Camets* sub prima consonante, & *Dages* in secunda ad compensandam ꝫ *Jod* absentiam, sic vocabulum illud non punctatum fuit ut nunc; Longius adhuc ab hodierna lectione recesserunt Græci Interpretes, etiamsi communis sententia velit ipsos Ebræum vocabulum retinuisse, quia ejus significationem ignorabant, habent enim χεττιεὶμ; sic primam vocalem mutaverunt in secundam, & *Beth* in χι: si tamen licet conjecturas meas promere, dicam mihi videri verisimile, quod scripserunt χιτῶνας; sane Complutensis editio exhibet στολάς affinis significationis, & hoc nomen retinuit Theodoretus, quia vidit prius in Ebræi similitudinem a scriba, qui Legere illud non potuit, deformatum; præterea constat Stolas, Tunicasque *Textricum* sive אֹרְגוֹת esse opera, neque texendo Domus construi; nisi Domus existimemus vestes in quibus corpus degit, & commode inhabitat, & revera vestis nomine Ebræi solent designare quidquid rem aliquam ambit, atque continet, sic *velum* illud quo faciem suam Tegit Moses Exod. 34-33 & 35. in Paraphrasi Chaldaica nuncupatur בֵּית־אַפֵּי *domus faciei*: *Chirotheca*

בֵּית יָד *Domus manus*; & בֵּית אֶצְבָּעִים *Manus Digitorum*, & *Calceus* בֵּית־הָרַגְלַיִם *Domus pedum*; ſimiliter indumentum quodvis vere eſt בֵּית־הַגּוּפָה *Domus Corporis*, unde ipſum Corpus גּוּפָה vocatur, quia totum veſte ſua induitur: attamen ut ad propriam Domus conſtitutionem propius accedamus, concedimus inſuper his Domibus *Tentoria* poſſe intelligi, quæ revera a mulieribus Veneris cultui devotis, tam in ejus honorem quam in proprium uſum, quando hoſpites quibus exponebantur, funiculos eas diſcriminantes diſrumpebant, & in Tentoria illas abripiebant, ut iis potirentur, nota ex Herodoto hiſtoria, indeque סֻכּוֹת בְּנוֹת Babyloniorum turpitudo 2. Reg. 17-30. quæ videtur ſignificare Tabernacula illa venerea; nam *Succoth* Tabernacula ſunt, & in *Benoth* ipſum Veneris nomen Latere exiſtimatur quia ת ſive *Th* Judæi pronuntiant ut S. Blæſum: ſic hæ duæ voces *Tabernacula Benos* erunt Tabernacula Veneris, quæ etiam Benos in quibuſdam nummis expreſſe dicitur, videatur in hanc rem Seldenus de Diis Syris ſyntag. 2. cap. 7.

CAP. X.

Eadem illa punctorum inconſtantia ex verſione Latina Demonſtratur.

Recentiſſima eſt Latina verſio a S. Hieronymo circa initium quarti ſæculi ex Ebræo facta vel reformata, nihilominus varia vocabula legiſſe aliter quam nunc legimus, conſtat inter omnes, idque variis exemplis cum Græca 70. interpretum verſione communibus jam probavimus; ſed nonnulla argumenta expedit inſuper addere e multis quæ ſeſe certatim offerunt.

Gen. 3-8. לְרוּחַ S. Hieron. in ſuis traditionibus in Geneſ. *la Ruah.*

Gen. 3-20. חַוָּה Vulg. *Heva.*

4-15. לָכֵן *propterea* Vulg. *nequaquam* Leg. לֹא כֵן pro לָכֵן.

-16. נוֹד *Nod* Vulg. *profugus* Legit. נָד.

4-20. multa referuntur nomina, ſed diverſimode fere omnia, nam הֶבֶל Vulg. *Abel.* חֲנוֹךְ Vulg. *Henoch* צִלָּה V. *Sella.* נַעֲמָה V. *Næma.* לֶמֶךְ V. *Lamech.* Græci Vulgatæ præiverunt.

Cap. 5.

Cap. 5. etiam קֵינָן V. *Cainam.* יֶרֶד V. *Jared.* לֶמֶךְ V. *Lamech.* מְתוּשֶׁלַח V. *Methusala.* נֹחַ V. *Noe.*

8-17. שִׁרְצוּ פְּרוּ וּרְבוּ *repunt, crescunt, & multiplicantur*: Vulg. *ingredimini, crescite, & multiplicamini* Leg. שִׁרְצוּ פְּרוּ וּרְבוּ imper. kal; nam in eadem conjugatione sunt, & non possunt supponi esse in piel; quia ultimum haberet in ea רוֹבְבוּ; præjuerant Græci.

14-3. צֹעַר *Tsoar* Vulg. *Segor.*

--8. סְדוֹם. Vulg. *Sodom.*

26-20. Vocavit puteum עֵשֶׂק *jurgium*; Vulg. *Calumniam* Legit. עֹשֶׁק cum puncto dextro, quod visum fuisset sinistrum si mos illud apponendi fuisset.

26-22. רְחֹבוֹת *Rehoboth* S. Hieron. *Roboth.*

--26. אֲחֻזַּת *Achuzath* S. Hieron. *Ochozath.*

-- 33. שִׁבְעָה *juramentum*, Vulg. mutat in *Satietatem* quia Legit. שָׂבְעָה: hinc patet puncta illa diacritica nondum fuisse apposita.

31-48. גַּלְעֵד Vulg. Legit. גִּלְעָד. nam habet *Galaad.*

34-21. שְׁלֵמִים *pacifici* S. Hieronymus quæst in Gen. Leg. שְׁלָמִים *Selamim.*

39-26. Ana invenit יֵמִים: S. Hieronymus in quæst. in Genes. sive tradit. Ebr. Legit *Jamim*, additque: *alii putant Jamim Maria appellata, iisdem enim Literis scribuntur Maria* &c. dixisset saltem distingui punctis si puncta novisset.

38-5. כְּזִיב *Chezib*: S. Hieronymus ibidem Leg. *Chazbi.*

-82. רֵעֵהוּ *Socius, & amicus ejus*; Vulg. *Opilio ejus* Leg. רֹעֵהוּ; S. Hieronymus autem ibid. pro pastore amicus legitur; sed verbum ambiguum est, quia iisdem Literis utrumque *nomen scribitur, verum amicus* רֵעֶה *re* (in prima syllaba) *Pastor* רעה *ro legitur*; nominasset diversa puncta si aliqua novisset.

41-45. Joseph nuncupatur צָפְנַת פַּעְנֵחַ *Sophnat Paneah* S. Hier. ibid. Leg. *Zaphanath Phaanecha*, neque agnoscit Patach furtivum; uxor autem ejus אָסְנַת *Asnath* sed secundum Hieronymum, & Vulgatam *Aseneth.*

Si cæteros percurreremus Libros ingentem variarum Lectionum copiam similiter nobis suppeditarent sed præstat quædam dumtaxat observare loca in quibus ratiocinatur, & expresse declarat punctatos codices non agnovisse; sic Gen. 14-18. dicitur Melchisedek rex *Salem*, Epistola autem 126 ad Evagrium scribit S. Hieronymus: *nec re-*

refert utrum Salem, an Salim nominetur, cum vocalibus in medio Literis perraro utantur Ebræi, & pro voluntate Lectorum, atque varietate regionum eadem verba diversis sonis, atque accentibus proferantur: hæc ab eruditissimis gentis illius didicimus. vult autem sic offendere *Salim* juxta quam baptisabat Joannes, fuisse ipsam Melchisedeci Salem; observandum igitur puncta non habuisse, cum Salem, & Salim iisdem punctis non possint describi, neque puncta etiam ab ipso dici vocales Literas, cum ex quatuordecim diversis punctorum figuris unica in medio Literarum scribatur, & cæteræ supra, aut infra; præterea non rarius mediis Literis adscribantur, quam primis, & postremis; itaque *Literis vocalibus* intelligit אהוי, & cæteras alias, quæ non solent adeo frequenter in medio vocum notari.

Gen. 26-12. Legitur Isaac sevisse agros, & collegisse מֵאָה שְׁעָרִים *centum mensuras*, sive centuplum, ut vulgata; at 70. Legendo שְׂעֹרִים κριθὴν *hordeum*; unde Hieronymus *in tradit. Ebr. ad h. l. Melius puto quod est in Ebræo, & Aquila quoque transtulit: & invenit in anno illo centuplum æstimatum, id est* ἑκατὸν εἰκασμένον; *licet enim iisdem Literis. & æstimatio scribatur, & hordeum; tamen æstimationes* שְׁעָרִים *searim; hordea vero* שערים *seorim.* Ubi declatat inter utraque illa duo vocabula nullum extare in scriptura discrimen, & consequenter nondum habuisse puncta, quæ illa diversissima constituunt, & *S* etiam variant: in primo enim asperior est, ut *sc.* in altero tenuior, ut *S* simplex.

Gen. 41-29. septem anni שָׂבָע abundantiæ, & satietatis Pharaonis somnio promittuntur; unde ibid. S. Hieron. *miror quomodo verbum Ebraicum* שבע *saba, quod nos supra abundantiam, sive satietatem in puteo, quem foderunt extremum servi Isaac, interpretati sumus; nunc Septuaginta rectissime transferentes, ibi juramentum interpretati sunt; cum & juramentum, & septem, & satietas, & abundantia, prout locus, & ordo flagitaverit, possit intelligi* &c. ex quibus patet ipsum ne minimum quidem observasse discrimen inter שֶׁבַע *septem*; שְׁבֻעַ *juramentum*, & שָׂבָע *satietatem*, quæ punctis suis diversissima sunt, & idcirco ea non cognovisse debet unicuique constare: quamobrem mirari subit Hieronymum mirantem quod 70. Gen. 26-33. interpretati sunt *juramentum*, quando quidem agnoscit huic verbo hanc significationem competere, & ibi satietatis nulla fiat mentio, contra vero expresse referatur fœdus juramento confirmatum, quod evidens impo-

impositi nominis ratio est; idem Pater in Jes. 4-1. dicit שבע ob diversas illas significationes ambiguum esse, & consequenter ignoravit puncta, quæ ad unam illud determinant.

Jes. 9-8. דָּבָר *verbum immisit Dominus in Jacob &c. apud* Ebræos דבר quod per tres Literas scribitur consonantes, *pro locorum qualitate; si legatur Dabar verbum significat; si deber mortem, & pestilentiam; quam ob causam plerique sermonis ambiguitate decepti, non verbum dicunt missum esse, sed mortem*; scribit in h. l. Hieronymus & revera mortem interpretati sunt Græci, sive pestem; at agnoscit vocabulum illud non esse ambiguum cum appositas habet vocales, igitur tunc non extiterunt puncta, quæ vocalium vices agunt; eamdem repetit de ambignitate דבר observationem in Jerem. 9-22. ubi דַּבֵּר *loquere*, & hanc significationem duabus præcedentibus addit, ut augeat ambiguitatem; observatque 70. & Theodotionem junxisse hoc verbum præterito capitulo, ut dicerent: *disperdent parvulos de foris, juvenes de plateis Morte*; sic imperativum verbi in nomen transmutarunt; melius Aquila, & Symmachus, qui reddiderunt λάλησον *loquere*, neque aliter verti potest, cum punctis quæ habet; non itaque illa habebat; cum aliter verterunt 70. & Theodotio, atque illud ambiguum judicavit S. Hieronymus, ut tertio adhuc fecit in Habac. 3-5. ubi דֶּבֶר mors, sive pestis intelligenda; attamen 70. λόγον *verbum* habent, ob difficilem lectionem ante puncta: sic Hos. 13-14.

Jes. 56-11. רֹעִים *Pastores*; 70. πονηροὶ Legerunt רָעִים; unde S. Hieronymus: *verbum enim* רעים *quod quatuor Literis scribitur si legatur* רֹעִים *Pastores, si* רָעִים *pessimos sonat*: & in Jerem. 3-1. ubi רֵעִים *amatores*, seu *Socii* 70. ἐν ποιμέσι *in Pastoribus*, quia Leg. רֹעִים. idem Pater scribit: *verbum enim* רעים *quod quatuor Literis scribitur, & amatores, & Pastores significat: si legamus reim, amatores significat; si roim Pastores*; sic indifferens videbat ad utramque, immo tertiam significationem existimabat, & consequenter punctis carebat, quibus ad alterutram manifeste determinatur.

Cap. 26. ejusdem Prophetæ plurima ejusmodi & similes S. Hieronymi observationes exhibet; nempe vers. 11. רְפָאִים *mortui*; 70. ἰατροὶ *medici*, Legerunt רֹפְאִים: alii, ut Chaldaica Paraphrasis *gigantes*; has autem diversas lectiones inter se componere satagit Hieronymus, quasi ex æquo ad vocabulum Prophetæ pertinerent; una au-

tem dumtaxat pertinet, cum puncta adſcribuntur, quæ pronunciationem diverſam diverſimode appoſita conſtituunt; ſic verſu eod. זֵכֶר *memoriam* vertit vulgata, & Targum; 70. vero *ἄρσεν maſculum*, Leg. זָכָר; propterea Hieronymus: *nec terrere nos debet, quare 70. maſculum, & cæteri interpretes memoriam tranſtulerunt, cum iiſdem tribus Literis זכר utrumque ſcribatur apud Ebræos*; quod verum eſt cum abſunt puncta; ſed utrumque diſcriminat ſenſum punctatio, & diverſa facit nomina, quamobrem nondum fuiſſe tempore ejus certo certius eſt; addit. *hac verbi ambiguitate deceptum arbitrantur Saulem quando pugnavit contra Amalech, & interfecit omnem maſculinum eorum, Deo enim præcipiente, ut deleret omnem memoriam Amalech ſub cælo; ille pro memoria non tam errore, quam ſeductus cupidine maſculos interpretatus eſt* &c. fabulam paulo aliter narrant Thalmudiſtæ, dicunt enim Joabum redeunten ex expeditione in Idumæam qua necidederat omnes Idumæos, ut 1. Reg. 11-15. refertur, fuiſſe reprehenſum a Davide, quod non etiam occidiſſet mulieres ſecundum expreſſum Dei mandatum Deut. 25-19. *delebis* אֶת־זֵכֶר *memoriam Amalechi* &c. quod exigebat omnimodum exterminium, ſecundum has gloſſas Rabinorum מאיש ועד אשה מעולל ועד יונק משור ועד שה שלא יאמר זה השור היה מהשול עמלק *a viro ad mulierem, ab adoleſcente ad infantem ubera materna ſugentem a bove ad agnum ne quis diceret hic bos &c. fuit ex ſpoliis Amalech*, ut videre eſt apud R. Aben Ezram, & R. D. Kimchium: quare iratus in præceptorem, qui docuerat Legere זָכָר maſculum, pro זֵכֶר *memoria*, trucidavit eum Joabus: Licet colligere Rabinos exiſtimaſſe ex ſola magiſtrorum traditione Lectiones penitus pependiſſe, a prima antiquitate neque puncta fuiſſe excogitata, quæ illa determinarunt ad proprios ſenſus; inprimiſque obſervandum Thalmudiſtas ipſos qui hanc, & plurimas alias varias lectiones referunt, ne quidem illas cum punctis, aut aliis vocalibus illas repræſentare, ſed meras adhibere conſonantes, ut plerumque difficile ſit divinare in quibus diſcrimina conſiſtant, & ſola traditione memoriali poſſint dignoſci, quia religio ipſis fuit quicquam Sacro Textui ſuperaddere.

Jeſ. 31-9. אור *ignis*, Chald. *ſplendor* Legit אוֹר; unde S. Hieronymus: *ignis, & lumen iiſdem ſcribuntur Literis* אור: *quod ſi legatur our ignem ſonat; ſi or lucem: hoc ideo dictum eſt, quia pro igne, quem ſo-*

ſolus interpretatus eſt Symmachus, Aquila & Theodotio lumen tranſtulerunt.

Jeſ. 32-2. בְּצָיוֹן *in ſiccitate* 70. ἐν Σιὼν in Sione Leg. בְּצִיּוֹן in h. l. Hieron. *verbum Ebræum de quo ſupra diſputavimus, quod dicitur in ſiti, ſive in ſiccitate, & in invio ſeptuaginta & Theodotio, in Sion, interpretati ſunt pro Saion Legentes Sion, quæ eiſdem Literis ſcribitur:* in præcedenti autem loco quem commemorat cap. 25-5. ſcripſerat: quare illi, pro *inuio*, & in *ſiti*, verterint in *Sion*, error perſpicuus eſt ob ſimilitudinem verbi &c. at ſimile non fuiſſet ſi puncta ut hodie habuiſſet, quæ ſonum, ut ſignificationem æqualiter variant.

Jerem. 87-9. אָנֻשׁ *inſcrutabile*; 70. ἄνθρωπος *homo* Leg. אֱנוֹשׁ S. Hieronymus autem obſervat unum ab altero diſtingui tantum diverſo Legendi modo, & conſequenter puncta tunc non erant, quæ diverſam utriuſque ſcriptionem etiam variant.

Hoſ. 3-1. רֵעַ *ſocius* 70. πονηρὰ *mala* Leg. רַע ad quod Hieronymus: *verbum Ebraicum, vel malum Legitur, vel amicus*; at falſum eſt, unum, alterumve propria puncta habens duas illas ſignificationes habere, itaque ſine punctis legebat; neque ullam eorum habuit notitiam.

Hoſ. 11-10. מִיָּם *a mari*; 70 ὑδάτων *aquarum* leg. מַיִם, & Hieronimus notat poſſe alterutro modo legi illud verbum quod oſtendit puncta, quæ illi hanc, aut illam dant ſignificationem dumtaxat, illum non agnoviſſe.

Hoſ. 13-10. S. Hieronymus ſimiliter ſcribit quod *locuſta, & fumarium iiſdem ſcribuntur Literæ*, & diverſo duntaxat legendi modo unam, aut alteram ſignificationem ipſi tribui; itaque non noverat puncta; dixiſſet enim punctis vocalibus diverſa illa nomina conſtitui, & varias habere ſignificationes.

Lubens prætermitto quod Jeſ. 24-23. לְבָנָה *Luna*; a 70. reddatur *Later* leg. לְבֵנָה *verbi ambiguitate* inquit S. Hieronymus, *decepti; rurſum pro* חַמָּה *id eſt calore per quem intelligitur Sol, poſuerunt murum, qui Ebraice dicitur* חֹמָה: & quod Jeſ. 21-11. *verbum Ebraicum* אֵלַי, *quod omnes interpretati ſunt ad me, ſi volueris legere* אֵלִי *interpretatur Deus meus*; inquit idem Pater commentariis in illum locum; id autem verum eſſe nequit cum puncta adſunt; אֵלַי enim non poteſt ſignificare *ad me*, neque אֵלִי *Deus meus*; S. igitur Hieronymum ignoraſſe puncta hæc perſpicue oſtendunt: ſic quod ſcribit in

in Sophoniam 3-8. *Ebræus qui me instituit in scripturis asserebat* לעד *in præsenti loco magis εἰς ἔτι, id est in futurum debere intelligi, quam in testimonium:* עד *enim quod scribitur per* ע *&* ד, *&* ἔτι, *&* μαρτύριον; *id est futurum, & testimonium*: quod dumtaxat verum est, si vocabulum illud punctis destituatur; nam עֵד *testimonium*, עַד *futurum*, sive *imposterum* immo עַד *præda* inter se his suis punctis multum a se invicem discrepant; quare illa ignoravit Hieronymus cum illa non adhibuerit, ad declarandum discrimen uniuscujusque ab altero; sed existimaverit unum, & idem nomen has diversas significationes habuisse; unde *in futurum* hic exposuit; 70. μαρτύριον, & S. Pagninus secundum hodiernam punctationem *Spolia.* Sic denique epistola 125. Damaso Quæst. 2. de Exod. 13-18. חמשים; *scriptum reperio* (inquit) וחמשים *vahamisim in reliqua parte interpretationes non discordant, omnis pugna de verbo* חמשים *est, quod his literis scribitur* ח *Het.* מ *Mem.* ש *Sin.* י *Jod.* ם *Mem; utrumnam quinque an munitos sonet?* &c. patet enim in eo vocabulo nihil observasse præter hæc quinque elementa nuda, neque puncta ulla in iis agnovisse; vidisset enim eorum opera ingens esse discrimen inter חֲמֻשִׁים *instructos*, & חֲמִשִּׁים *quintos*, vel ut ita loquar *quintatos*; quodque in primis etiam notatione dignum est, legebat Rabino suo sic docente, ut testatur חֲמִשִּׁים; at nunc legimus חֲמֻשִׁים, ut tunc etiam legebat Aquila. Prætermitto inquam plurima ejusmodi testimonia, licet valide probent puncta non agnovisse S. Hieronymum, quia sufficienter id præcedentibus argumentis demonstratum est.

Disquirendum dumtaxat superest, an puncta Judæi habuerint, sed voluerint ea tunc occultare, ita ut eorum notitiam nullam adipisci potuerit S. Hieronymus: Non licet dubitare quin Judæi diu celaverint gentibus sua mysteria, ne contaminarentur; idque durare potuit toto illo tempore, quo regni sui compotes gentium commerciis non indigebant; unde adeo diversa, ineptissimaque de illorum religione lata judicia; verum postquam variis agitati bellis, & a pristina pietate deficiscentes in gentium potestatem delabi cæperunt, paulatim innotuerunt illa mysteria, neque abstrusiora abscondi potuerunt; quia plurimi apostatæ fuerunt, qui illa revelarunt, & nonnumquam etiam maligne, ut cæterorum in ipsos ob illam defectionem Odium ulciscerentur, ipsisque crearent contemptum, atque molestiam; quamobrem ab antiquo more recedentes non amplius

plius religionis suæ arcana occultarunt, sed sponte ea pandendo, explicandoque eorum institutionem propugnaverunt, ne pertinaci silentio eorum majestas prophanis ludibriis prodita videretur. Hinc Sacra lex, & Prophetica Oracula in Chaldaicam Linguam paulo post captivitatem translata fuerunt; hinc obviis ulnis Ptolomæi Philadelphi exceperunt epistolam exposcentem libros Sacros, interpretesque dotibus, ad illos in Linguam Græcam transferendos, necessariis probe instructos; hinc postea Josephus totius gentis historiam, fidem, ritusque Græce exposuit, & divinam fidei, rituumque & historiæ originem contra calumniatores asseruit; Philo etiam ad allegorias, & intimos legis sensus penetrare sategit, eosque in omnium oculos facunde traduxit; tandemque ipsas traditiones expertæ doctorum fidei mandari solitas Thalmudistæ primi descripserunt, & suæ ipsi genti incognita hactenus documenta toti terrarum orbi divulgaverunt, & deinceps posteri eorum divulgare non cessaverunt.

Quamobrem ab omni verisimilitudinis specie alienum videtur quod Judæi habuerint puncta, scripturam suam illustrantia, & nullam illorum notitiam dederint S. Hieronymo, quem erudiendum susceperant, & a quo splendidam accipiebant mercedem; si unum dumtaxat præceptorem habuisset, ille forsan potuisset puncta ab illius oculis substrahere: sed quatuor, aut quinque diversis temporibus habuit, quorum unusquisque potuit ignorare prioris consilium & debuit metuere ne fallax haberetur ipse, si prior sincerus fuisset: Rabanus saltem ille, quem epist. 65. se habuisse scribit nocturnum præceptorem, cum timeret solam lucem, circumseptus tenebris non dubitavit ipsi reserare Synagogæ scrinia; quin unum habuit ex Ebræis, qui crediderat, consequenterque ipso ejusdem fidei jure tenebatur omnia Linguæ Ebrææ adita ipsi reserare, & procul dubio nihil eorum, quæ noverat præstantissimo huic sodali celavit, de eo videatur epist. 4. ad Rusticum.

Qui tamen puncta Hieronymo celata fuisse volunt adhuc subterfugium quærunt, dicuntque ipsos illius præceptores illa ignorasse; verum quis hoc potest credere de Rabinis inter suos celeberrimis? quibusnam fidei mysteria fuere credita, si iis, quibus scientiæ clavis concedebatur, puncta fuere denegata? quis eorum compos esse potuit, si Rabanus tanto pretio & labore emptus; si Tiberiensis Doctor apud *Ebræos admirationi* habitus (ut legimus

mus in præfatione quæ inter epistolas numerum 108. occupat) si Lydæus Rabi qui apud Ebræos primus haberi putabatur (ut loquitur idem Hieronymus præfatione in Jobum inter epist. 113.) illa ignorarunt?

Addam unumquemque Judæum propria manu, & ad usum suum debuisse Librum legis describere, ut ejus lectioni, & studio sedulo incumberet; cum autem puncta lectionem & sensum adjuvent, in gratiam imperitorum adhibita fuerunt; unde hodie etiam volumina a doctis in Synagogis legenda iis carent, & sic ad privatos usus excogitata perhibentur; jam vero privati, & imperiti præ doctis & ad munia ecclesiastica provectis, sunt innumeri: illi igitur punctati codices in omnium manibus quotidie versabantur, & alii a paucis doctissimis Rabinis dumtaxat præferri debuissent: itaque nullus Rabinus potuit illa puncta ignorare, neque etiam imperitus, & consequenter nulla tunc fuerunt, si imperiti, qui iis præcipue indigebant, in suis codicibus non habuerunt, & si illa ignorarunt Rabini, quorum erat privatorum codices corrigere, & probare antequam in usum admitterentur: quamvis concederemus unicum codicem punctis instructum fuisse in unaquaque Synagoga asservatum, id adhuc sufficeret, ut omnes ob eximiam ejus utilitatem, & ad dijudicandas meliores lectiones necessitatem, saltem adesse scirent, quamobrem præceptores Hieronymi scivissent, scivisset ipse Hieronymus, qui tanto studio agnoscendi Linguam Sanctam, & Libros Sacros intelligendi, ut illa fideliter interpretaretur, flagrabat, & quovis pretio, aut autoritate exscriptum obtinuisset: scivissent pariter plurimi Judæi a primis Christi ad ista usque temporibus qui fidem Christianam amplexi sunt, & codices suos in ecclesiam secum transtulerunt, & eo sedulius melioris notæ codices perquisiverunt, quod a multis accusabantur Judæi falsitatis, quasi oracula infidelitatem eorum arguentia corrupissent; quapropter certissimum est Christianos omnem curam adhibuisse, ut præstantissima in omni genere exemplaria Librorum sacrorum obtinerent, etsi paucissimi illos intelligerent; neque id fuit difficile inter frequentes Judæorum dispersiones; quot Synagogæ enim expoliatæ? quot volumina omnigena ablata? & quis credat adeo pauca fuisse punctata, ut ne unus quidem Christianus de aliquo ullam audiverit mentionem; suffecisset enim unum Christianum de tali exemplari certiorem reddi, ut

a Cæ-

a cæteris disquireretur; quam facile autem fuisset illud obtinere auctoritate Constantini, Theodosii, & cæterorum Imperatorum, qui zelo Dei ardebant? Concludamus igitur nullum codicem punctatum extitisse, ante S. Hieronymum, cum ipse, neque Rabini ejus doctores, neque plurimi Judæi ex omni ordine ad fidem conversi, quique per tria integra secula potuerunt codices sacros a militibus, qui Judæam & Judæos, Synagogas etiam in aliis regionibus sitas spoliaverant, redimere; neque ullus coævorum Patrum, aut antiquiorum Linguæ Ebraicæ licet peritorum, ut Origines, Justinus Martyr & alii, quos densa tot annorum caligo impedit ne agnoscamus, nullus, inquam, ex illis omnibus punctatorum codicum meminerit, quamvis plurimi eorum inter diversas lectiones dubii, & ancipites omnia subsidia ad genuinas agnoscendas idonea sedulo perquisiverint.

CAP. XI.

Solvitur Objectio contra punctorum novitatem.

MAxima pars rerum diversas videtur habere facies, & oppugnatores urbium in suum commodum sæpe vertunt munimenta, quæ propugnatores sibi utilia putaverant: quid simile nobis accidit, illam enim ipsam punctationis diversitatem, quam observavimus inter hodiernos codices nostros, & versiones Latinas, Græcasque, & Chaldaicas ac ipsum Ebraicum Samaritanorum pentateuchum, qua intendimus demonstrare puncta nostra revera non fuisse olim inter Ebræos in usu, cum adeo diversa fuerit Criticorum lectio ab hodierna; illam inquam lectionis, sive punctationis diversitatem in causæ suæ patrocinium possunt adhibere antiquitatis punctorum patroni, atque autumare, puncta hodierna non esse recens ignotorum Rabinorum inventum, quandoquidem est præcipuum divinæ Linguæ, & scripturæ ipsi convenientis complementum, absque quo inanis, muta, & penitus mortua jaceret: contumeliosum autem esset Deo omis perfectionis auctori talem linguam absque debito ipsius complemento homini innocenti dedisse, & homuncionibus illustrem illius complementi gloriam reservavisse; sed quod inprimis

primis hanc reservationem reddit improbabilem, & ab omni ratione alienam, est dissensus ille inter antiquos interpretes, & recentes punctatos codices; si enim ab aliquot demum sæculis puncta excogitata revera fuissent, evidens est quod saltem debuissent antiquissimis, receptissimisque Lectionibus accommodari, ut tanto suffragio munita suspectam in rebus ad religionem spectantibus novitatem valerent superare, stupidissimique fuissent ingeniosissimæ punctationis auctores, si contra oppositum antiquitatis torrentem feliciter progredi sperassent; & propterea omnes æqui rerum æstimatores judicare debent, quod puncta antecesserunt antiquas versiones, quibus non fuerunt accommodata, & quod diversitates lectionum processerunt ex interpretibus, qui nimia confidentia neglexerunt ad puncta attendere.

Verum enim vero gratis, & absque ullo fundamento punctorum inventores exonerantur imprudentia, & stolidæ confidentiæ nota, ut iis onerentur antiqui interpretes; qui (saltem plurimi eorum) electi a sanctiori totius gentis concilio, ut divinæ legis decus manifestarent, in gratiam potentissimi regis a quo pendebant, & innumerarum Synagogarum quibus lingua Græca vernacula esse cœperat, merentur ignotis hominibus anteponi; per me tamen licet, ut pares habeantur, & utrique ab omni temeritatis, aut imprudentiæ suspicione absoluantur: nempe utrique quod suum erat pro viribus, & fideliter exsequi sategerunt; veteres interpretes non neglexerunt puncta, quæ nondum existebant; neque punctorum inventores neglexerunt illos interpretes, quia puncta ad suum libitum non disposuerunt, sed notulas dumtaxat excogitantes eas secundum lectiones in eorum scholis usitatas, distincte expresserunt; quamobrem nullam habuerunt rationem aliarum Lectionum, quas Chaldæi, & Græci sequuti fuerant, sed prætulerunt receptas, ut pote quæ prævaluerant; id autem consonum est eorum statutis; quamvis enim plurimi faciant interpretes Chaldæos, Græcosque, divinitus tamen Prophetarum instar fuisse inspiratos non credunt; sed credunt præfectos suos quadam divini favoris aspiratione ita dirigi, ut non cessent legem interpretari secundum traditionem Mosi in monte Sinai datam, unde mandatum hoc Deut. 17.11. *ne recedito ab ea sententia, quam indicaverint tibi, dextrorsum, aut sinistrorsum* &c. erga unum quemque eorum creditur semper obtinere; discrimen tantum est inter has Rabinorum constitutiones, quod eæ, quæ stante Concilio supremo Hierosoly-

mæ factæ fuerunt, totam gentem obligent, & ad illas observandas unusquisque teneatur; sed post dissipatum illud συνέδριον quia judices unius dumtaxat regionis, aut regni potuerunt Congregari, propterea decreta illorum ad Judæos illius regionis solos pertinent, neque illi qui in alias regiones dispersi fuerunt, illa observare debent, nisi a suis præfectis post accuratum examen fuerint approbata; videatur in hoc argumentum excurrens R. Moses Ben Maimon præf. in Jad Chaz. & R. Imanuel Aboab in sua Nomologia parte 2. cap. 14. cujus hæc sunt verba: *El mismo senor hordeno que se diesse pœna de muerte alque no obedecisse a los legitimos Juezes que succedissen despues de Moseh, los quales aunque no fuessen tan perfectos y excellentes varones, como el; con todo mandava el senor que fuessen enteramente obedecidos, y que fuesse recebida su dottrina sin opposision aicuna, pues en effetto repræsentuvan el supremo magistrado di Moseh, & tenian su misma forma, & per esso dizen nuestros sabios de f. m. Isthah en su generancio, como Samuel en el suyo* &c. quæ Latine sic sonant: idem ille Deus constituit, ut morte afficerentur ii, qui legitimis judicibus debitum non præbebant obsequium; quoniam succedebant Mosi, etiamsi eum variis perfectionibus non æquarent, & ad virilem ejus majestatem non ascenderent: nihilominus voluit, ut perfectum obsequium iis præstaretur, & doctrina eorum absque ulla contradictione susciperetur; quandoquidem supremum Mosis magistratum repræsentant, & idem jus eodemque modo exercent: unde solent dicere sapientes nostri fel. mem. Jepthè in sua generatione, ut Samuel in sua &c. quemadmodum igitur decretis Mosis, & Samuelis obsequi tenebantur Israelitæ quia supremam auctoritatem divinitus exercebant, sic postea etiamsi dispares illis essent supremi judices, eo ipso tamen quod supremi erant judices absolutum ipsis obsequium fuit debitum quapropter a lectionibus Textus Sacri, quas judices illi probaverant, & suscipiendas esse judicaverant, non potuerunt discedere punctatores, & inferiorem interpretum auctoritatem huic supremæ judicum anteferre non debuerunt; & multis exemplis etiam constare potest, horum lectiones merito prælatas iis quæ placuerant interpretibus; quia hi tot melioris notæ exemplaria non consuluerant, nec tanto cum delectu, otio, judicioque egerant: ingenue enim agnoscendum est, nihil videri atrocius Judæis, quam vel minimum errorem in Textum sacrum admittere, propterea-

reaque ob minimos apices diu deliberare consueverunt, neque etiam Literam inversam, aut eminentiorem audent in ordinem reducere: oportuit tamen longe cæteris cautiores esse, qui universo Textui Sacro immutabiles præscribebant leges, quæ a tota gente debuerunt pensitari, atque singulorum obtinere suffragium, antequam promulgarentur; neque dubito quin ad ingens momentosumque hoc opus, tota geens certatim concurrerit, & omnes doctores plurimorum annorum observationes contulerint, atque diversæ authenticorum codicum Lectiones fuerint accurate perpensæ, quo vetus Testamentum omnibus muniretur præsidiis contra corruptiones quæ a Scholarum Ebræarum defectu, & Judæorum dispersione, atque Linguæ Sanctæ neglectu imminere videbantur: attamen cum occurrerunt variæ Lectiones quas non valuerunt conciliare, non mirum est quod non attenderint ad eas, quas interpretes Chaldæi, & Græci sequuti sunt, quia in illorum codicibus forsan non occurrerunt, aut malas judicaverunt; unde lectio recepta solet revera melior perhiberi.

Altera objectionis pars, quæ arguit intolerandi defectus linguam cæterarum originem, & omnibus numeris absolutum exemplar, gravior esset, postularetque solutionem plurimis stipatam observationibus; sed jam demonstravimus Alphabethum Ebræorum continere vocales & consonantes, sicut cæterarum gentium Alphabetha, quæ ab illo duxerunt originem; quare suffecit olim, & puncta minime necessaria erant iis, qui linguam perfecte callebant, & genuinarum vocalium opera, quævis vocabula expedite legebant: etsi enim singulæ syllabæ suam vocalem non semper habeant, genium linguæ, & & assiduus usus hunc defectum facile suppleverunt: & quidem genium, nam concursum plurium vocalium longarum ægre fert, duas solet dumtaxat admittere, & cum vocabulum crescit a fine, initium breves pro longis eligit; præterea regimina suas terminationes notissimas habent; verba similiter sua tempora, & conjugationes varia vocalium permutatione solent discriminare, & multiplicibus affixis etiam cum multifaria mutatione obnoxia sunt; verum illæ mutationes, permutationesque, atque illa regimina constantes leges habent, quæ faciunt ut scripta Rabinica punctis carentia expedite legantur; imo sunt quædam Literæ, quæ certos sonos aliis præferunt, & Gutturales idcirco solent scevata composita libenter admittere; plures adderemus observationes si nostro proposito expediret; sed forsan

pau-

paucioribus veteres indigebant, & plurimas etiam existimamus mutationes accurata observatione dignas, quæ ab arbitrio scribentium omnino pendebant, & Liberrimæ erant.

Patet igitur neque varias antiquorum interpretum lectiones antiquitati punctorum patrocinari, neque divini Linguæ Sanctæ auctoris gloriæ novam punctorum excogitationem officere, cum puncta hodie lectionem adjuvent, sed inutilia fuissent eo tempore quo lingua florebat, atque constat punctatores minime consuluisse veterum interpretum exempla, ut normam, sed totos ab usu recepto, & a judicio florentium suarum Academiarum penitus pependisse, quia usui recepto, & constanti traditioni congruebat.

CAP. XII.

De punctorum utilitate.

HOmines, ædificia, arbores, & quæcunque peracto cursu suo in occasum vergunt opus habent tibicinibus, & sustentaculis, ut aliquandiu imminentem ruinam remorentur, eadem ratio linguarum; quemadmodum sua curricula habent, debent similiter adhibere sustentacula quædam ut iis decus suum a proximo casu vindicent: tales sunt regulæ circa constructiones, pronunciationem &c. quæ dum Linguæ vigent negligi possunt; sed necessario adhibentur cum incipiunt declinare, alioquin in barbariem illico degenerarent, neque ulla pristini decoris memoria conservaretur: Judæi observationibus ejusmodi Linguam sanctam sibi conservare sategerunt, sed cum non sufficerent, illis puncta, quæ vocalium vices agerent insuper addiderunt; quod prima fronte absurdum videtur; quia vocales genuinas habentes, non opus habebant novas excogitare: verum in mentem revocanda est singularis Judæorum erga textum sacrum religio, ita ut nefas ducant ipsi quicquam addere, cum autem observaverimus multas vocales, quæ aberant necessario supplendas esse, merito timuerunt ne vocales illæ supplendæ in oblivionem caderent; quamobrem quoniam textui cum aliis inscribere eas non audebant, puncta instituerunt, quæ illarum vices gererent, & genuinam legendi rationem immutabiliter conservarent: hoc primum punctorum officium, & prima utilitas.

Præ-

Præterea maxima genuinarum vocalium pars nativum & proprium ſonum mutaverat, novumque ac barbarum in dies induebat ob frequens commercium cum alienigenis, & variarum Linguarum populis, qui Judæam occupaverant, aut Judæos in remotiſſimas regiones captivos abduxerant: videmus Græcos in ipſa Græcia florentes, & Romanos in ſuo Latio triumphantes multiplices in Linguis ſuis admiſiſſe mutationes, & pauciſſimis vocalibus conſuetum conſervaſſe ſonum, ſive ob ipſam illorum inconſtantiam, ſive ob frequens cum vicinis commercium, ſive ob partam uſu, & imperio majorem elegantiam; ſi ob has ſimileſque rationes rerum Domini ſolent ſuas Linguas, ſuamque pronunciationem mutare, & modo α in ε & in η, aut in ω, & in υ; atque e contra ε, η in a aliaſque vocales transfigurarunt Græci; Latini etiam E, in I, in O, & in V. atque cæteras ſimiliter in diverſiſſimas ut ſupra probavimus vocales, nemo poteſt iu dubium revocare, quin Judæi Babyloniis primo mancipati, poſtea a Græcis ſubjugati, & tandem a Romanis e Patria terra ejecti, & in varias gentes diſperſi genuinam primævæ Linguæ amiſerint pronciatiationem, & ſuaviſſimos ſuarum vocalium ſonos, in aſperos atque inconditos paulatim permutaverint, ſimulatque peregrinis coacti ſunt uti Linguis: id autem licet inevitabile non potuit non moleſtiſſimum eſſe Judæis aviti decoris æquis æſtimatoribus; quamobrem non dubitandum eſt eos induſtriam, & ſtudium ſimul contuliſſe, ut fugientem ex uſu priſtinæ Linguæ gloriam in Libris ſuis ſaltem conſervarent, & ſuperſtites ejus reliquias a majoribus, ſive voce, ſive ſcriptis acceptas ad poſteros tranſmitterent: idcirco puncta non tantum diſtinctos quinque vocalium ſonos, ſed medios quoſdam inſuper exhibentia judicarunt idonea, ad denotandam vocabulorum Ebræorum pronunciationem, quæ ob defectum plurimarum vocalium, & ob alteratum præſentium ſonum dubia ſæpe, & ſemper diverſa ab antiqua atque legitima videbatur; hinc tanta diverſitas inter puncta iiſdem vocalibus adſcripta, quia vocales non eamdem ſervant vim cum omnibus conſonantibus, ut *O* verbi gratia ante M ſolet ſonare ut U. &c. Hoc alterum punctorum officium, & ingenue agnoſcendum eſt plurima vocabula ab ipſis mutuari ut legi poſſint, atque pronunciari ſecundum proprium ſonum quot verbi gratia Belgæ adhibent vocales Gallis non neceſſarias ad cæruleum colorem *Bleu* exprimendum ſcribunt enim Blaeuw.

Pun-

Puncta hodierna tamen passim cum antiquis vocalibus concurrere cernuntur, & tunc possent supervacua videri, nisi tertium officium ipsis fuisset concessum; nempe Syllabarum quantitatem florente lingua sponte patentem, & nunc ignotam representant; sic *Camets*, & *patach* utiliter sub *Aleph*, *tsere* & *segol* sub *He*; *Chirec* sub *Jod*; *Cholem* super *Vau*, & in medio ejus sinu *scurec* collocantur, ut longas Syllabas componant.

Quarto non contemnendum puncta præstant officium vocalibus, etiam cum penitus eas quiescentes efficiunt, & earum vices usurpare perhibentur; quoniam evidenter declarant literas illas quiescentes revera esse vocales, cum in earum loco vocalia puncta resonent; unde Licet eis quintum adhuc concedere officium, quo confirmant vocalium sonos, & duplici modo illos certos, & constantes reddunt.

Occurrit tamen dubium, quod impedit ne unanimis ille punctorum cum vocalibus consensus admittatur, & officium utrisque commune existimetur: nempe vocales a consonantibus sunt diversissimæ, neque in eas possunt transmutari; at quas volumus esse genuinas Ebræorum vocales passim in consonantes transeunt, & consonantium instar vocales admittunt, & punctorum beneficio dumtaxat sonant: exemplum *Chet* quod τῷ ἦτα diximus respondere, & revera sæpius per η a 70. reddi probavimus; sed alias per χ redditur sic Gen. 13-18. urbs חֶבְרוֹן redditur a 70. χεβρον. Gen. 23-20. Chananæus חֵתִּי, χέτ. 1 Reg. 19-8. mons חֹרֵב 70. χορήβ. Ezech. 27-18. חֶלְבּוֹן 70. χελβών. & 23. חָרָן 70. χαρρά: bene est quod plurima alia vocabula per *E* simplex exprimantur, non minus enim repugnat per vocalem exprimi consonantem, quam vocalem per consonantem addo χ adhiberi dumtaxat ad significandum vocalem illam protrahi ad hujus consonantis aspiratæ sonum, unde plurima nomina χ adhibent, aut omittunt, ut indifferenter habere se ad illa existimetur sic חצרמות *Atramitas*, & *Chatramitas* significat; sic Strabo Lib. 12. observat ex Cepsio nomen immutatum ἐξ Αλώβων ἐις χαλυβας, potuit dicere idem esse nomen; sic 2. Reg. 17-6. חָבוֹר fluvius 70. Ἀβὼρ, & Ptolemæo χαβώρας Lib. 5. geogr. Cap. 18. sic ministri Synagogæ qui ab Ebræis חַזָּנִים *Chazanim*, dicuntur, S. Epiphanio sunt Ἀζανιται hæres. 30. neque dubito quin Ἀχαμὼθ inter Æones decantatissima sic חָכְמוֹת; sic etiam Chosroes & Osroes vid. Valesium ad Ammianum Marcell. plura non expedit addere, hæcque exempla suf-

ficienter teſtantur χ his vocibus eſſentiale non eſſe, neque proprie reſpondere τῷ ה, cum abſque illo etiam exprimatur, & alterutro modo indiſcriminatim ſcribatur. Quamobiem ad ע confugiunt, quod per *O* ſæpius reddi probavimus & alias etiam vocales non raro ſubjectas habet, quia eſt aliquid ſingulare unicuique vocali cujuſvis Linguæ, quod perfecte non exprimitur per ſimilem alterius Linguæ vocalem & cogit nonnunquam ad affines recurrere; ſed per *Gamma*, & *g* etiam redditur, ut עֲמֹרָה, 70. Γομόῤῥα Gen. 19-28. צוֹעַר 70. Σηγώρ ibid. verſ. 30. & Vulgata habet utrobique *Gomorram*, & *Segorem*. etiam עַזָּה, 70. Γαζὰ, & Vulgata *Gaza*; imo Angelus alloquens Philippum Act. 8-26. & Geographi denique: eadem hujus exempli, ac prioris ratio, hoc ipſo urbis nomine teſte, de quo ſic Stephanus *Γάζα, πόλις Φοινίκης; νῦν ἡ Παλαιςίνης περὶ τῆς Αιγύπτȣ, εκλήθη καὶ Ἄζα Gaza urbs Phœniciæ, nunc Palæſtinæ verſus Ægyptum, nuncupatur etiam Aza.* ſic *G* ita huic nomini præponitur, ut abeſſe poſſit, idque huic Literæ non raro accidit, celeberrimus enim ille Gottorum Epiſcopus, qui circa Tempora Valentiniani & Valentis Imperat. dicitur Literas Gotticas inſtituiſſe, forſan, quia verſis, & editis in illam Linguam Bibliis notiores reddidit; a Sozomeno hiſt. lib. 9. cap. 37. Ουλφίλας, *Vlphilas* nuncupatur, & a Socrate lib. 4. cap. 27. *Gulphilas* ab aliis vocatur, ut in hoc de Literarum primis inventoribus verſu apud P. Crinitum.

Gulphilas promſit Getarum, quas videmus Literas.

Sic Galli, Walli, & Wallones, & in Anglia *Cornugallia Cornoüaille*; addi poſſunt plurima nomina; ſic Gualterus, & Walterus: Gulielmus, & Willelmus &c.

Ut autem tota difficultas penitus diſſipetur addam non inauditum eſſe unius Linguæ vocabula in aliam tranſeundo novas excipere conſonantes, aut proprias omittere; nam ex ταῖς αὐλαῖς Græcorum, Latinos feciſſe caulas 1. *ſepta*, & receptacula ovium Teſtatur Servius in Æneid. 9. a μυελός etiam *medulla*; ab ἔρα *terra*, ab ἐρέβινθος *Terebintbus* ne autem γ, & *G* excipienda quis credat; obſervandum a *naſcor* venire *natum*; a *nave*, quæ in ductore requirit experientiam *navum*, a *nare*, qui ſagaciter odoratur *narum*; his autem tribus nominibus ſolet præponi G, & paſſim dicimus *gnatum*, *gnavum*, & *gnarum* ſic a לָשׁוֹן *Lingua* volunt factam λῶσσαν & tandem γλῶσ-

σαν

σαν sunt innumera similia. Alias innumeræ vocales omittuntur, strix *avis* a Græco ϛρὶγξ, sed ablatum *G.* cæteri casus resumunt strigem etenim dicimus, & nullum ξ aut κ remanet vestigium; oryx: *uncem Mauri vocant*, inquit vetus Scholiastes Juvenalis ad sat 11. sicque *R* aufertur; tamen videtur potius *L* restituendum esse huic voci, ut fera agnoscatur, sitque Lynx sive Λυγξ: revera Oryx inter capras, & damas semiferas refertur a Plinio lib. 8. c. 53. at Lyncem sive uncem esse rapacitate incomparabili infamem certum est, habet autem corpus longissimum, pro corporis autem longitudine crura brevia, pellem vero maculatam, & saltu velocitateque pollet: hic copia exemplorum me facit inopem, & cuivis innumera certatim offerentur; præsertim in Linguis vernaculis: *D* a vocibus Latinis cum Gallice referuntur; Cadomus *Caën*; Rhodanus *Rhone*; Augustodunum *Autun*; sic in verbis Laudare *Loüer*, sudare *suer* &c. L. Itali prætermittunt similiter in plurimis nominibus, flos *fiore*, plumbum *piombo*; flumen *fiume*: Hispani hoc Italorum exemplum imitantur, dicuntque pro melior *mejor*; & *Caer* cadere; *veer* videre; *Creer* credere &c.

Ex his omnibus exemplis patet voces Latinas Græcasque in alias diversarum gentium Linguas vix pervenire absque magna mutatione, & sæpe consonantes addi, aut omitti, & nonnunquam in vocales permutari, Itali enim pro *planta*, *Templo*, & *exemplo*, dicunt essempio tempio, pianta &c. quamobrem quamvis Græci nonnunquam exprimere tentent ח per χ, & ע per *G* non sequitur has duas Literas non esse vocales; cumque sæpius per vocales Græcas exprimentur; convenientius est existimare vocales potius esse, & per illas consonantes aliquando designari, ut sonum mixtum habere agnoscamus; idque confirmatur generali Grammaticorum regula, quæ declarat Literas ejusdem organi commode inter se permutari, gutturales autem אחהע sunt ejusdem organi, & consequenter inter se commode permutantur; cum autem א sit vocalis, & permutari hac ratione debeat cum ע, & cum cæteris sequitur ע & cæteras illas Literas, esse sicut א revera vocales; supra observavimus passim Samaritanum exscriptorem usurpasse על pro אל, & contra; quod notum fuit 70. Græcis interpretibus, unde non satis considerantes ratiocinationem sapientis, qui colligit ex diuturna Dei erga impios peccata pertinaciter accumulantes tolerantia, ingentem piis mercedem reservari Eccl. 8-12. pro מְאַת *cen-*

 ties,

ties, ut reddidit Vulgata, habent ἀπὸ τότε *ex tunc*; nempe putarunt א esse pro ע, legeruntque מֵעַתָּ quasi מֵעַתָּה complete. Sic 2. Reg. 17-21. Israel separavit se a Juda, & regem Jeroboam elegerunt, qui יַדַּא *dimovit* a cultu Dei Israelem; נָדָא autem id non significat, quare Mazora vult א adhiberi pro ח & jubet legere ידח; sic etiam R. Levi Ben Gerson: וירא כתיב וידח קרי *scribitur &* ידא, *Legitur autem &* ידח: videatur R. D. Kimchi suo calculo eamdem lectionem confirmans; cum hæ duæ Literæ τοῖς אהוי superadditæ ad complementum vocalium videantur minus certæ, his duobus exemplis Libuit earum vim & officium cum aliis commune declarare; sed Lectoris patientia abuterer, si diutius diem Lampade præsumerem illustrare: addam dumtaxat Ebræos vocare solitos בקיא *virum in quavis arte peritum* a בקא *probare*, & *experiri*, sed בקיע etiam א in ע mutato, indifferenter vocant; unde R. Elias ad Mahala scebile Mosis Kimchi lib. 1. cap. 2. §. 1. scribit אותיות אה"חע מתחלפות הה"א בא"לף ההמון האמון וכן ע"ין בא"לף פדעהו פדאהו וה"א בע"ין התגלה התגלע *Literæ* אהחע *sunt permutabiles ut* ה, *in* א, *sic* 1. Sam. 4-34. ההמון *multitudo*; *&* האמון *multitudo* 52-15. *similiter* ע *in* א, *ut* פדעהו *redime eum* Job. 93-24. & פדאהו; atque ה in ע *ut* התגלה *retexit se*, *quod ordinarium*, *& regulare*, *&* התגלע Proverb. 18-14. eodem pene sensu ut supponit celeberrimus ille doctor.

CAP. XIII.

Quando puncta vocalia, & alia fuerunt instituta.

INitia plurimarum rerum latent, quia remotissima & nonnunquam exigua sunt; ita prima Nili origo sero innotuit, quia ingentia deserta fuerunt peragranda, & longissimum inter Barbaras gentes iter conficiendum fuit antequam inveniretur, & inventa etiam potuit videri dubia quia amplitudini tanti fluvii, qui septentrionales, & Occidentales totius Africæ oras alluit, non videbatur respondere: exiguitas etiam, & antiquitas prima celeberrimorum imperiorum natalia hominum notitiæ surripuerunt, vixque aliquid potest excogitari mirabilius quam historiam, infame scortum ex quo stupenda imperii

perii Romani majeſtas defluxit, detexiſſe: ſunt tamen adhuc obſervatu difficiliora rerum ſenſim excogitatarum, & pedetentim perfectarum principia, quia incipiunt eſſe antequam revera fuerint, & a diverſis auctoribus, variaque experientia, & ipſo temporis beneficio inſenſibilia capiunt incrementa, quæ tandem ipſas complent, atque perficiunt: quemadmodum igitur animadvertimus creviſſe plantas, arbores, & animalia, ſed innumeros accretionis eorum gradus non valemus percipere, ſic in præſtantiſſimis artium operibus plurima lente, & gradatim ſuum aſſequuntur incrementum, neque ex omnibus artificibus qui certatim, & ſucceſſive illa promovere ſatagunt, diſcerni poſſunt illi, qui feliciores optatum ſcopum attingunt, quia plures eſſe poſſunt, vel ſaltem videri volunt: quis primam horologiorum originem ſive ſolem ducem habeant, & retrogrado paſſu ejus progreſſum deſignent; ſive minutæ arenæ caſu in vitro avolantis temporis ſpatia metiantur; ſive volubilibus rotis veſtigia diurni curriculi notent, valeret enarrare? quis Typographiæ artes ipſas immortales conſervantis primum auctorem certo novit, & poteſt decernere ante multa ſæcula Chinenſem fuiſſe, aut anno 1440. Moguntinum, aut denique Harlemenſem: intererat tamen auctorum ſe prodere in lucem ut merita præmia, & honores obtinerent; unde ſponte patet longe adhuc fuiſſe difficilius ex affectatis tenebris eruere origines inventorum, quæ auctores ipſi antiqua exiſtimari exoptabant, teſtibus innumeris cultibus, quos ſuperſtitioſi nuper excogitarunt, & antiquitatis ſpecie adornarunt, ut incautos caperent, ad inſtar Gabaonitarum Joſuam. Joſ. 9-4.

Qnamobrem obvia non eſt punctorum excogitatio, neque in promptu eſt deſignare auctores, aut tempus utiliſſimi illius artificii certo determinare; quia in regione ſatis remota punctorum artifices vixerunt, ante etiam plurima ſæcula, reſque Judæorum illo tempore erant obſcuriſſimæ, ſcriptoreſque noſtri earum facere mentionem dedignabantur: ad eos vero quod ſpectat, non potuerunt ingentem ex hoc invento ſperare gloriam plurimi enim erant, & qui excellebant ſocietatem inferiorum ægre tuliſſent, neque tamen potuiſſent recuſare: quod denique præcipuum eſt ad communem gloriam omnium pertinuit ſuſpectam novitatis ſpeciem amovere, & cæteris Judæis avitarum traditionum admiratoribus perſuadere, quod ab illis punctatio fluebat, & notulas dumtaxat adhibebant, quæ Labaſcentium

tium ſonorum fulcra forent, ad exemplum circumjacentium populorum, ut poſtea patebit, & hac ratione, ipſis vix quiquam revera adſcribi potuit.

Si tamen inter tot dubitandi rationes noſtra eſt ſententia explicanda; id fiet, & penes lectores erit poſt penſitatas rationes noſtras plena judicandi Libertas: a prima autem antiquitate, quæ ſolidiora ſuppeditat fundamenta ordiemur, ut ad poſteriora tempora ordine convenienti deſcendamus.

I. exiſtimo puncta in uſu non fuiſſe Moſis ævo quia neceſſaria nondum erant, & Textui Sacro illa appoſuiſſet, ut facilius Legeretur a promiſcua plebe, cujus inſtitutioni debebat inſervire, plebeji enim, & infimæ ſortis Iſraelitæ tenebantur exſcribere legem, & ejus lectioni vacare, non ſecus ac rex ipſe, & Pontifices: imprimis puncta illa ſi a Moſe uſurpata fuiſſent conſervarentur in authenticis voluminibus, quæ religioſe in Synagogis conſpiciuntur; at piaculum atrox haberetur minimum apicem his voluminibus inſcripſiſſe, & unum ſolum punctum, unave virgula, aut accentus ea redderet prophana; quare? ſunt humana inventa, quæ non debent admiſceri Sacris illis voluminibus, quæ legem puram, & illibatam, penituſque ſimilem ei, quam e manu Dei in monte Sinai accepit Moſes, debent repræſentare, præterea Samaritani legis divinæ, quam ſtatim ab initio captivitatis decem tribuum acceperunt a Pontificibus, cultui addictiſſimi, ſed a Judaicis traditionibus, quæ poſtea excogitatæ fuerunt alieniſſimi, puncta illa non habent, neque uſurpare volunt contenti Literis; at vocales frequentius uſurpant, quod teſtatur e codicibus Judæorum poſt appoſita puncta illas excidiſſe, quia tunc non videbantur neceſſariæ. Paraphraſis Chaldaica, quæ hodiernam punctationem non ſemper ſequitur, manifeſte etiam declarat puncta eſſe recentiora ipſa, vel exemplari ſuo; potuit enim hujus auctor ducem habere antiquiorem verſionem in ipſa captivitate factam a piis quibuſdam viris, qui ex plurimis capitibus Danielis & Eſdræ Chaldaice ſcriptis colligentes Chaldaica lingua licere res divinas deſcribere, in illam linguam Libros Sacros verterunt, ſimul atque viderunt eos Ebraica exoleſcente vix intelligi; unde in Chaldaicis Paraphraſibus Jobi, & Pſalmorum antiquius Targum paſſim citatur; quin ipſi Thalmudici ex Nehem. 8-8. inferunt ſtatim poſt captivitatem legem Ebraice quidem lectam, ſed explanatam lingua Chaldaica in Eccleſia. Hæc

eadem

eadem Paraphrasis in gratiam imperitorum adornata, suo exemplo probat puncta nondum fuisse excogitata cum nulla initio habuerit; ea autem non neglexisset, quoniam tandem ad adjuvandam lectionem adhibita sunt a viris publicæ utilitatis studiosis, quorum laboribus ultimam imposuit manum celeberrimus Buxtorfius, absque quo hæc punctatio adhuc esset manca, & imperfecta.

II. Ab Esdra post captivitatem non sunt adscripta Sacris voluminibus puncta; quia ordo, in quem illa redegit, religiose conservatus est ad hunc diem, & Judæi qui illum θεόπνευστον, & eodem spiritus afflatu, quo Moses actum norunt, non minus æstimassent puncta, quam Literas, conservassentque illa in publicis voluminibus, & in privatis codicibus, neque ullus adeo temerarius fuisset, ut illa negligere auderet: quandoquidem ab Esdra Linguæ Ebraicæ cognitio non fuit inter Judæos vulgatior, sed sensim obscurior, & rarior contra evasit; attamen Judæos, qui in Nomologia R. Immanuel Aboab 2. part. cap. 19. jactant se habere Biblia ad Esdræ tempus proxime accedentia libenter prouocarem, ad unum exemplar saltem mille annorum exhibendum cui puncta sint coæva; sed Rabi ille ibid. sic summum inter antiqua illa Biblia, & hodierna consensum dumtaxat describit: *no digamos y a que tenga uno una palabra, masque otro, o de differente sentido, y qualitad*; mas una *Sola Letra*, *que tenga de mas o de menos* (*aunque no varie el sentido*) *queda siendo Prophano, y no nos es lecito leer en el las liciones de nuestra obligacion* &c. i. *non dicimus unum non continere unum verbum plusquam alter* (*Codex continet*,) *aut diversi sensus, & qualitatis*; *sed ne quidem unam Literam plusquam alter, aut minus quam alter*; *quamvis sensum non mutet: quia prophanus esset, neque nobis liceret in eo Legere lectiones ad quas tenemur* &c. nempe licet iis uti Bibliis nostris ad studendum, licet unus, aut alter error in editione sit, sed prohibitum id esse declarat, cum ex officio Lectiones recitandæ sunt; observandum autem de punctis nihil dicere, quod tacite innuit ad integritatem Textus minime pertinere, neque ea auctori θεοπνεύστῳ esse tribuenda; revera si Esdram haberent auctorem secundum ipsa restitutæ fuissent diversæ lectiones antiquioris Chaldaicæ versionis, si quædam revera fuit, & quæ sunt recentiores novas non fecissent, atque inter has & Textum punctatum nulla cerneretur discrepantia; præsertim cum divinam fere auctoritatem his Paraphrastibus tribuant Rabini,

bini, velintque Jonathanem a Zacharia, Malachia, & Haggæo constitutum hæredem, successoremque traditionum; spiritus Sanctus enim sibi non adversatur: Græci interpretes præsertim a punctatis codicibus toties non recessissent; sed duces eos sequuti summum habuissent consensum, cum a Patribus suis, qui potuissent videre Esdram puncta apponentem, divinam illorum auctoritatem agnovissent.

III. Ad Christi sæculum referri etiam non possunt puncta, quia aut communi totius gentis assensu comprobata fuissent, & sic Apostolus Ebr. 11-21. non sequeretur 70. interpretes legendo Gen. 47-31. Jacobum adorasse ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ *baculo innixum*; contra punctationem exhibentem *super caput lecti*; aut improbata ab aliqua secta, puta Essæorum, aut Saducæorum, quibus traditiones Pharisæorum displicebant atque inter cæteras dissidiorum rationes illa referrentur a Josepho fideli historico; imo mirabilis Christi providentia, quæ nihil eorum, quæ ad Ecclesiæ ædificationem pertinebant, reliquit intactum, aut temeritatem punctatorum redarguisset, aut sedulam diligentiam commendasset, ut posteri certius judicium ferrent; videmus enim quod non tulit superbam Pharisæorum arroganriam, neque inepta Saducæorum sophismata, neque dolosas politicorum Herodianorum assentationes.

IV. Ne quidem quartum a Christo sæculum attigerunt puncta, & consequenter, neque Justinus martyr inter Judæos natus, & educatus, neque Origenes qui Ægyptum Judæis refertissimam habuit patriam, & Librorum sacrorum illustrationi sedulo incubuit; nam aliter quam nunc exprimuntur, solet referre Ebræa vocabula, ut Epist. ad Africanum *Essa* dici testatur mulierem, quam nunc אִשָּׁה *Issa* pronunciari constat & qui plurima exempla optat videat nomina Ebræa in ejus commentariis relata: hic dabo tantum specimen ex Exaplis Origenis in Hos. 11-1. quod conservatum est in codice Cardin. Barberini, & editum inter varias sect. versionis Græcæ Bibl. Londinens. sic Ebræa verba se habent: χι νερ Ισραὴλ ουε ἄβη ου μεμμεσραιμ καραθι βανι. At in Textu Biblico: כִּי נַעַר יִשְׂרָאֵל וָאֹהֲבֵהוּ וּמִמִּצְרַיִם קָרָאתִי לִבְנִי conferenti patebit inter utrasque lectiones ingens esse discrimen, neque ipse Hieronymus qui plures Judæos præceptores habuit, & studio linguæ totus fuit deditus puncta cognoscere potuerunt; nullam enim eorum fecerunt mentionem licet crebra sese obtulerit occasio;

Hie-

Hieronymo in primis, qui ut sæpius jam observavimus homonymia plurimarum vocum perturbatur, & a qua expedite se liberasset punctorum beneficio quæ nomina eadem ipsi visa sæpissime variant, & diversa faciunt; ut in Jes. 9-7. Pater ille משרה interpretatur *imperium*, & 70. ἀρχὴν: *Aquila autem*, inquit, *verbi ambiguitate deceptus* μέτρον *i. e. mensuram interpretatus est, quæ & Ebraice, & Latine eodem appellatur nomine* משורה ubi 1. observandum, quod addit huic nomini Prophetæ *Vau* ad designandum *V* vocale in nomine Latino requisitum. 2. Legisse מְשׂוּרָה ut proxime accederet ad *Mensuram*, & revera vocabulum Ebræum, quod illam significat, sic scribitur Levit. 19-35. vocabulum vero ab Jesaia usurpatum diversimode scribitur scilicet מִשְׂרָה, sicque minime conveniunt illa vocabula, neque in iis ullam puncta patiuntur ambiguitatem; illa igitur non habuit Hieronymus qui confundit in unum: similiter in Ezech. 6-1. scribit: *Adonai unum nomen est de decem Dei vocabulis, & significat Dominum quo sæpe & in hominibus utimur, denique & Sara vocans Abraham Dominum suum hoc nomine vocabat.* Literæ quidem eadem sunt; sed puncta diversa cum Sara vocet maritum אֲדֹנִי; Deus vero nuncupetur אֲדֹנָי: sicque Camets prophanum nomen a divino secernit; & hoc nomen sic eadem puncta habet, quæ Tetragrammaton, pro quo etiam pronunciari solet nisi simul occurrant; tunc enim legitur אֱלֹהִים. Hæc cum iis quæ jam observavimus sufficere debent. Dicet forsan aliquis invalidum a silentio duci argumentum; sed si quis cum hoc silentio conjungit ingentem faciendi mentionem punctorum, si extitissent, necessitatem, & diuturnum cum doctissimis Rabinis commercium, assiduumque rerum Ebraicarum studium, silentium illud eloquens, & disertum agnoscet. addatur studium illud, & commercium non revelasse Hieronymo Paraphrases Chaldaicas, quibuscum oculta potuerunt etiam remanere puncta; verum non eadem eorum est ratio, Paraphrases enim Chaldaicæ novum ingensque requirebant studium, puncta vero partam in Lingua Ebræa cognitionem promovebant, & lectionem, absque illis difficilem, tironibus reddebant facillimam: præterea puncta Textum authenticum immediate spectabant, & Paraphrases Chaldaicæ erant versiones simplices minime comparandæ cum versione Græca 70. interpretum communi totius gentis Concilio composita. Licet denique existimare raras, & absconditas tunc delituisse has Paraphrases:

ſes; nempe horrendis & diuturnis Romanorum bellis; quæ imperantibus Veſpaſiano, & Adriano totam Judæam vaſtarunt, & Judæos in diverſas regiones abduxerunt captivos, Libri eorum cum cætera ſupellectili direpti fuerunt, & a militibus ignaris ita diſtracti, ut ne unum quidem volumen illis bellis antiquius occurrat, ſolique Libri Sacri miro providentiæ beneficio conſervati fuerint partim Chriſtianorum, partim Judæorum illos præ cæteris aliis æſtimantium cura; ſic Paraphraſes Chaldaicæ paucis notæ vix commune exitium effugere valuerunt, & pauciſſima illarum exemplaria e ruderibus forſan effoſſa, vel ex Gentilium manibus recuperata, vel ex cujuſdam Judæi pretium eorum ignorantis ſcrinio producta, tandem poſt aliquot ſæcula, lucem recuperaverunt: Sane nemo poteſt in dubium revocare plurimos florentibus Iſraelitarum, & Judæorum rebus ſcriptos Libros, cum quidam ex primis temporibus citentur in Sacris voluminibus, & ſapientiſſimus Salomo præſtantiſſimos etiam compoſuiſſe referatur: perierunt tamen, vel ſaltem in tenebris occulti jacent, ſimiliterque Paraphraſes Chaldaicæ paucis notæ, quia lingua Chaldaica, ſicut Ebræa exoleverat, imo erat penitus extincta illa, quia non erat, ut hæc neceſſaria, ad excolendam fidem. Judæi denique ſponte invidi; ſuæ gazæ etiam magni æſtimatores, quique ægre ferebant verſionem Græcam ſuorum interpretum ſuppeditaſſe Græcis Patribus valida argumenta ad Chriſtianam fidem ſtabiliendam, ſponte potuerunt ſupprimere Chaldaicas ſolis doctoribus notas, ne nova ex iis deſumerentur argumenta; quod reſpectu punctorum fieri non potuit, quia ineruditæ plebi imprimis inſerviendo vulgatiſſima fuiſſent, ac ſæpe numero in Chriſtianorum manus veniſſent opera eorum, qui ejurato Judaiſmo nomina ſua Chriſto dabant. Addo S. Hieronymum, alioſque non magnopere Paraphraſes, quas non intelligebant, perquiſiviſſe.

5. Denique exiſtimamus Rabinos ad puncta animum dumtaxat applicuiſſe poſt *Miſnam* a R. Juda Sancti elogio celebri collectam circa annum a creatione 3978. ab excidio Templi 150. & a Chriſto nato 220. poſt Thalmud Hieroſolymitanum a R. Joanne compoſitum circa initium quinti a mundo condito millenarii, & annum a Chriſto nato 240. poſt Thalmud Babylonicum a R. Aſe cæptum colligi anno mundi 4127. & a Chriſto 369. & poſt ejus obitum a Diſcipulis ejus abſolutum anno mundi 4260. circiter & Chriſti 510.

ſecun-

ſecundum R. Davidis Ganz in Tſemach David computationem; quæ tamen ab omnibus non recipitur, quia Miſnam, & Thalmudum Syntagmata non ſtatim admiſerunt omnes Judæi, atque poſt multas conſultationes, & examina, quæ diuturnum tempus occuparunt, demum ſuffragiorum numero adverſarii fuerunt ſuperati. Quamobrem mirum non eſt ſi de tempore, quo illa victoria reportata eſt, non conveniant auctores; quia alii adverſarii prius, alii poſterius ſuperati ſunt, & qui horum magis quam illorum habuerunt rationem potuerunt ultimam iſtarum farraginum obſignationem facere recentiorem; hæc autem ratio mihi videtur Origenis, S. Epiphanii, & S. Hieronymi de iis ſilentio validior; quoniam qūandiu Lis ſub judicibus fuit, & contentiones fervebant, ex oculis judicum in manus Chriſtianorum tot ingentia volumina clam nan potuerunt transferri; neque veriſimile eſt exſcriptores etiam, dum dubiæ erant fidei, inventos, qui tantum opus, atque moleſtiſſimum aggrederentur, & vix dimidium ſæculum ad has lites componendas, perficiendamque exſcriptionem, ſufficere potuit: plurimi poſtea anni elapſi ſunt antequam curioſorum Judæorum aviditas ſatiata horum Librorum copiam Chriſtianis lectoribus fecerit; hi præterea mole eorum & ſtilo, ab Ebraica puritate vix cognita, etiam diverſo, innumeriſque vocibus Barbaris, & phraſibus referto deterriti diutiſſime deliberarunt antequam tædioſo ſtudio ſe manciparent, & dumeta illa invadere aggrederentur; cum hodie etiam tot dictionariis, & verſionibus inſtructi eadem perhorreſcamus: fruſtra etiam Chriſtiani iis incubuiſſent, antequam a Judæis certatim exciperentur.

Itaque circa ſextum a Chriſto nato ſæculum, poſt approbata ſolemnibus Judæorum ſuffragiis Miſnæ, & Thalmudum opera, cæperunt puncta adornari; idque evidens eſt non tantum, quia expreſſam non faciunt libri illi punctorum mentionem; ſed præcipue quia paſſim illa debuiſſent uſurpare, ſi habuiſſent, iiſque uti ad explicandam ſignificationem plurium vocabulorum dubiam, ob diverſas dumtaxat illorum lectiones: verbi gratia, quando referunt commemoratam Joabi, cum magiſtro ſuo contentionem ob verbum זכר ſane nemo eſt qui divinare poſſit in quo conſiſtat, niſi aliunde didicerit, quia dumtaxat ſcribitur, quod eum docuiſſet legere זכר, cum legendum eſſet זכר nullum enim inter utrumque vocabulum apparet diſcrimen, at evidentiſſimum eſſet ſi prius duo haberet *Cames*, &

ſequens duo *Segol.* Sic agentes de ultimo verſu Pſalmi quinquageſimi ſcribunt אל תקרא שם אלא שם utrobique autem שם eodem prorſus modo ſcribitur, utque ſenſus pateat, apex ſiniſtro Lateri ש ש imponendus, ut ſignum ſit diſcriminans hoc verbum *ponens*, quod in hodiernis codicibus obtinet: tranſlati autem in dextrum, ſignificaret ἐκεῖ, ut habent 70. ſive *ibi*, ut Vulgata, plurima ejuſmodi exempla poſſent addi; ſed hæc ſufficient ad oſtendendum punctorum uſum nondum introductum fuiſſe: ſed hæc forſan etiam contra noſtram deſignationem vocalium urgebuntur, quia reſpectu זכר potuiſſet ſcribi זאכאר, vel זהכהר ut prius *marem* poſterius *memoriam* deſignaret; ſed ſufficiebat in Textu Sacro abſque illis vocalibus vocabulum illud deſcribi, ut Rabini illas non adderent ne Sacri Textus majeſtatem violarent; at ſi puncta ab auctore θεοπνεύςῳ divinituſque adſcripta fuiſſent, nulla religio impediviſſet huic vocabulo ea adhibere.

Suadet inſuper Miſnam, & Thalmudes præceſſiſſe puncta, conſtans & generalis Judæorum ſententia olim non licuiſſe ſcriptis mandare traditiones legem ſcriptam exponentes, illaſque Moſem Joſuæ commendaſſe dumtaxat ore, Joſuam Othonieli, & ſic deinceps ad R. Jehudam ſanctum, qui videns captivitatem produci, & aggravari, ſtudium legis ſenſim labaſcere, & ſtudioſorum numerum adeo decreſcere, ut vix ſupereſſent, quibus ineſtimabilis traditionum Theſaurus tuto crederetur, totum animum, & omnes curas applicavit ad illas in ordinem redigendas, ſcriptiſque mandandas, ne quædam e memoria exciderent aut corrumperentur; neque poſſent reſtitui a paucis ſuperſtitibus Rabinis, qui in diſſitas regiones dejecti aſſiduo labore vitam vix ſuſtentabant; nempe noverat tritum illud R. Eleazaris dictum in Pirk. Aboth. cap. 3. §. 17. relatum אם אין קמח אין תורה *Si non eſt farina, non eſt Lex:* vidit quidem, & optime novit quod דברים שבעל פה אי אתה רשאי לאומרן בכתב *res quæ ore traduntur, non eſt licitum ſcripto exprimere*; ſed quia neceſſitas non admittit legem, & in extremis periculis extrema remedia adhibenda ſunt; accinxit ſe ad ſcribendum omnia decreta, & ſtatuta, dictaque Sapientum cujuſvis ſæculi a diebus ſeniorum, Prophetarum, virorum Synagogæ magnæ, & ſapientum Miſnæ ad tempus ſuum, ut optime obſervavit R. David Ganz in *Tſemach David* ad annum mundi 3979, fracta ſic glacie alii idem iter tenuerunt, & ad Miſnam addita fuerunt

runt Thalmudum immenſa volumina, tunc ſupereſſe viſæ ſunt traditiones Sacri Textus lectionem ſpectantes, quæ eidem interdicto ac præcedentes ſubjiciebantur; quamobrem eo amoto non potuerunt amplius contineri; unde R. Moſes Aben Ezra in *Area Aromatica* cap. 26. ſcribit : שנקודות והטעמים בראם מלכו של עולם עם הלשון ויהיו אצלו אמון אותם הראוים לתורת קדשנו עד שנתנו למשה בסני בתמונתם ובצורתם בכלל תורה שבעל פה שלא היו רשאין לאמרה בכתב וכאשר הותר לכתב תורה שבעל פה משום עת לעשות לה הותר גם כן מטעם זה להורות תמונת הנקודות והטעמים בכתב אשר קודם לכן היה המורה מלמד ומודיע לתלמידו וגומ' *quod puncta & accentus creavit rex mundi, cum lingua, & fuerunt apud eum ut alumnus propter eos qui digni forent lege noſtra Sancta, uſque ad tempus quo dedit Moſi in Sinai ſecundum figuram, & ſimilitudinem eorum, eadem conditione, qua legem ore traditam, nempe non eſſe licitum ſcripto doceri; cum autem licuit legem ore traditam deſcribere, eodem tempore neceſſitatis etiam cauſa licuit ſimiliter docere figuras punctorum, & accentuum illas ſcribendo cum antea eas præceptor ſuis Diſcipulis exponeret* &c. quot verba totidem argumenta ad veritatis illuſtrationem, ut modo patebit; nunc autem ſufficiet obſervaſſe olim prohibitum puncta apponere Libris Sacris, & antequam neceſſitas coegiſſet legem Oralem in Miſna, & Thalmude deſcriptam Literis promulgare, nefas fuiſſe puncta illa in Libris deſcribere, & conſequenter antiquiſſimi illi Bibliorum codices punctis inſtructi quos tantopere quidam Judæi jactant apud Buxtorfium de punctor. orig. part. 2. cap. 7. evaneſcunt, neque unanimi Judæorum conſenſu excipiuntur; cum hic inter ipſos celebris, & probe etiam cognitus doctiſſ. Buxtorfio, qui illa ipſiſſima ejus verba retulit part. 1. cap. 4. ejuſdem Libri, non appoſita codicibus Sacris puncta antequam eadem neceſſitas, quæ ſcripto mandare legem Oralem coegerat, illa puncta inſcribere ſimiliter coegiſſet, manifeſte declaret.

Præter horrenda bella quæ Judæam vaſtaverunt, & ingentem rebus Judæorum induxerunt confuſionem ita ut traditionibus ſuis metuerint, novum & inevitabile ipſis etiam imminere exitium viſum eſt ob ſupremum totius gentis Concilium, quod illarum hactenus fuerat columen, & præſidium; Concilium enim illud ſive Sanhedrin 40. annis ante excidium Templi Hieroſolyma exulare coactum eſt, ut ad annum mondi 3785. obſervavit ſupra Laudatus R. D. Ganz. & poſtquam decies ſedem mutaſſet, tandem circa trecenteſimum a Templi ex-

excidio fuit penitus dissipatum : audiatur R. Moses Ben Maimon hal. sanhed. cap. 14. גלו ממקום למקום ולעשרה מקומות גלו וסופן לטבריא ומשם לא עמד בית דין גדול עד עתה וקבלה היא שבטבריא עתידין לחזור תחלה ומשם נעתקין למקדש ארבעים שנה קודם חרבן בית שני בטלו דיני נפשות מישראל אף על פי שהיה המקדש קיים מפני שגלו הסנהדרין ולא היו שם במקומן במקדש *exularunt* (71. judices) *de loco in locum, & in decem diversis locis exularunt, & finis fuit in Tiberiade exindeque non stetit Domus supremi judicii ad hoc usque tempus : Traditio autem est quod tandem debeant repetere Tyberiadem primo, atque ex ea transferri in Sanctuarium. quadraginta annis ante destructionem secundi Templi cessaverunt judicia capitalia in Israele, quamvis staret, quia exulabant hujus supremi consessus judices, & non erant ibi, in loco Sanctuarii ipsis debito.* Observare convenit supremum illud Concilium Tiberiadi postremo substitisse, quare convenit his Tiberiensibus punctorum appositionem tribuere; cum puncta sint postremæ Judaicarum traditionum reliquiæ, & insigniores partes, quas ad extremum suæ labascentis auctoritatis momentum Rabini sibi reservare sategerunt.

Ut autem momentum illud propius appareat, expedit observare Hillelem *Nasi* 1. summi Concilii principem & R. Judæ etiam *Nasi* filium, nepotemque R. Judæ *Nasi* (qui hakados *Sanctus* cognominatur, quique ut observavimus Misnæ auctor fuit, Hillelem inquam illum ab illo primo principem tertium non habuisse successores, qui solitas promotiones peragerent; nam : בו יספקו הסמוכים בארץ ישראל *in eo desierunt promoti in terra Israelis*, & ipsum Thalmud testatur quod fuit סוף הנסמכים *finis promotorum*; cum autem postremus ille promotorum circa annum mundi 4118. & excidii Templi 290. (sive Christi 360) præevideret imminentem Rabinici regiminis ruinam, in usum introduxit computum novum, quo utuntur hodie Judæi, & ad Messiam quem expectant, uti debent, ad novilunia designanda, intercalationes faciendas, ne deficientibus illico judicibus quorum erat ex φάσς novilunia promulgare, & pro ratione temporis, & necessitatis intercalare, gens tota misere perturbaretur, ut ad illum annum refert R. David Ganz. R. Maimonides etiam Halac. Kiddus Hakod. cap. 5. §. 3. scribit ומאימתי התחילו כל ישראל לחשב כחשבון זה מסוף חכמי תלמוד בעת שחרבה ארץ ישראל ולא משאר שם בית דין קבוע אבל בימי חכמי משנה וכן בימי חכמי תלמוד עד ימי אביי ורבא על קביעת ארץ ישראל היו סמכין : *a quo autem tempore cæperunt omnes Israelitæ computare secundum illum com-*

computum? a fine ſapientum Thalmudicorum quo tempore vaſtata eſt terra Iſraelitica, neque ſuperſtes manſit in ea Domus judicii fixa; ſed in diebus ſapientum Miſnæ, & in diebus ſapientum Thalmudis ad dies Abæi, & Rabæ ad ſtatuenda computa terræ Iſraeliticæ adhærebant. Quod clarius patebit, ſi obſervaverimus eum ſcripſiſſe §. 1. quod מקביעות ראש חדש על הראה ועבור השנה אין עושין אותו אלא סנהדרין שבארץ ישראל או בית דין הסמוכים בארץ ישראל שנתנו רשות להן סנהדרין שכן נאמ׳ *fixationem principii menſis ſecundum aſpectum Lunæ & intercalationem anni non faciunt niſi Sanhedrin ſive Concilium magnum quod eſt in terra Iſraelitica, vel judices per impoſitionem manuum conſtituti in terra Iſraelitica, quibus dedit illam facultatem Sanhedrin quoniam ſic dictum Moſi & Aroni* (Exod. 12. 1.) *hic menſis vobis primus menſium* &c. quibus verbis volunt traditionem ipſis datam, ut neomenias, & annorum intercalationes ordinarent; quamobrem poſtquam Sanhedrin decem prædicta exilia abſoluit, & ex ultima terræ Iſraeliticæ urbe exulavit nempe Tiberiade, paulo poſt Talmudis obſignationem non potuerunt novilunia per aſpectum & intercalationes ab iis pendentes amplius conſtitui, quia Sanhedrin extra terram Iſraeliticam hoc jus non habuit; ſed eo aliquandiu functi ſunt judices per impoſitionem manuum conſtituti, quia illud a Sanhedrin acceperant, neque ſinguli aliis valebant conferre: quamobrem iis omnibus deficientibus omnis ordo, & omnis Diſciplina, atque univerſa juriſdictionis compages ſimul ruitura videbantur; propterea poſtremi illi judices ſuperſtitis, at paulo poſt defecturæ poteſtatis compotes computum fixum conſtituerunt & in uſum auctoritate ſua introduxerunt, quo abſque ulla redivivæ Lunæ conſpectu novilunia in poſterum notarent per totum terrarum orbem exulantes Judæi, & annos ſuos intercalarent, idque aliter fieri non potuit, quia etſi Judices illi ſuperſtitis auctoritatis hæredes diutius vitam protraxiſſent, & in Judæa etiam potuiſſent ad annum mundi 4300 (hoc eſt ab excidio Templi 472. & a Chriſto nato 542, commorari, ſolitum nihilominus non potuiſſent obſervare morem; quia impoſſibile iis fuiſſet legatos mittere in omnes regiones quas captivi Judæi incolebant, eoſque reddere certiores de ſingulis noviluniis, & annorum intercalationibus, ut feſta ſua omnia rite celebrarent; anno illo autem mundi 4300. agnoſcunt Judæi ſuas omnes ſcholas a Mahumedanis Perſici imperii Dominis diſſipatas, & poſt quinquageſimum ab illo annum cæpiſſe

dum-

dumtaxat restaurari ut testatur R. D. Ganz. ad an. 430. quamobrem ante ingentem illam legitimæ successionis interruptionem debuerunt ritus, consuetudines, & omnes traditiones rite ordinari, atque confirmari; itaque non potuerunt hunc ultimum Synagogæ terminum sequi, sed illum necessario antecesserunt; unde ad Rabæ & Abæi (qui objerunt ille anno mundi 4099. hic 4113. eodem R. Ganz. teste an. mund. 4099.) tempora, ille computus refertur a Maimonide: neque modus in definiendis noviluniis, & intercalationibus a pristino dumtaxat diversus fuit, sed insuper diversum habuit terminum; si quidem antea non fuerant fixa annorum principia; modo annos suos numerabant a Templi ultimi excidio; modo ab Asmonæis; unde tertius annus Simeonis Pontificis commemoratur 1. Macch. 14-27. præcessit autem *æra contractuum*, sive ab Alexandro magno Darii Debellatore, & Græci imperii fundatore, circa annum mundi 3448. & conditi secundi Templi 40. & prius a primo Templo condito; omnium autem primum principium annorum fuit ab exitu Ægypti: verum postquam novum hunc computum ad Messiam usque duraturum constituerunt, ab invariabili mundi creatione illum suam habere originem voluerunt, ne carentes ductoribus illegitima principia eligerent si ab eorum potestate, & arbitrio id pependisset. Quemadmodum autem sapientes illi ordinandis festis: & annis mensibusque præpositi imminentem auctoritatis suæ ultimum finem, ob successorum defectum cernentes, posteritati suæ nouo, & constanti comput? consulendum judicarunt; sic proculdubio Rabini, & publici Synagogarum lectores, qui peculii instar a majoribus traditi perfectam Textus Sacri lectionem & pronunciationem sibi sedulo conservaverant, videntes scholarum Synagogarumque omnimodam dissipationem, eadem erga posteros charitate; & communi Consilio excogitaverunt notulas, quæ cum genuinis vocalibus, convenientes syllabarum sonos, quantitates, atque minimas varietates imposterum conservarent absque vivæ vocis adminiculo, & sola præceptorum descriptorum opera; unde illico Grammaticorum, Ebræis antea ut ex S. Hieronymo patet ignotorum, examina prodire cæperunt.

Nolim tamen asserere omnes S. Bibliorum voces eodem tempore omnia sua puncta accepisse; difficiliores primo punctatæ, & postea reliquæ, unde totum caput 7. numerorum nondum est omnino puncta-

ctatum, & multi versus carent punctis, quia fuerant antea punctati difficiliores neque necessitas puncta amplius exigebat in aliis.

Sic provida Rabinorum industria præcepta, & traditiones, quæ diuturnam operam, studium assiduum, & unanimem scholarum consensum requirebant primo in ordinem redegit; postea normas ad receptas consuetudines exactius observandas prudenter excogitavit, & tandem linguæ Sanctæ, & sanctorum Librorum lectioni convenienter consuluit, ita ut diuturnum exilium non potuerit ipsis magnum inferre detrimentum.

Ex his observationibus verisimillimum videtur quod Solemne Concilii adhuc potentis decretum de publicandis traditionibus, quæ hactenus intra doctorum scholas delituerant, præcedere debuerit punctorum vocalium usum; quodque usus ille obtinuerit ante omnem scholarum in Chananitide dissipationem quia absque impetrata ab ipsis approbatione ab omnibus Judæis admitti puncta illa nunquam potuissent; verum interstitium magnum inter utrumque illum terminum fuerit, an breve, non constat, & difficile est judicare an ad præcedentem, an ad sequentem propius accesserint puncta: attamen ob rationes probabiles existimo sequentem sive postremum magis ipsis convenire, atque paulo ante illam dissipationem fuisse excogitata.

I. Quia imminens dissipationis illius horrendæ periculum ad majoris momenti dogmata scriptis mandanda solicitam de illis prius excitare doctorum diligentiam debuit: sunt autem plurima, quæ ad intelligentiam præstantiorum legis præceptorum, & sublimium mysteriorum absolute requiri, & in Thalmude dumtaxat exponi Judæi arbitrantur.

II. quia necessitas ipsa, quæ ad illas traditiones evulgandas coegit, simul coegit ab illis incipere, quæ imprimis necessaria erant ad ritus suos probe peragendos; sic ad Deut. 12-21. & 22. observant כַּאֲשֶׁר sive *modum* immolandi, & comedendi carnes præscriptum nullibi in lege inveniri, & consequenter absque traditione in Thalmude conservata nullatenus posse ad executionem mandari.

Jam vero momentosa fidei dogmata, neque consuetudines in quotidianis cultibus observandæ a punctorum institutione pendebant; quoniam Textui Sacro absque punctis multis adhuc perspicuo puncta illa adscribi debuerunt, dogmata vero tradi ore solita, & prædictæ consuetudines ab illo Textu seclusæ in sola doctorum memoria de-

liteſcebant; quin puncta illa necdum Textui videbantur neceſſaria, quia aſſiduo illum legendi uſu ſatis patebat unicuique, & adminiculis illis vix ullus indigebat: quamobrem ſola ſcholarum diſſipatio neceſſitatem adſcribendi puncta impoſuit, quia quandiu ſcholæ, quæ legitimam Ebraicos libros legendi rationem docebant, durarunt, ſufficiebant ad omnia e lectione impedimenta aufferenda, & ad extraordinaria ſubſidia demum fuit recurrendum, cum nutare & caſum proximum minari cæperunt.

Vidimus autem funditus has ſcholas fuiſſe everſas ab Arabibus poſtquam debellatis Perſis longe lateque imperium ſuum extenderunt, atque imprimis Judæam occupaverunt: paulo ante igitur Rabini de legitima Librorum ſacrorum lectione ſoliciti excogitare debuerunt modum illam conſervandi, & docendi abſque magiſtris, quia ubique occurrere deinceps non potuerunt, ita ut ſæpenumero eorum vicem patres debuerint ſupplere, ac quam didicerant artem Liberos ſuos docere.

Hinc non Levis oritur conjectura ab Arabibus ipſis veniſſe puncta, non tantum quia impoſuerunt neceſſitatem illa adhibendi ad expeditiorem reddendam lectionem, quæ turbare potuit Diſcipulos peritiſſimis magiſtris deſtitutos; ſed etiam quia primi tunc excogitarunt puncta ſimilia, ut lectionem legis ſuæ expeditiorem ſimiliter redderent: nempe quemadmodum exules inſolita opus habent induſtria ad conſervandam inter Barbaras gentes propriæ linguæ puritatem, ſic, qui victricibus armis diverſas gentes ſubigunt & ad uſum linguæ ſuæ allicere exoptant, ut eamdem religionem profiteantur, & eaſdem leges obſervent, etiam tenentur operam dare, ut lingua illa ſubditis addicenda facilior, & commodior videatur; hinc florentibus imperiis, linguæ ipſis propriæ ſolent florere: Arabes itaque variis elati ſucceſſibus linguam ſuam curarunt exornare, ut proſpera eorum facinora promulgaret, propagaretque Alcoranum; obſtare autem videbatur uſitatus ipſis, & aliis Orientalibus populis ſcribendi modus, quo plurimas vocales deſignare non ſolent, quia facile ſupplentur ab iis qui linguam, & ejus genium noverunt, ſed arcent tyrones illius addiſcendæ cupidos; uſus tamen a primo rerum exordio morem illum couſtituerat, & in maxima Librorum Arabicorum parte conſervat ad hunc uſque diem; nihilominus utiliſſimo inſtituto puncta ſeu Lineolas tunc in gratiam Tyronum, eorumque qui expeditius, & accu-

cu-

curatius legere optabant, excogitaverunt, quæ Ebraicis ſunt ſitu, & figura ſatis ſimilia, puncta enim illa ſupra, & infra Literas adſcribuntur, ut earum ſonum varient, in ventre etiam earum, ut augeant; quod Ebræi imitati ſua etiam puncta διακριτικα adhibuerunt ad diſtinguendum *Schin*, a *Sin*; Dages autem & Mappik &c. ad duplicandam Literam, aut ejus aſperitatem leniendam &c. præterea notulas ad ſupplendum vocalium defectum excogitarunt iidem Arabes, quas imitantur Ebræi præcipue notas vocales eorum; notæ autem illæ tres ſunt, quarum una infra Literam, & duæ reliquæ ſupra inſcribuntur; harum ſupernarum prima dicitur *Fata*, & pingitur ut acutus ſupra Literam valetque *A* vel E; altera dicitur *Damma*, & ſupra Literam ſic ' pingitur ut Apoſtrophen referat, & valet *O* vel *V*; tertia denique *Keſra* infra Literam & valet *I* & nonnunquam etiam ad E inclinat; evidens confuſio in his ſonis cernitur cum duos diverſos unaquæque habeat; quapropter ambiguitatem omnem non auferunt, idcirco primum eſſe inventum putamus; at quia facile eſt inventis addere, atque illa perficere; dicimus puncta illa ab Arabibus tranſiviſſe ad Syros qui expertam Arabum confuſionem emendare ſategerunt, duas novas vocales tribus præcedentibus addendo, ut quinque haberent Latinis, noſtriſque exacte reſpondentes; quarum tres ſupra Literas, & duæ infra, ut plurimum collocantur; partim autem utræque punctis aut exiguis Lineolis ſolent deſignari. Ebræi denique omnium poſtremi videntur puncta illa, & Lineolas admiſiſſe, quia Arabum confuſionem non correxerunt dumtaxat, ut Syri; ſed inſuper utiliſſimo augmento quinque illas conſonantes ancipites, modoque longas, modo breves, duplicarunt, ut breves, longæque peculiarem figuram ſeorſim haberent, quodque novitatem inventi apud eos facti prodit, uno & eodem nomine longas, & breves etiam olim nuncupabant; nempe *Camets* comprehendebat *Camets* noſtrum, & *Tſere*; *Patach* vero noſtrum *Patach* & *Segol*; ſed ad diſcrimen *Camets*, & *Patach* noſtra magna: *Tſere* vero & *Segol* Parva dicebantur quod illa ampliori ſono, hæc exiliori conſtarent; ut paſſim in Libris Rabinorum legimus. Quin quatuor etiam breviſſimas voluerunt ut uniuſcujuſque ſyllabæ quantitas manifeſtius appareret: cum autem hæ diſtinctiones proſint, minime dubito, quin probaſſent Syri, Arabeſque ſi vocalia ſua puncta ab Ebræis accepiſſent; ſed quia antea paucioribus uti conſueverant, iis impoſterum

contenti nova admittere neglexerunt, & propterea verisimilius esse existimamus, quod Ebræi post ipsos puncta admiserint, & examine facto judicaverint illorum numerum esse adaugendum, ut variis sonis vocalium designandis simul sufficere valerent; hacque ratione evidenter patet cur Ebræus punctorum auctor non agnoscatur, nullus enim est, auctorque inter Arabes quærendus esset; qui vero primus in usum introduxit, ex eo nullam meruit celebritatem: qui denique auxerunt numerum plures fuerunt, sensimque id, & successive id fecerunt, quamobrem unus alterius ita offecit luminibus, ut omnes in turba æque delituerint.

CAP. XIV.

Puncta recentia constanti, & perpetuæ legis & Prophetiarum veritati minime officiunt.

QUamvis æterna divinæ veritatis vis sibi eodem modo semper constet, neque ullis rerum corruptibilium vicissitudinibus unquam subjaceat, nihilominus quoad nos, & respectu signorum arbitrariorum, quibus innotescit, varias posse subire mutationes videtur, & quemadmodum alia in Paraphrasibus, versionibusque, aliaque in ipso Textu animadvertitur; sic in ipso Textu punctato etiam alia poterit perhiberi: idque eo verisimilius apparebit, quod variæ Librorum sacrorum lectiones sæpius in Textu fundamentum (ut antea observatum) habeant, sed quæ a punctatione dissident, rejici soleant: quod iniquum videbitur si puncta sunt a Rabinis excogitata; si quidem commentum humanum non debeat decretoriam in rebus divinis obtinere auctoritatem; unde non pauci viri clarissimi de Sacri Textus auctoritate pie soliciti puncta habenda esse authentica, & divina judicaverunt.

Verum enim vero aliquo etiam sensu affirmabimus puncta licet recentia, & ab hominibus excogitata esse authentica, divinaque: quia optime referunt antiquum, & primarium legendi modum linguæ Sanctæ, qui Deum auctorem habuit, & a Prophetis usurpatus est; ita ut punctatores fideliter expresserint unius cujusque dictionis sonos, quemadmodum solebant antea pronunciari; atque mysteriis fidei

dei minime nocuerint, cum ſonis illis cito evaneſcentibus corporea quædam ſymbola affixerunt, ut deinceps conſtanter, & immutabiliter in Sacris codicibus conſervarentur.

Id quidem merito videbitur nobis difficillimum quoniam lingua Ebræa a multis ſæculis exoleverat, quis enim Gallus genuinam exoletæ antiquorum Gallorum linguæ pronunciationem nunc edere valeret? quis Britannicam Anglus? Sed diverſa eſt ratio Judæorum; licet enim lingua Ebraica deſierit ipſis eſſe vernacula, aliquem tamen in uſu Sacro locum ſibi ſemper conſervavit: deſcripſerunt codices Sacros privati, legerunt eos in Synagogis præfecti, expoſuerunt in Scholis Rabini, quique pietate inſignes videri voluerunt, eos etiam addicere ſtuduerunt, ut majores ſuos in illis loquentes frequentius audirent; ſic quandiu Scholas & Synagogas in Patria habuerunt non exiguam linguæ Ebraicæ cognitionem Judæi conſervaverunt: quin hodie poſt innumera exilia, & diſſipatas Scholarum & Synagogarum a mille annis ſucceſſiones, multiplicemque diverſiſſimarum linguarum uſum, plurimi eorum Textui Sacro ita addicti ſunt, ut Ebraice tantum legant, Ebraice etiam orent, peculiaremque ipſis pronunciationem Liberos domi doceant, hæcque officia pnblicis magiſtris invideant: ex his igitur æſtimetur majorum eorum zelus, & ſtudium, atque unicuique æquo rerum æſtimatori conſtabit, quod Judæi in Patria degentes, & conſervantes magiſtros, & doctores continua ſerie linguam Ebræam colentes, & Libros Sacros ſedulo exponentes facile retinuerint per aliquot annorum centurias, quibus aliena lingua vulgo uti cogebantur, legitimam illorum lectionem, quia divinam & ad pietatem pertinere exiſtimabant: cum hodierni Judæi illis ſubſidiis deſtituti in multiplici mille annorum exilio ne quidem illam penitus amiſerint, & non tantum Rabini, ſed privati quoque, etſi innumeris vitæ, & familiarum neceſſitudinibus occupati certatim ejus propagationi vacent: Inde inquam æſtimandum priſcorum fidelium, & inprimis divinæ Providentiæ ingens ſtudium ad Textus Sacri integritatem conſervandam.

Licet reſpondere, eos tamen homines fuiſſe, neque conſequenter ab omnibus erroribus tutos eſſe exiſtimandos, cum humanum ſit errare; ſane ut cæteri homines errori fuerunt obnoxii, & unusquiſque eorum potuit a recta alicujus vocabuli pronunciatione deficere, & ſimul inepta punctorum appoſitione eam exprimere; verum diſ-

difficillimum fuit, ut omnes ſimiliter aberrarent, neque unus alterum erroris argueret; ſolitis lectionibus aſſuetæ erant omnium aures, aſſueti etiam eorum oculi, itaque cum novis indicibus, nempe punctis exprimi cœperunt, & oculi, & aures inſuetam vocem illico notaſſent, præſertim cum exiſtiment Judæi ingens præmium iis, qui minimum erratum e codicibus Sacris amandant, eſſe reſervatum: præterea expoſitæ fuerunt ſingularum Scholarum, & Synagogarum examinibus punctationes, illæ, & illo ipſo tempore, quo vis, & auctoritas ſenſim labaſcebat atque unuſquiſque poterat libere agnitum errorem reprehendere, quin invidi inter Rabinos nunquam defuerunt, & qui in illa punctatione nullas partes habuerant non potuerunt illius auctoribus tantam abſque certamine concedere gloriam, ſi legitimus contendendi locus patuiſſet; poſſunt quidem contentiones fingi, ſed eo ipſo quod tandem ceſſaſſe conſtat, & puncta vicerunt communi totius gentis ſuffragio, concludendum eſt eis conſtantem traditionem manifeſto & divinitus faviſſe; quia Patriis conſuetudinibus tunc Judæi erant addictiſſimi.

Paraphraſtes tamen Chaldæi, Græci etiam interpretes, ipſeque S. Hieronymus, cum magiſtris Judæis reclamant, & receptæ punctationi paſſim adverſantes lectiones, quas aſtruit, tunc obtinuiſſe inficiantur: ultro has ipſi ſupra obſervavimus diſcrepantias, & poſſumus etiam illas cum ſententia noſtra commode conciliare; interpretes enim illi fuerunt pauci, & ſinguli forſitan incumbebant unius Libri verſioni; quare non mirum eſt inadvertentia, aut præcipitantia, confuſave exemplaris ſui ſcriptura nonnunquam a vera lectione defeciſſe; neque etiam mirum errores eorum ſub alienæ linguæ velo latitantes fugiſſe ſocios, ſingulorum verſiones ſimul ad generale examen revocantes, aut ſub falſa conceſſæ quandoque interpretibus licentiæ ſpecie mutandi tempora, & loquutiones ob varium diverſarum linguarum genium, cenſuram effugiſſe: longe autem alia fuit punctatorum ratio, pictores tantummodo erant, & punctis ſuis, ut propriis ſingulorum vocabulorum lineamentis illorum ſonum repræſentabant, qui ſonus in omnium auribus ſolitus audiri, facile arguiſſet puncta diſſona in unoquoque vocabulo, ſic ſeorſim ab omnibus auditoribus, lectoribuſque accurate conſiderato, abſque ullis fucis, & velis; quin non tantum attente conſiderari debuerunt ſingula vocabula, ſed ſingulæ etiam eorum ſyllabæ, quia agebatur de novo

inſti-

instituto ad omnium usum proposito ; quapropter unusquisque tetenebatur sedulo advertere ne prætextu utilitatis aliqua noxa irreperet in Textum Sacrum : illa ipsa etiam Sacri Textus majestas inprimis cautissimos Judæos reddidit, & merito certatim cavere debuerunt, ne limpidissimus ille salutis, & omnium solatiorum fons aliqua labe pollueretur ; id quidem cavendum fuit in versionibus, & Paraphrasibus; sed periculum tamen minus erat, quia humana opera erant, ac ut expositiones secundum mentem auctorum factæ æstimabantur, atque ad ipsius authentici Textus normam, cum occurrebat non nulla erroris suspicio, poterant ab omnibus illico revocari; verum nullum superfuisset remedium post normam punctorum ineptorum appositione corruptam ; quamobrem nullam debuerunt ad tanti momenti examen in minimis apicibus prætermittere diligentiam, atque sedulitatem; neque Deus ipse sivisset hanc suam legem corrumpi.

Nihilominus supersunt adhuc dubia; etsi enim tale fuerit Judæorum omnium, & singulorum officium, etsi manifeste constaret illos eo officio sedulo functos fuisse, incertus adhuc esset eventus, quia summa hominum attentio, nec sedulitas, neque diligentia semper felices assequuntur eventus, & homines sive singuli, sive omnes simul variis sunt obnoxii erroribus unde plurima non tantum unius gentis, sed totius orbis Christiani Concilia, omnes circa fidem Christianam quæstiones secundum contendentium vota, & absque ulla erroris suspicione hactenus definire non valuerunt, fatemur ultro; sed ingentem differentiam inter puncta nostra, & res fidei constitui debere asserimus ; res quippe fidei ita mentis nostræ capacitatem transcendunt, ut absque prævia S. spiritus illuminatione apprehendi minime possint, & consequenter qui illuminatione illa gaudent, illas ultro, & avide amplectantur; alii negligant, & aversentur, ut oculi infirmi lucem : *Lux in tenebris luxit, sed tenebræ illam non comprehenderunt* Joan. 1-5. sive ut S. Paulus : *animalis homo non capit ea quæ sunt spiritus Dei, neque potest ea capere* 1. Cor. 2-14. jam vero spiritus ille Dei Liberrimus est suorum donorum dispensator, & *quo vult spirat* Joan. 3-8. quare non sæpius afflat Præsules, quam privatos, & in numeroso Ecclesiastico cætu pauci nonnunquam ejus afflatu prædíti a plurimis errorum mancipiis superantur, veritasque in iis non tantum adversarios, sed infensissimos nanciscitur

tur hostes, qui minus quam cæci de coloribus, de veritate fidei apti sunt æquam proferre sententiam: puncta aliter se habent, sensibilia enim sunt, oculis, & auribus patent, sufficitque hos sensus recte compositos esse, ut legitima punctorum dispositio ab ipsis evidenter animadvertatur; possent quidem in sententia formanda, & vocabulis fingendis, atque assignandis punctis quæ sonum suaviorem ipsis tribuerent, quidam dissidere, quoniam diversa sunt hominum judicia; verum nullum potest esse dissidium in assignandis vocabulo noto, & pronunciationis notæ punctis, quia puncta respondent perfecte vocalibus, & vocabulum auditum scribere facillimum est: sic Musicæ periti possunt dissidere in aliquo modulationis genere componendo, sed quando compositum, & optime notum, omnes diversos illius tonos, notis ad eos designandos institutis, unusquisque artis illius peritus facile repræsentabit: probavimus autem multis Judæis, & præsertim Scholarum & Synagogarum præfectis notam fuisse vocabulorum Ebraicorum pronunciationem, & consequenter etiam legitimam punctorum appositionem, quæ ad illam eodem modo se habuit quo notulæ uniuscujusque toni ad modulationes, quæ ex iis componuntur; eadem est ratio notarum numeralium, quæ ad summas datas ab omnibus eodem modo adhibentur, & si quis error contingeret, illico deprenderetur; non vero vocales in exemplum producimus, quia variant sonos inter diversas gentes, visque earum non semper est constans, & immutabilis; sed vocalium dumtaxat notas, quæ unicuique genti sunt certæ.

Ne autem linguarum Orientalium penitus ignari impossibile existiment olim innotuisse Judæis ante puncta singularum vocum genuinam lectionem; sciendum est præcipuas vocales per genuinas supra commemoratas in Textu Sacro designari solitas, & cæteras fere omnes ita pendere a constructionum, & declinationum, aut conjugationum regulis, ut qui illas norunt facile harum defectum suppleant, propterea nondum Legi per singula imprimis Sabbatha solemniter legendæ puncta apponuntur; eam tamen non præfecti dumtaxat, sed sæpe numero novi sponsi eam etiam expedite legere solent; omnia præterea Rabinorum scripta absque punctis legimus, similiterque Arabes sua, & Syri etiam, licet nonnunquam adscribant, cur Ebræis eamdem denegabimus facultatem? cur linguæ fugientis vestigia minus existimemus manifesta, quam nunc sunt, postquam

mille

mille anni illa veſtigia omnino deleverunt ? ſane quæ nobis adeſt ad legenda Ebraica abſque punctis ſcripta facilitas, a punctatis libris obtinetur, & idcirco convenit exiſtimare punctatores habuiſſe ſuo tempore linguæ Ebraicæ notitiam longe ampliorem ea, quam nunc habemus, ut pote quæ a regulis ex punctatione illorum petitis, quæ quo accuratiores ſunt, eo clarius demonſtrant genuinam eos pronunciationem penitus agnoviſſe.

Abſit tamen ut propugnemus nullam mutationem ullis vocibus puncta intuliſſe, & omnia vocabula primævam pronunciationem invariabiliter conſervaſſe : demonſtravimus hodiernas Literas eſſe genuinas Patriarcharum, Moſis, & Prophetarum, nihilominus licet exiſtimare quaſdam in alias figuras fuiſſe permutatas; immo vocabula integra ſuum diverſis ceſſiſſe locum, plurimis exemplis probari poteſt v. g. 2. Sam. 22-46. יַחְגְּרוּ *cingent* 70. σφαλοῦσιν *contremiſcent*, legiſſe oportet יַחְרְגוּ *commovebuntur*, *pavebunt*; ſic enim legit etiam Chaldæus Paraphraſtes, cum habeat יזוען *commoti ſunt*, & quod adhuc validius, ſic legatur Pſal. 18-46. utrobique enim idem canticum habetur. Sic in eodem 2. Sam. capite 22-11. וַיֵּרָא *& viſus eſt* ſuper alas venti; contra in eodem Pſ. verſu eodem וַיֵּדֶא *& volavit*, verſ. vero 43. Pſalmi אֲרִיקֵם *evacuabo eos*; cum apud Samuelem legatur אֲדִקֵּם *comminuam eos.* neceſſe eſt alterutris verſibus Literas ד in ר, aut e contra fuiſſe permutatas, quandoquidem eſt idem canticum & iiſdem verbis conſtare debet : at mutationes illæ & quædam ſimiles ſupra obſervatæ genuinum ſenſum non turbant, propterea que S. Spiritus Textus Sacri conſervationi invigilans illas paſſus eſt varietates, ut pateret, non apicibus inprimis inhærendum, ſed ſenſui : quo fides proprie inſtruitur, & ſuſtentatur : potuerunt igitur ut in Literis divinitus inſtitutis, ſic in punctis quædam nullius momenti mutationes fieri, abſque ulla Textus Sacri integritatis præjudicio poſſunt; & ipſa religio Mazoretharum in conſervandis ipſis punctationis irregularitatibus nos reddit abunde ſecuros; quoniam in eligendis lectionibus convenientioribus judicium noſtrum poſſumus exercere, neque nobis ullam imponunt neceſſitatem veterum ſententiæ.

Revera irregulares antea obſervavimus punctationes, vix tamen putamus ab errore, aut inadvertentia eas duxiſſe originem; ſed veriſimilius videntur attribuendæ tempori & mutationibus, quas linguis uſus ſolet afferre tam in ſcribendo, quam in pronunciando; ita ut

plurima vocabula olim irregularia, tandem regularia fiant, & nonnulla adeo deformentur, ut nullum fere priſtini decoris conſervent veſtigium; quia ſic voluit uſus.

Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

Sane qui Græcis θεὸς primo, Italis a Græcis edoctis eſt *Deus*; Italorum vero propaginibus Hiſpanis *Dios*, hodiernis Italis *Dio*, Galliſque noſtris *Dieu*; ſi revera ad has linguas vulgares, & ex Latinæ corruptione præcipue ortas tantiſper attendamus innumera vocabula a primæ originis ſpecie ita aliena occurrent, ut vix in illis poſſit agnoſci: Teſtes ſint hæ tres voces Gallicæ, *Vendredi*, *Noel*, & *Careſme*, quis in illa Venerem; in ſequenti vero *natale*, in hac vero *quadrageſimam*, inveniri debere ſuſpicaretur? nihil tamen certius; ſcilicet *Diem Veneris* vocant Galli *Vendredi* quaſi *Veneriſdi* ſic ad Pyræneorum montium extremitatem mari mediterraneo iniminentem promontorium, & portus de *Vendres* id eſt *Veneris* hodie dicuntur, & olim celebrata ſunt Straboni, & aliis ſicut, & Templum a Ptolemæo, atque nuper a P. de Marca in *Marca Hiſpanica*; ita *E* mutatur in *D* inter *N* & *R*. ob durum harum conſonantium ſonum. Quod autem ſpectat *quadrageſimam* jejunium antepaſchale deſignavit, quia primo quadraginta horis quibus Chriſtus in ſepulchro manſit, conſtabat, ſecundum Matt. 9-15. *tolletur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt*; poſtea quidem ad plures dies productum illud jejunium eſt, ſed primam denominationem nihilominus ſervavit, ut obſervavit Socrates hiſt. Eccl. libros. cap. 21. paulatim igitur contractum eſt illud vocabulum in quadreſma, & tandem ablato etiam *D* poſt *G* remanſit *Careſme*. Sic natalis Chriſti dies cæpit dici, *natale*, & abjecto *T naal*, & poſtea Noel, licet viri doctiſſimi malint ſic dici quaſi *Novel* i. *novus*, ut Borellus, & Menagius, quod veriſimile eſſet, ſi dies ille novum annum auſpicaretur; ſed contra ad finem anni veteris pertinet; neque vox illa in regum initiis uſurpata etiam favet, quia ſufficit quod fauſtiſſimi eſſent Chriſti natales, & Lætis canticis celebrari ſoliti, ut hæc vox in Lætis acclamationibus uſurparetur. his exemplis, quæ ſeſe ſponte obtulerunt contentus, & innumeris aliis in quavis lingua obviis colligo ſenſim plurima vocabula a prima forma degenerare, & longo temporis curriculo transferri in diverſas, ſive reſpectu conſonan-

tium,

tium, ſive reſpectu vocalium aut earum pronunciationis; idque ſæpius accidere in vocabulis ignotis, ut cum Turcæ petentes a Græcis Conſtantinopolim verſus euntibus quo irent? audierunt εἰς τὴν πόλιν confundenteſque propoſitionem cum nomine generali metropolim deſignante, exiſtimaruntque eos reſpondere ſtambol, ſicque deinceps hanc urbem nuncuparunt, & plurima ſimilis erroris exempla præbent; nam *Sdile* Delos, & *Stiva* Thebæ propter eamdem rationem dicuntur; notum enim eos etiam η per *I* & β per V nunc exprimere. potuerunt igitur Judæi poſtquam variis gentium linguis uti cæperunt nempe 1. Chaldaica, poſtea Syriaca, & tandem Græca, atque Latina, ac ſtudio ſolo Ebraicæ cognitionem mediocrem ſibi conſervaverunt, nonnunquam a quorumdam vocabulorum legitima pronunciatione declinare, atque alienos ex Barbararum linguarum more, vocalibus affigere ſonos, quos tandem ſuis punctis expreſſerunt, abſque ulla licet legitimi ſenſus mutatione.

Itaque non expedit propugnare omnia puncta ordine ſuo ita eſſe diſpoſita, ut ne unum quidem extra debitam ſedem vagetur, cum nonnullæ Literæ potuerint permutari, tranſponi, omittique; numeri etiam minui, aut augeri; quin vocabula integra addi, & detrahi, modo ſenſus integer remanſerit, aut ſolerti ſtudio ex locis Parallelis reſtitui potuerit: ſcilicet divinæ providentiæ, quæ Sacram ſcripturam inſtituit ut hominem doceret, *& ſapientem redderet ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quo perfectus eſſet homo Dei, ad omne opus bonum etiam penitus inſtructus* 2. Timot. 3-15. & 16. Satis fuit averruncaſſe ab illa omnes errores fidei, boniſque moribus noxios; cum cæteri ad excitandam diligentiam, & attentionem conferant: quemadmodum igitur obſcuritates, & graves difficultates ſubinde occurrentes inter præcepta clara, & facilia impediunt lectorem divinis his ſcriptis oſcitanter incumbere; ſic exſcriptorum leves errores judicium ſemper requirunt, & ſedulam meditationem: hinc provide noluit Deus puncta ſtarim ab initio apponi, ut attentiori examini tunc eſſet locus.

Sed eo etiam leviores ſunt judicandi illi errores, quod ſolam pronunciationem puncta adjuvent; pronunciatio autem ſit omnino indifferens & libera ab eo tempore, quo in uſu eſſe deſiit; puncta enim illa non ſunt eſſentialia nominibus, & frequenter mutantur ob numerorum diverſitatem, conſtructionum rationem, accentuum ap-

poſitionem, & multiplices verborum conjugationes: quamobrem vis eorum, & potior facultas a Literis conſtanter permanentibus pendere perhibentur; cum autem vocales ad eſſentiam nominum revera pertinent, genuinis & antiquis vocalibus, quæ inter Literas locum habent, deſignari ſolent, neque prætermittuntur, abſque aliqua ratione, quæ facile earum compenſat abſentiam. Licet igitur eæ, quæ punctis ſignificantur, abeſſent, nullum ſenſus exinde pateretur detrimentum, & ad hodiernum uſque diem iis Samaritani, qui puncta non admiſerunt, carent, atque Pentateuchum intelligunt, & ex eo totam ſuam religionem mutuantur: quin nos ipſi verſione Samaritana punctis ſimiliter carente feliciter utimur, ejuſque commodas expoſitiones ex vocabulis parum etiam notis aſſequimur, modo conferendo inter ſe varia loca in quibus uſurpantur, modo ex vicinis, & affinibus linguis ſignificationem eorum depromendo; ita ut in legendo dumtaxat hæreamus, cogamurque regulas punctationis Ebraicæ, aut Chaldaicæ ſequi, quoniam peculiarem Samaritanorum pronunciationem ignoramus; verum diverſa illa Lectio, & forſan etiam alieniſſima, legitimo ſenſui minime officit, quia præcipuæ vocales, quæ originem vocabulorum, conſtructionem etiam, diverſitatem numerorum & Perſonarum, atque ſimilia indicia inprimis neceſſaria exhibent, in his libris, ut in Ebraicis lectores magnopere adjuvant; ipſiſque ad cæterarum defectum ſupplendum inſerviunt, & ſemper inſervierunt, quapropter ante appoſita puncta licet receptæ lectiones firmiter inhærerent memoriæ plurimorum Judæorum, attamen non dubitandum quin genuinæ illæ vocales fuerint in lectione adornanda præcipuæ duces, quoniam firma etiam memoria poteſt ipſo aberrandi metu nonnunquam aberrare, & propterea opus habet aliqua directione adjutorioque; unde doctores ipſi, ante Lectionem, Textum legendum meditabantur, ut ſecurius legerent, & de Rabi Akiba ſat audace refertur, quod invitatus ad legem ex pulpito legendam לא רצא לעלות לפי שלא סדר אותה תחילה *noluerit aſcendere, quia illam prius non ordinarat*; I. antea non conſuluerat memoriam, videratque quomodo legis illa pars legi deberet: unde facta hæc conſtitutio: הקורה הפרשה צריך לסדר אותה תחילה בפעמים ושלוש בינו לבין עצמו: *Lecturus ſectionem legis neceſſario debet prius ordinare illam bis, terque inter ſemet ipſum.* Si a ſola memoria lectio penitus pependiſſet, bina, & terna illa meditatio neceſſaria non fuiſſet, at debuit in ipſo

Textu

Textu non punctato nonnulla iuveniri documenta, quæ lectionem memoriæ inhærentem confirmarent.

Occurit tamen difficultas non contemnenda ex eo quod genuinæ vocales in Textu existentes puncta, ut meræ consonantes suscipiant, non enim videtur verisimile, quod Literæ, quæ punctis indigent, ut sonoræ fiant, sonos aliis suggerant; quæ ratio plurimos movit ad credendum meras consonantes esse, neque ullas vocales in Ebræorum Alphabetho inveniri, & consequenter puncta ingentem Textui Sacro intulisse mutationem; quoniam in una quaque lingua vocales non minimas agunt partes: cum autem abunde probaverimus genuinas, & ad præcipuam sensus constitutionem, vocabulorumque compositionem, requisitas vocales semper in Textu Sacro adfuisse, restat ut probabiles appositorum his vocalibus punctorum rationes nunc assignemus: prima autem peti debet a quantitate syllabarum, quam magnopere curarunt punctatores; quoniam triplices notas adhibuerunt, ut exacte unam quamque vocalem modo longam, modo brevem, modo brevissimam exprimerent; sic punctum *Chirec* sub *Jod* apposuerunt, ut longum esse significarent; sic *Aleph* quod anceps est, habet Camets, ut longum agnoscatur; & *Patach* cum breve est, ad instar Græcorum ante usum η. & ω, & Latinorum, qui duas vocales ad unam longam significandam olim solebant adhibere.

Alteram suppeditant mutationes, quæ vocalium sonis accidere solent; exemplum petamus ab antiquis Latinis ut res clarior sit, constat eos usos *O* in plurimis vocabulis quibus recentiores *V* adhibuerunt; dicebant quippe veteres *volgus*, *illoc*, *hoc*, & *Saluos* sis; recentiores vero *vulgus*, *illuc*, *huc*, & *salvus*: si supponamus quid simile accidisse Ebræis, merito cholem imposuerunt super *Vau*, ut pateret olim ꝟ *O* sonum habuisse: similiter antiqui Latini dicebant joure, & joustitia, pro jure, & justitia, & *Loumen* prò lumine, si quid simile apud Ebræos, merito adhibuerunt punctum in ventre ꝟ *Vau* ut sçurek efficerent, testarenturque *Vau* quod simplex *V* erat, olim respondisse τῶ ȣ Græcorum: dixerunt similiter Veteres *possiem*, *siet*, pro possim, & sit, ut Lucretius poëmatis de rer. nat. statim ab initio *rapaceis*, *virenteis*, & vacuas *aureis*; alii vero postea dixerunt rapaces, virentes, & aures; supponendo similem inter Ebræos mu-

tationem, Chirec debuit supponi τῷ *He* ut *ei* sonaret: innumera talia exempla facile adderentur.

Tertia ratio oritur ex coalescentibus ad unam diphthongum componendam duabus vocalibus, quia simplex unius sonus non suffecisset ad eum qui veteribus in usu erat exprimendum: sic *qui*, & *cujus* native non referunt Plauti *quoi*, & *quoius* nam O illud superadditum patulo ore loquentes antiquos manifestius repræsentat: si quis Gallicam vocem *vin*, vinum Literis Ebraicis exprimeret necessario *Cames* sub *Vau* aut Patach deberet opponere quia *I.* ut *ai* in illa voce sonat.

Sic patet convenienter addi potuisse puncta genuinis Ebræorum vocalibus, ut antiquam pronunciationem perfectius referrent, sicut consonantibus ut subintellectas vocales, & continuo usu conservatas repræsentarent, quod utilissimum fuit; merito tamen diximus non fuisse absolute necessarium, quia ut observatum, absque primæva vocabulorum pronunciatione, significatio iis competens potest agnosci, quia Characteres ipsos hieroglyphicos sine sono interpretamur; quin adeo libera fuit punctatio, ut non raro idem vocabulum, & in eodem sensu usurpatum diversa obtinuerit puncta; nam indiscriminatim scribitur קָמִים *insurgentes* Psal. 3-2. & קוֹמִים 2. Reg. 16-7. רַבּוּ *multiplicantur* Psal. 4-8. & רבּוּ quod ex eodem verbo, eademque conjugatione quidem; sed alio sensu potest exponi. רָמּוּ Job. 22-12. & רמּוּ Job. 24-24. *attolluntur*, utrobique. אֵבוּס & אבוּס *Præsepe* אֶחָד & אַחַד *unus* אֱיָל & אֱיל *robur* דֳּמִי. דּמִי, & דְּמִי *silentium* זֵכֶר זֶכֶר & זִכְרוֹן *memoria* חֶבֶל & חֲבל *pignus* חֹבֵל & חֹבֶל *Gubernator navis* חָבֵר & חַבָּר *socius.* innumeraque similia, quæ eandem prorsus significationem cum diversis punctis obtinent; etiam diversis locis varia ejusdem vocabuli erat pronunciatio: Hierosolymitani enim בִּיר *filium* dicebant quem Ebræi alii, & Chaldæi בַּר dicebant, ut observat Elias in *Thisbi*; sic qui Hierosolymitanis iisdem רִב Babyloniis רַב dicebatur: ut in magno Lexico observat Buxtorfius, qui etiam addit cames per O protulisse.

Neque id linguæ Ebraicæ peculiare est; nam eadem urbs ad Tigrim sita a Græcis nuncupatur Νάσιβις, Νέσιβις, & Νίσιβις ut Testatur in ea Stephanus: hoc præsertim diversis temporibus solet accidere unde eadem urbs 1. Sam. 28-4. Ebr. שׁוּנֵם in Græca 70. versione Σωνάμ in Vulgata *Sunam*, *Suna* autem tempore S. Hieronymi dice-

dicebatur Sanim de *Locis* Ebr. ex Eusebio: immo ipse Judæorum legislator Ebraice dicitur מֹשֶׁה *Mose*, a Josepho vero Antiq. l. 2. Μωυσῆς & a 70. similiter; at Philoni est Μωσῆς; unde etiam Latinis modo Moses, modo Moyses nuncupatur; *Mare* dicitur Gallis *mer* & antiquis Britonibus *mor* unde dicta *Armorica*, ad mare septentrionale sita. שַׂר *Sar princeps* Ebræis; Anglis *Ser*: Gallis *Sire*. Celeberrimus Morinorum fluvius apud Ptolomæum lib. 2. cap. 9. Μόσα, ut Latinis Mosa, sed vicinis Belgis *Maes*, Gallis vero *Meuse*. סָס Ebræis est *Tinea*; Græcis σὴς, Arabibus سوس.

Contra vocalibus non differunt Ebræorum סוס *equus*, Arabum سوس *tinea*, Græcorum σῦς *Sus* 1. *Porcus* Latinorum; & *Sus* 1. *Supra* in compositis frequens, & Belgarum *Sus silentium*, quæ significatione adeo discrepant: unde colligere licet a vocalibus minus quam a consonantibus pendere vocabulorum significationes; sed neque easdem consonantes totam vocabulornm vim semper exponere, cum nequidem vocales simul conspirantes illam constanter exprimere valeant; quare præcedentes observationes frequentiorem usum dumtaxat possunt declarare.

Ut autem sententia nostra verisimilior videatur expedit illam reverendo celeberrimi Huldrici Zuinglii suffragio confirmare; sic enim ille Tom. 3. oper. Præfat. in Apologiam complanationis Jesaiæ: *Ebræorum Literas aliquando caruisse vocalibus notis, quas parum civiliter ipsorum Rabini, & finxerunt, & supposuerunt, non tantum hinc colligitur, quod & D. Hieronymus nullam prorsus ipsarum facit mentionem, & vetustissimi ipsorum codices etiamsi nunc habeant eas notas, aliquando tamen non habuisse, cum ex atramenti dissimilitudine, tum ex situ earum deprehenditur; sed vel hinc maxime quod vocalibus nunquam carvit ea lingua: א. enim α, ע, E, י, I, ו, O &, U, nunquam eis defuerunt; quamvis hæ voces in quibus tot consonantes sine vocalibus constipantur, videantur contravenire: sed vulgare fuit eis advoculare ad hujusmodi, quomodo si Germaniæ scriberetur Flsch* 1. *Caro; jam Helvetii legerent Fleisch; Suevi Fluasch; Doggenburgii Flæisch; Rhæti Flaisch &c. quum interim eædem manerent Originales, quas ipsi radicales vocant, & substantiales Literæ: usu igitur constabat hujus generis lectio, qui tamen, posteaquam toties in captivitates varias abducti sunt, prorsus exoletus est factus &c.* forsan miraberis quod ע cum E comparet, quod ob situm τῶ O respondere diximus; etsi enim hæ vocales videantur diversissimæ, sibi non raro per-

perhibentur respondere; neque ab usu hodierno id videtur penitus alienum, in plurimis enim Belgarum vocabulis *E* sonat ut *O* crassius, & accedit ad *V*; sic in amne *Roer*, & urbibus *Moers Voerden*, atque innumeris aliis quæ quibusvis sunt notissimæ; constat tamen simplex *E* etiam referre, sed cum nonnulla aspiratione, ut declarat R. Salomo Jarchi in Gen. I-II. ubi exponit דֶּשֶׁא per Gallicam vocem ערב״או *Herbes sive Herbas.*

Concludam has de lingua primæva ejusque Literis antiquissimis, & vocalibus observationes: atque ea quibus innituntur argumenta judicio peritorum libenter submittendo: ac ingenue profitebor veritatem ducem mihi dumtaxat fuisse propositam, quum iis, pro munere meo componendis vacavi: quamobrem nullius sententiam privatim exagitare, aut publice oppugnare volui; ut pote, qui noverim liberum esse, in ejusmodi rebus quæ fidem directe non spectant, unicuique arbitrium, & eos demum prævalere, qui rationibus, non contentionibus, jure non injuria, sunt potiores; quin gloriola jurgiis parta est inanis, & illa sola, quæ absque invidia sponte emicat, meretur æstimari.

His moribus, atque institutis ab omni carpendi, & detrectandi malignitate, immo ab ipsa injurias propulsandi cupiditate semper fui alienissimus, & deinceps haberi vehementer exopto: idcirco hanc a benignis lectoribus efflagito gratiam, ut absque iniqua suspicione, quæ fascinat oculos, aut sponte fingitur, hoc opusculum velint clementer interpretari: rogo etiam atque obsecro, ut errores qui ob absentiam meam irrepserunt, secundum indicem sequentem dignentur emendare, & Leviores, Characteresque linguarum Orientalium deficientes patienter ferant.

FINIS.

IN-

I N D E X.

Script.

Hoſ.


ERRATA.

pag.	lin.	lege.
9.	18.	*Meir*
16.	20.	*Contexere*
24.	12.	*et.* poft rat.
27.	18.	*nam*
48.	22.	*id.*
59.	36.	*oppugnando*
62.	4.	*fequerentur.*
72.	10.	adde *legem.*
76.	3.	*oblect.*
	8.	*Mores.*
	10.	נוים
	15.	*vide.*
81.	17.	*fuos*
90.	23.	*fit.*
93.	32.	שמש
95.	20.	adde: לא
101.	28.	אלגבא באת
103.	7.	אבי אלאחמריין
118.	30.	*explicarunt.*
122.	10.	adde *fuofque* & *poteft*, lege
125.	25.	*probabiles.*
126.	15.	אמם
129.	11.	*Cæfarie.*
131.	4.	טורנין
137.	4.	ארץ
	10.	*ipfiffimæ deliciæ.*
138.	23.	דגלת
143.	34.	*tunc.*
147.	23.	פסטכא שמאק
150.	18.	*celeberrimus.*
354.	1.	*Abi Afaph.*
155.	33.	וברואה
158.	23.	אוני
165.	9.	שמא
	19.	גמל
168.	23.	*futuram*
170.	11.	*vitium*
180.	10.	*quarum*
181.	12.	*opera*
185.	10.	ש












ERRATA.


pag.	lin.	lege.
186.	32.	*modeſtum*
201.	33.	*Lapides*
204.	29.	ולמרה
205.	10.	*Lex*
	13.	*ἀρχὴν*
	17.	*ſectio*
206.	15.	*deſcribi*
207.	18.	*Nahardeæ*
212.	24.	*habet*
214.	7.	*tribui*
218.	3.	הימנה
219.	25.	*illud.*
220.	1.	cum præcedenti Linea jungi debet, quia turbat ordinem cap. ex Deut.
220.	32.	שמאבר
223.	25.	*ſomnium*
	30.	49. pro 42.
226.	4.	יזח.
228.	25.	לא. initio ſent. Arab. & in fine אלימא
230.	23.	יירש
237.	32.	מכר
239.	17.	העביד
241.	1.	ועבדו מעבדיא
245.	17.	*Harorites.*
246.	3.	*nentem*
250.	17.	*permutatum*
251.	11.	*parti*
254.	7.	*differendi*
	8.	*Samarita-*
255.	9.	*ortos*
260.	17.	*eædem*
280.	4.	*Samarit-*
283.	31.	*inficiabitur*
284.	25.	*ſanctæ*
	31.	*reclam-*
288.	30.	סכאכין מן צחרת צמא
	34.	צואנא
291.	30.	*tenaciora*
293.	9.	*ars,*
297.	31.	&c. pro *eſt*
301.	10.	שמעון
302.	20.	*ſolvendum*
304.	22.	*vocant.*
305.	5.	שמו
307.	20.	*filium*
313.	22.	*Bemidbar.*
315.	16.	*hallucin-*
	37.	*incautis*
316.	14.	*ait.*
320.	26.	*principium*
334.	9.	*Emuna.*
352.	13.	*ε.* pro *οε*
354.	29.	*vocales*
363.	20.	*ut apponatur*
368.	35.	*Suſan*
404.	4.	*oſtendere*
406.	20.	מהשור
417.	25.	*conſon. per vocal.*
425.	17.	*eædem*
447.	30.	*Germanice.*



FINIS.







colorchecker CLASSIC


calibrite

